GERMON
DE HÆRETICIS
COD: CORRUP

M. Joh. Georg. von Zabern.
Argentinens. 1767.

5 th

B. 302

1224 B

m

a B

Ex libris Matter.
9 März 1836
constit 50c

TICIS

IM

5 tt

B. 307

a conferendus eſt de hoc libro
ſeus in Iſagoge ſua Hiſtorico-Theol.
pag. 525.

DE VETERIBUS HÆRETICIS ECCLESIASTICORUM CODICUM CORRUPTORIBUS.

Auctore BARTHOLOMÆO GERMON, *Societatis* JESU *Presbytero.*

PARISIIS,
Apud LE COMTE & MONTALANT, Bibliopolas, ad Ripam Sequanæ Auguſtinianam, ad inſigne Montis Peſſulani.

M. DCC. XIII.

CUM APPROBATIONE ET PRIVILEGIO REGIO.

Ex Libris
Mag. Joh. Georgii von Zabern.
Argentinensis
1767.

EMINENTISSIMO

SANCTÆ ROMANÆ ECCLESIÆ

CARDINALI

JOANNI PTOLOMEO.

TEMERE & imprudenter facere fortaſſe videar, qui tuum de hac lucubratione noſtra judicium non reformidem, CARDINALIS EMINENTISSIME. Acturus ſum de veteribus Hæreticis Eccleſiaſticorum Codicum corruptoribus, & adverſus eorumdem conatus impios inſtrumentorum ſacræ doctrinæ integritatem defenſurus: quid autem in iſta quæſtione tibi novum eſſe poſſit? quid non planè perſpectum?

Tu in Eccleſiaſticis monumentis ſtudioſè

es volutatus ; nec quicquam eorum te præterit , quæ vel Hæretici in Eccleſiam ſceleſtè & fraudulenter machinati ſunt , vel Eccleſia , ne creditum ſibi depoſitum ſacrum violaretur , prudenter & religiosè providit. Quocircà probè intelligo , ſi quæ in argumento tibi tam explorato menda mihi perperam exciderint , illa eruditos tuos effugere oculos non poſſe.

Verùm iſtud me adeo non deterret , ut moveat magis ad opus hoc tibi offerendum. Nam ſicubi deerravero , & emendari ultro velim , & à te potiſſimum emendari. Deinde nullus dubito , quin vel ipſo argumenti genere accepta ſit tibi concertatio noſtra ; & conatum ſaltem laudes , etiamſi rem videar minùs feliciter aſſecutus.

Prætereà , cùm ex ea Societate ſim , quæ tibi tot nominibus obligata eſt , ſic animum induxi , te oblatum munus , quantumvis leve , non eſſe repudiaturum. Neque enim mihi latet , quàm benignè , quàm comiter excipere eos ſoleas , quibus virtutum om-

nium exemplo atque ingenii ſplendore tamdiu præluxiſti.

Hoc quidem taceri exoptas maximè: imo etiam, cùm demiſsè admodum de te ſentias, putas fortaſsè dici non ſatis verè. At virtutes eximias, quas vel non advertis in te, vel piè diſſimulas, cæteri omnes conſpiciunt & admirantur.

Ortus ex antiquiſſima Ptolomeorum gente, cui nulla claritudo, nullus ſplendor deeſt, quò nobiliſſimæ familiæ apud homines commendari ſolent: humana hæc & caduca contempſiſti, ut in religioſæ familiæ umbra deliteſceres. Unum hoc videris meminiſſe, ſinceram & ſine fuco pietatem eſſe proprium gentis tuæ decus; quippe quæ plane octodecim numeret gentiles ſuos, quos plebs Chriſtiana tanquam Beatos ac Cœlicolas proſequitur cultu religioſo: quod haud ſcio, utrum alia de ſe familia prædicare poſſit. Hæc ſola domeſtica laus eſt, quam altè imbibiſti animo, quam creſcere in dies & amplificari, quâ ipſe clareſcere ſanctè deſideras.

Cujus rei teſtis eſt Societas noſtra, quæ quanquam ingenium tuum & immenſam eruditionem tanti ſemper fecit, quanti profectò debuit: tamen te multo majori in pretio habuit propter tenerum illum pietatis ſenſum, continuam animi ad Deum converſionem, nunquam intermiſſum corporis affliċtandi ſtudium, quo præfulgebas. Teſtis Roma, quæ te in ſacris illis Conventibus, quos Congregationes *vocant, de ritibus ſacris ſæpius audivit non minùs piè quàm doċtè diſſerentem. Teſtis ipſe ſummus Pontifex virtutis æſtimator peritiſſimus, qui te non modo Romana donare purpura voluit, ſed etiam reluċtantem & oblatos honores ſemel & iterum ſollicitè deprecantem, pro poteſtate ſua præcepto adegit ſuſcipere.*

Quas laudes, tuæ ut modeſtiæ obſequerer, prætermiſiſſem ſilentio, niſi aliqua ex parte ad Societatem noſtram pertinerent. Enimverò Societatis noſtræ laus eſt non exigua, quod tranſmiſſa tibi à Majoribus

pietatis ſemina foverit inſtitutione, & ad faſtigium perduxerit; quod te tam ſanæ doctrinæ virum, tam ſeverum ſanctiſſimarum legum ſuarum cuſtodem, alumnis ſuis Magiſtrum, Collegiis Rectorem præfecerit; quod communia negotia procuranda tibi perdiu commiſerit.

Ejuſdem laus eſt longè maxima, quod aſſumptus in Purpuratorum Patrum Senatum, & avulſus à fratribus, nihil de priſtina erga eos charitate remiſeris: ſed volueris commune cum iis retinere domicilium, communem menſam, communia prope omnia. Quod quidem intelligimus, quàm ſit nobis honorificum; quam idoneam, quam paratam adverſus æmulorum obtrectationes nobis præbeat defenſionem.

Hæc cùm apud te reputabis, æquiori animo feres, ut ſpero, virtutes tuas à me omnium oculis eſſe ſubjectas. Neque enim negaveris, fas mihi fuiſſe illius Societatis cauſam agere, cui quamvis multa hactenus rependiſti, tamen plurimum debere te non

inficiaris ; ego debere me omnia profiteor. Quo etiam nomine me tibi placiturum eſſe confido,

SANCTÆ ROMANÆ ECCLESIÆ CARDINALIS EMINENTISSIME,

EMINENTIÆ TUÆ,

Devotiſſimus & addictiſſimus in Chriſto ſervus
BARTHOLOMÆUS GERMON, è Societate Jeſu.

Pariſiis, 9. Kal. Febr. anno M DCC XIII.

ADMONITIO AD LECTOREM.

CLariſſimus vir Domnus Joannes Mabillonius, cujus opinionem de veteribus Regum Francorum Diplomatibus non ſequebar, eruditionem magni faciebam, memoriam etiam nunc veneror, prior mecum de quibuſdam ſcriptis manu codicibus diſputationem [a] aperuit. Datâ occaſione uſus ſum, non invitus; ac liberè expoſui, quid de iis ſentirem ſancti Auguſtini codicibus, qui ſæculo nono in Corbeienſi Monaſterio ſcripti ſunt, & inde in San-Germanenſe Cœnobium tranſlati. Ad Diſ-

[a] Suppl. cap. 13.

ceptationem igitur, quæ tum erat in manibus, brevem ſuper eâ re adjeci Appendicem[a], in qua oſtendere conatus ſum Codices iſtos Corbeienſes ab omni ſuſpicione falſi non eſſe immunes. Appendicem hanc Mabillonius non attigit, ac ne legit quidem, ſi amicis ejus fides eſt: verùm doctiſſimo Scriptori ad alia feſtinanti vicariam ſuppoſuit operam ſodalis ejus Domnus Petrus Cuſtantius; & eorum ſcripſit *Vindicias manuſcriptorum codicum*, quos impugnaveram. Cujus libro, ut primùm vidit lucem, reſpondere decreveram: ſed quia bellici tumultus his concertationibus litterariis parum idonei videbantur, ſpe proximæ pacis diu deluſus, diſtuli in dies, ſenſimque aliquot anni elapſi ſunt. Hujus tamen procraſtinationis eum ſaltem fructum ſum conſecutus, ut propoſitam quæſtionem penitiùs perſpicerem & tractarem uberiùs. Neque enim jam ſo-

[a] De vet. Reg. Franc. Diplom. Diſcept. 2. pag. 344.

lis Petri Cuſtantii veſtigiis inſiſto, aut controverſiam anguſtis paucorum librorum finibus concludo : ſed retectis veterum Hæreticorum fraudibus & impudenti perfidiâ, demonſtro plurimos ex his falſarios fuiſſe, atque adulteras tam in ſuos Sacrorum Librorum codices, quàm in lucubrationes Patrum & exemplaria Conciliorum, manus intuliſſe. Porrò quanti Catholicorum referat, palam fieri vaferrimorum hominum ſubdolas artes & nefarium ſcelus, nemo non intelligit; fraus enim ſi lateat, nocet; ſi innoteſcat, recidit in auctorem. Suam autem in Hæreticos perfidiam reipsâ totam recidiſſe, nec quicquam nocuiſſe, aut certiſſimæ Sacrorum Librorum integritati, aut firmiſſimæ Patrum Traditionis auctoritati planè manifeſtum fiet. Hos ergo ex Tractatione hac fructus reportaturum me ſpero, ut boni omnes, & ſceleratos Hæreticorum mores pronumque ad

omne perfidiæ genus ingenium magis ac magis cognoſcant; atque adeo ſibi ab hac peſte caveant diligenter, & firmiùs adhæreant Catholicæ Eccleſiæ, contra quam malitia Hæreticorum tentare multa poteſt, prævalere nunquam poteſt.

INDEX CAPITUM,

Quæ in hoc Volumine continentur.

LIBER PRIMUS.

De veteribus Hæreticis Sacrorum Codicum corruptoribus. 16

PARS PRIMA.

PLurimos è veteribus Hæreticis ſuos Sacrorum Librorum codices olim adulteraſſe. pag. 18

CAPUT I. *Veterum Hæreſum magiſtros nonniſi dolis & pravis artibus ſuas Sectas propagaſſe.* 19

CAP. II. *Nullà eos cenſurà notari poſſe, qui putant aliquot Sacrarum Litterarum Codices à Judæis olim fuiſſe corruptos.* 30

CAP. III. *Græcam ſeptuaginta Seniorum Interpretationem conſultò & malitiosè à Judæis falſatam fuiſſe.* 37

CAP. IV. *Subdolas fuiſſe nec ſatis fideles Symmachi, ſicut & Theodotionis atque Aquilæ, Judaïzantium Hæreticorum Interpretationes.* 46

CAP. V. *Veteres Hæreticos quædam Librorum Sacrorum exemplaria ſuis adjectionibus ac detractionibus reipſa corrupiſſe.* 54

CAP. VI. *Decurtatum olim fuiſſe à Saturnino Hæreſiarcha hunc Geneſeos locum :* Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram : *Ab eodem Saturnino, à Carpocrate, Cerintho, Ebione, aliiſque Hæreticis mutilata olim fuiſſe Evangelia.* 61

CAP. VII. *Magnam fuiſſe Carpocratianorum, Cerinthianorum atque Ebionitarum in mutilanda Scriptura impudentiam.* 66

CAP. VIII. *Mutilata eſſe à Marcione atque adulterata, Evangelium ſecundùm Lucam atque Epiſtolas Pauli.* 79

CAP. IX. *Idem flagitium à Cerdone, Luciano & Apelle commiſſum, quod à Marcione.* 91

CAP. X. *Pepuzianos, Tatianum & Severianos varia Scripturæ loca pro libidine ſua immutaſſe.* 97

CAP. XI. *Auſos eſſe Theodotianos atque Artemonianos ſua Sacrorum Librorum exemplaria adulterare.* 101

CAP. XII. *Quid de Manichæis ſenſerint Hie-*

ronymus & Leo Magnus, quid de Donatiſtis Auguſtinus. 106

Cap. XIII. *Ab Arianis corruptos eſſe Sacræ Scripturæ codices aliquot, & ſublatum eſſe hunc Evangelii locum,* Quoniam Deus Spiritus eſt. 110

Cap. XIV. *Hæreticos olim Neſtorii anteceſſores è vetuſtis exemplaribus primæ Joannis Epiſtolæ deleviſſe iſta verba:* Et omnis Spiritus qui ſolvit Jeſum, ex Deo non eſt. 126

PARS SECUNDA.

Hæreticorum Sacros codices adulterantium perfidiam non obeſſe certiſſimæ Sacrorum Librorum integritati, & firmiſſimæ auctoritati. 135

Cap. I. *Quàm temerè & falsò dixerint veteres quidam Hæretici, Scripturam Sacram, qualem legit Eccleſia Catholica, eſſe vitiatam.* 140

Cap. II. *Difficillimum fuiſſe Hæreticis ſacros codices, quos Eccleſia Catholica ſervabat, violare.* 150

Cap. III. *Sacrorum Librorum codices, quos legit Eccleſia, dici non poſſe ab Hæreticis depravatos.* 155

Cap. IV. *Librorum Divinorum ſinceram integritatem, non alio meliùs, quàm Eccleſiæ*

Catholicæ judicio cognoſci poſſe. 161

CAP. V. *Fieri potuiſſe, ut libri aliquot divini perirent; & in his qui extant verſus aliquot deſiderarentur. Fieri omnino non poſſe, ut libri, quos Eccleſia tanquam divinos recipit, corrupti ſint in iis, quæ ad fidem vel mores pertinent.* 167

CAP. VI. *In confeſſo eſſe debere apud Catholicos, Eccleſiam quidem potuiſſe, ſi ita Deo placuiſſet, omni Sacrarum Litterarum ſubſidio carere: non potuiſſe autem ſpurios libros pro veris, depravatos pro ſinceris admittere.* 179

CAP. VII. *Pleroſque ſanctos Patres, Hæreticorum in falſandis libris perfidiam reprehendiſſe; neque tamen exiſtimaſſe ſacros Eccleſiæ Catholicæ codices in ſuſpicionem falſi venire poſſe.* 186

CAP. VIII. *Hæreticorum in falſandis Sacris Libris perfidiam ſuſpectos facere ipſorum Hæreticorum codices, non illos quos legit Eccleſia Catholica.* 192

CAP. IX. *Quoties differunt ab invicem Catholicorum Hæreticorumque exemplaria, illa ſincera, hæc corrupta eſſe cenſenda.* 197

LIBER

LIBER SECUNDUS.

De veteribus Hæreticis Librorum Patrum aliorumve Eccleſiaſticorum codicum Corruptoribus. 208

PARS PRIMA.

ECcleſiaſtica Scripta non pauca à veteribus Hæreticis olim adulterata fuiſſe. 211

CAP. I. *Ab ipſis Patribus reprehenſam fuiſſe veterum Hæreticorum in falſandis anteriorum Patrum operibus perfidiam.* ibid.

CAP. II. *Sincera ſancti Andreæ Apoſtoli Acta fuiſſe olim ab Hæreticis miſerè fœdata & corrupta.* 221

CAP. III. *Nulla reprehenſione dignos eſſe Catholicos Doctores, qui cenſent librum* Paſtoris *olim ab Hæreticis falſatum fuiſſe.* 229

CAP. IV. *Libros* Recognitionum *olim à S. Clemente ſcriptos, ab Ebionæis primùm, deinde etiam ab Arianis fuiſſe corruptos: adulteratos pariter fuiſſe, tàm Canones qui vulgò* Apoſtolorum *dicuntur, quàm libros* Conſtitutionum *Clementi Romano attributos.* 238

CAP. V. *Eum, qui ſeptem genuinas ſancti*

Ignatii Epiſtolas interpolavit, hæreſis convinci poſſe, aut ſaltem ſuſpectum haberi. 256

CAP. VI. *Dionyſii Corinthiorum Epiſcopi Epiſtolas, ipſo adhuc ſuperſtite, à falſariis quibuſdam miniſtris Diaboli corruptas fuiſſe; Clementis Alexandrini libros Hypotypoſeon ab Hæreticis fuiſſe miſerè deformatos: Idem piè ac prudenter credi poſſe de quibuſdam aliis ejuſdem Clementis lucubrationibus.* 261

CAP. VII. *Origenis ſaltem libros aliquot ab Hæreticis fuiſſe falſatos.* 270

CAP. VIII. *Sanctum Auguſtinum illis ſeſe adjunxiſſe, qui exiſtimarunt ab Hæreticis ea eſſe malitioſè ſuppreſſa, quibus ſanctus Cyprianus ſuum de Baptiſmo errorem correxerat.* 290

CAP. IX. *Non poſſe reprehendi, ſi quis nunc contendat Dionyſii Alexandrini libros olim ab obtrectatoribus ejus fuiſſe corruptos.* 293

CAP. X. *Alfii Cæciliani Epiſtolam ab Ingentio Donatiſta fuiſſe falſatam: Item veteribus quibuſdam Actis multa eſſe addita ab iiſdem Donatiſtis.* 300

CAP. XI. *Falſatum fuiſſe à Rufino titulum Apologetici pro Origene libri, & Pamphilo Martyri librum eſſe fraudulenter attributum, qui erat Euſebii Cæſarienſis.* 305

CAP. XII. *Adulteratam olim fuiſſe à Neſtorianis ſancti Athanaſii ad Epictetum Epiſtolam: Similem, aut etiam majorem com-*

miſſam eſſe fraudem in litteris Philippi Preſbyteri Romani & Cyrilli Alexandrini. 316

CAP. XIII. *Quædam ſanctorum Hieronymi, Auguſtini, Iſidori & Bernardi opuſcula minora ab Arnaldo quodam Hæretico Albigenſi eſſe corrupta.* 325

CAP. XIV. *Sancti Cyrilli Alexandrini opera olim à Dioſcoro, à Timotheo Æluro, ſed maximè à Severianis Acephaliſque corrupta fuiſſe. Item ab iiſdem Hæreticis adulterata fuiſſe quædam dicta ſancti Ambroſii Mediolanenſis & Procli Conſtantinopolitani.* 327

CAP. XV. *Sub Anaſtaſio Imperatore falſatam fuiſſe à Xenaïa, Eleuſino aliiſque Synodi Chalcedonenſis impugnatoribus fidei formulam, quam Epiſcopus Hieroſolymitanus ſcripſerat.* 338

CAP. XVI. *Euſebii Theſſalonicenſis Epiſcopi Epiſtolam ad Gregorium Magnum ab Andrea Monacho Hæretico fuiſſe falſatam.* 341

CAP. XVII. *Multa olim exemplaria, quibus Acta quintæ Synodi continebantur, fuiſſe ab Hæreticis falſata.* 345

CAP. XVIII. *Falſatas fuiſſe à Photio Conſtantinopolitano Epiſtolas ſummorum Pontificum Nicolai & Joannis.* 365

CAP. XIX. *Ab Arianis falſatum fuiſſe Aëtii opuſculum* de ingenito Deo ac genito. 369

CAP. XX. *Apollinarii libros ab ejus diſcipu-*

tis Polemio, Timotheo aliiſque fuiſſe adulteratos. 374

PARS SECUNDA.

Sancti Hilarii Codices, qui olim in Aquiſgranenſi Palatio ſervabantur, à Felice Orgelitano Epiſcopo fuiſſe adulteratos. 381

CAP. I. *Proponitur ſancti Hilarii locus, de quo controvertitur.* 384

CAP. II. *Quid ea de re Hincmarus tradiderit.* 386

CAP. III. *Hincmari narrationem confirmari auctoritate veteris manuſcripti Codicis, quem laudavit Cuſtantius.* 391

CAP. IV. *Nulla eſſe argumenta, propter quæ Cuſtantius negat eſſe veriſimilem Hincmari narrationem.* 395

CAP. V. *Alcuini teſtimonio credibilem reddi Hincmari narrationem.* 401

CAP. VI. *Felicianæ Lectioni antiqui Scriptores faveantne, an adverſentur.* 416

CAP. VII. *Utri Lectioni faveant antiquæ Editiones, & manuſcripti Codices.* 425

CAP. VIII. *De Codicibus Colbertino & Carnutenſi.* 431

CAP. IX. *De Codice Vaticano.* 446

CAP. X. *Inductam à Felice in Aquiſgranenſes Codices lectionem, ſuſpectam reddi ex ipſo*

ſancti Hilarii ſtylo ac ratione loquendi. 456
CAP. XI. *Utram lectionem, Felicianamne, an aliam, ſancti Hilarii ſcopus atque orationis ſeries exigat.* 470
CAP. XII. *Petita ex Dionyſii Petavii teſtimonio objectio diluitur.* 478

PARS TERTIA.

Editum inter opera ſancti Auguſtini librum *contra quinque hoſtium genera*, à Gotheſcalci aſſeclis fuiſſe adulteratum. 483
CAP. I. *Liber* contra quinque hoſtium genera, *Auguſtinumne, an alium auctorem habeat, controverſum eſt: controverſiam hanc definire non neceſſe eſt ad præſentem cauſam pertractandam.* 486
CAP. II. *Hincmaruſne, an Gotheſcalcus veritatis partes defenderint in ea controverſia, quæ adulterandi libri* contra quinque hoſtium genera *occaſionem dedit, nihil nunc attinet definire.* 492
CAP. III. *Falſatum fuiſſe ſeculo nono librum* contra quinque hoſtium genera, *qui tum ſancto Auguſtino unanimi omnium conſenſu tribuebatur: atque id demonſtratum eſſe ab Hincmaro in Concilio Sueſſionenſi.* 496
CAP. IV. *Librum Regi Carolo oblatum recenter ſcriptum fuiſſe, & poſt exortam de non dicenda trina Deitate controverſiam.* 504

CAP. V. *Quaterniones, in quibus adventitiæ illa verba*, Gratias tibi vera & una Trinitas &c. *reperta ſunt, nonniſi temerè dici poſſe ſcriptos ante ortam de non dicenda trina Deitate controverſiam.* 512

CAP. VI. *Corruptum fuiſſe exemplar, ex quo, & liber Regi oblatus, & noviter ſcripti Quaterniones tranſcripti ſunt.* 517

CAP. VII. *Superinductam in libro* contra quinque hoſtium genera *ſententiam, adjectam fuiſſe malà fide, nullà neceſſitate, nullà auctoritate id flagitante.* 522

CAP. VIII. *Inductæ in librum* contra quinque hoſtium genera *ſententiæ crimen, in Gotheſcalci amicos jure ac meritò transferri.* 531

CAP. IX. *Excuſari non poſſe illos operum ſancti Auguſtini Editores, qui adventitiam illam ſententiam, vel in textum invexerunt, vel invectam ab aliis retinuerunt.* 537

CAP. X. *Lectionem, quam genuinam eſſe Hincmarus oſtendit, ita præteritam eſſe à noviſſimis operum ſancti Auguſtini Editoribus, ut ne in notis quidem illius meminerint.* 543

CAP. XI. *Corbeienſes aliquot manuſcriptos codices aliquatenus eſſe ſuſpectos.* 548

PARS QUARTA.

Non invehi in Religionem Pyrrhoniſmum,

nec inconcuſſa ſacræ Traditionis fundamenta convelli, etiamſi demonſtretur nonnulla Sanctorum Patrum opera ab Hæreticis olim fuiſſe adulterata. 558

CAP. I. *Cùm adulteratum eſſe librum Scriptoris alicujus teſtimonio comprobamus, teſtem adhibendum eſſe fide dignum, qui nec mentiri, nec faciliores leviſſimis rumoribus aures præbere ſoleat.* 560

CAP. II. *Si quando videntur Sancti Patres, aut ſecum ipſi pugnare, aut locuti duriora, nec rectæ fidei ſatis conſona, libros eorum non debere idcirco dici adulteratos, niſi reipsà adulteratos fuiſſe aliunde conſtet.* 571

CAP. III. *Etiamſi nonnulla Patrum opera malis artibus adulterata fuerint, non eſſe idcirco cœteras omnes ipſorum lucubrationes in ſuſpicionem falſi adducendas.* 591

CAP. IV. *Pluribus Patrum operibus, quæ ab Hæreticis vitiata fuiſſe conſtabat, fidem eſſe abrogatam.* 596

CAP. V. *Perfidè ab Hæreticis inducta in Patrum libros loca multa, vel jam emendata eſſe, vel facilè emendari poſſe.* 602

CAP. VI. *Cùm veteres Scriptores non diſtinctè ea deſignarunt loca, quæ ab Hæreticis corrupta fuerant; tamen quænam illa ſint, facilè conjici, modò ſciamus, quænam opera & à quibus Hæreticis fuerint corrupta.* 609

CAAP. VII. *Traditionem non erui ex uno tan-*

tùm Patre, ſed ex pluribus, imò ex omnium aut ferè omnium unanimi conſenſu. 613

CAP. VIII. *Non ſolis ſanctorum Patrum libris Traditionem contineri.* 619

CAP. IX. *Omnium, aut ferè omnium Patrum opera depravationis ſuſpecta haberi non poſſe, ab iis qui credunt Eccleſiam errare non poſſe.* 623

DE
VETERIBUS HÆRETICIS
ECCLESIASTICORUM
CODICUM
CORRUPTORIBUS.

CUm in Concertationibus litterariis uſu veniat, ut alter alterius verba non ſic accipiat, ut dicta ſunt, diſputaturus de falſariis Eccleſiaſticorum Codicum Corruptoribus neceſſarium eſſe puto, quædam præmittere, quæ quanquam eruditis hominibus non incognita, hoc tamen in loco præteriri non poſſunt, ne aliam ab ea quam habeo mentem mihi Lector affingat.

I. Ac primò quiſquis exaratos manu codices aliquot viderit, atque oculis perlegerit, non ignorat in his menda paſſim occurrere; vixque unum aut alterum codicem inter multos reperiri, qui non iſtâ labe ſqualeat. Atque hoc ita verum eſt, ut qui novas ve-

terum librorum editiones procurant, interdum Lectorem ipſi ultrò atque ingenuè admoneant, nævis mendiſque non caruiſſe ſcriptos codices, ad quos Editionem ſuam adornarunt & caſtigarunt, etiam illos quos plurimi faciunt, quos appellant *optimæ notæ*.

II. Neque minus certum eſt menda hæc, quæ ut plurimùm levia ſunt, interdum tamen gravia eſſe, aliquando etiam maximi momenti. Iſtud ſi quis fortaſſe in dubium revocet, variantes conſulat lectiones in plurimis antiquiorum Scriptorum editionibus ſedulò collectas In his obſervabit alias quidem, quarum utram amplectaris parvi admodum interſit; alias verò, quarum altera alteri anteponi non poſſit ſine aliquo Religionis Catholicæ commodo aut incommodo. Ubi autem variæ ſunt lectiones, ibi manifeſtum eſt ex pluribus unam dumtaxat genuinam, cæteras vulgò eſſe mendoſas.

III. Facilè etiam fatebuntur omnes, ut puto, neminem hactenùs eò inſaniæ deveniſſe, ut ſibi fingeret menda illa, quibus manuſcripti libri paſſim fœdantur, omnia conſultò ac perfidè inducta fuiſſe. Nam ut pro certo nunc ponamus, vitia quædam in libros invecta eſſe malitiâ hominum: nemo tamen dubitat, quin multò plura ſine dolo malo obrepſerint.

IV. Prima igitur mendorum, quæ in ſcriptis manu codicibus habentur, ac præcipua cauſa eſt, Librariorum Amanuenſium oſcitantia. Illi enim dum aliena opera feſtinant deſcribere, alia prætermittunt incautè, alia etiam aliter quàm ſcripta ſunt exprimunt; decepti modò elementorum ſimilitudine, cùm exemplar obverſatur oculis; modò ſonorum, cùm ſcribenda ex dictantis ore excipiunt. Neque, ut ſunt res humanæ, ſperandum eſt, fore ut hujuſmodi peccata, quæ eruditis etiam hominibus ſæpenumero excidunt, rudes ac imperiti Amanuenſes omnino præcaveant. Verum iſtud ipſis etiam atque etiam injungendum, exſcripta à ſe exemplaria ut relegant ſtudiosè, ſollicitè conferant cum autographo, & quæ in his menda animadverterint, accuratè corrigant.

V. Hoc ipſum videtur olim providiſſe ſplendidiſſimum Galliæ noſtræ lumen ſanctus Irenæus; quippe metuens ne Librariorum culpâ lucubrationes ſuæ mendis aliquot fœdarentur, in fine Commentarii *de Octava* ſic ſubſcripſerat: [a] *Adjuro te qui tranſcribis*

[a] Iren. Edit. Oxon. pag. 463. novæ Pariſ. pag. 339.

Ὁρκίζω σε τὸν μεταγραψόμενον τὸ βιβλίον τοῦτο, κατὰ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, καὶ κατὰ τῆς ἐνδόξου παρουσίας αὐτοῦ, ἧς ἔρχεται κρῖναι ζῶντας καὶ νεκρούς, ἵνα ἀντιβάλῃς ὃ μετεγράψω, καὶ κατορθώσῃς αὐτὸ πρὸς ἀντίγραφον τοῦτο, ὅθεν μετεγράψω, ἐπιμελῶς· καὶ τὸν ὅρκον τοῦτον ὁμοίως μεταγράψῃς, καὶ θήσεις ἐν τῷ ἀντιγράφῳ.

hunc librum, per Dominum Jeſum Chriſtum, & per glorioſum ejus adventum, quo judicaturus eſt vivos & mortuos; ut conferas poſtquam tranſcripſeris, & emendes illum ad exemplar unde ſcripſiſti, diligentiſſimè: hanc quoque obteſtationem ſimiliter transferas, ut inveniſti in exemplari. Intelligebat nimirum vir eruditus & Apoſtolicis temporibus vicinus, vix fieri poſſe, ut qui in deſcribendis libris operam ſuam collocant, non dormitent interdum, & per oſcitantiam oberrent. Quare non aliud precatur & adjurat, quàm ut ſcripta conferant & diligentiſſimè emendent ad exemplar, unde ſcripſerunt.

VI. Quàm ſanctiſſimi Epiſcopi ac Martyris cautionem & plenam prudentiâ proviſionem ratam habuerunt, ſuoque calculo confirmarunt, qui hanc ipſius obteſtationem ſuis in ſcriptis integram repræſentarunt doctiſſimi Patres, & in Antiquorum libris ſtudiosè volutati Euſebius [a] atque Hieronymus [b], cujus verbis illam latinè retulimus. Eandem etiam imitatus eſt Rufinus in Prologo, quem latinæ librorum Origenis περὶ ἀρχῶν interpretationi præfixit: ubi ſimiliter, *omnem qui hos libros deſcripturus eſt vel lecturus* [c], *conteſtatur, ut conferat cum exem-*

[a] Euſeb Hiſt.Eccl. lib.5. cap. 20. Valeſii 2. Edit. pag. 152.

[b] Hier. novæ Edit. tom. 4. part.2. cat. ſcript. Eccleſ.cap. 35. pag. 112.

[c] Apud Hier. tom. 5. novæ

pluribus, unde conſcripſerat, & emendet ad litteram, & diſtinguat; & inemendatum vel indiſtinctum codicem non habeat; ne ſenſuum difficultas, ſi diſtinctus codex non ſit, majores difficultates legentibus generet. Quam diligentiam à celeberrimis Scriptoribus enixè commendatam, ſi Librarii Amanuenſes ſemper adhibuiſſent, pluribus maculis, quibus aſperguntur, veteres libri nunc hodie carerent.

VII. Altera mendorum cauſa fuit imperita quorumdam hominum temeritas, qui cùm pro tenuitate ſua Auctoris mentem aſſequi non valerent, rati mendum eſſe, ubi non erat, verba aliquot aut ſuppleverunt de ſuo, aut ſuſtulerunt, aut immutaverunt. Quorum audacem imperitiam ſanctus Hieronymus his verbis reprehendit: [a] *Scribunt, non quod inveniunt, ſed quod intelligunt: & dum alienos errores emendare nituntur, oſtendunt ſuos.*

VIII. Tertia mendorum cauſa eſt, quòd quidam cùm aliena opera ad proprios ſuos uſus tranſcriberent, ea prætermiſerint, quæ minus placebant ſibi, aut minus pro tempore neceſſaria erant; atque ita Veterum ſcripta miſerum in modum dilaniaverint. Quam libris ſuis ſtragem timuiſſe vi-

Edit. pag. 255.
[a] Tom. 4. N. Ed. part. 2. Epiſt. 52. ad Lucinium. pag. 578.

detur Gregorius Turonenſis, ubi Epiſcopos aliquando ſibi ſucceſſuros ſic alloquitur[a]: *Decem libros Hiſtoriarum, ſeptem Miraculorum, unum de Vitis Patrum ſcripſi: in Pſalterii tractatum librum unum commentatus ſum: de curſibus etiam Eccleſiaſticis unum librum condidi. Quos libros licèt ſtilo ruſticiori conſcripſerim, tamen conjuro omnes Sacerdotes Domini, qui poſt me humilem Eccleſiam Turonenſem ſunt recturi, per adventum Domini noſtri Jeſu-Chriſti, ac terribilem reis omnibus Judicii diem, ſi nunquam confuſi de ipſo Judicio diſcedentes cum Diabolo condemnandi eſtis, ut nunquam libros hos abolere faciatis, aut reſcribi quaſi quædam legentes, & quaſi quædam prætermittentes: ſed ita omnia vobiſcum integra inlibataque permaneant, ſicut à nobis relicta ſunt.* Quod ſanè ſanctus ille Præſul futuros ſucceſſores ſuos non ſic rogaſſet, ſi nemo tunc libros mutilaſſet, iis præteritis atque abolitis quæ minùs arridebant. Neque tamen quod timuit Gregorius & tam ſollicitè conatus eſt prævertere, effugere omnino potuit; ſiquidem etiamnum[b] extant in Bibliothecarum forulis miſerè truncata operum ipſius exemplaria non pauca.

IX. Alia mendorum cauſa eſt longinquitas temporum & injuria. Interdum enim

[a] Hiſtoriar. lib. 10. num. 19. N. Edit. pag. 537.

[b] Greg. Tur. N.Edit. Præf. num. 89.

accidit, ut qui veteres libros exſcribebant, cùm exemplaria aliquâ ſui parte lacerata haberent, nec evanidos fugientium litterarum apices legendo aſſequerentur, conati fuerint ipſi ſupplere quod mutilum erat, & quod deerat reſtituere: conjectura aliquando felici, ſed ſæpiùs falſa & vana; præſertim cùm illi non erant admodum periti.

X. Has atque alias, ſi quæ ſunt, mendorum cauſas paucioribus verbis & ſtrictim [a] alibi indicaveram, cùm dixi menda, quæ in ſcriptis manu codicibus occurrunt, in Librarios *ut plurimum* rejici debere; *plerumque* illa per inſcitiam negligentiamve irrepſiſſe. Eadem tamen paulò fuſius, nec ſine Veterum teſtimonio hoc in loco repetere juvat; ne quia poſtmodùm longo ordine enumeraturus ſum veteres Hæreticos Eccleſiaſticorum Codicum Corruptores, quiſpiam ſibi falsò perſuadeat, me in eâ eſſe hæreſi ut putem menda librorum omnia in ſolos falſarios eſſe refundenda. Ita ſentire, imperiti eſſet hominis, ne dicam ſtolidi, cùm pleraque manuſcriptorum librorum vitia ſint ejuſmodi, ut data opera & conſultò invecta dici omnino non poſſint. Neque verò ſi inter Hæreticos falſa-

[a] In Append. ad Diſcept. 2. de veter. Reg. Franc. Diplom. pag. 358. & 359.

rii fuerunt non pauci, idcirco credendum eſt Hæreticos omnes fuiſſe falſarios, aut falſarios in omnia antiquorum Scriptorum opera licenter eſſe graſſatos, aut librorum, quos violaverunt, exemplaria omnia habuiſſe in manibus.

XI. Quare vehementer admiror, ab erudito Monacho Petro Cuſtantio quæri ſeriò potuiſſe [a]: *An prudentis ſit .... propter quatuor aut quinque Hæreticos, qui perpaucas voculas ſuppreſſiſſent aut depravaſſent: mundum adulteratoribus librorum ſemper refertum fuiſſe credere, eorumque timere fidei codicum, quos Majores noſtri ſummo nobis ſtudio tranſmiſerunt.* Neque enim iſta opinatio imprudentis eſſet hominis tantùm, ſed etiam delirantis, atque impiè delirantis. Quis enim ſanæ mentis, nec planè delirus, *credat mundum adulteratoribus librorum ſemper refertum fuiſſe, eorumque timeat fidei codicum, quos Majores noſtri ſummo nobis ſtudio tranſmiſerunt*; atque illud credat, & hoc timeat *propter quatuor aut quinque Hæreticos qui perpaucas voculas ſuppreſſiſſent aut depravaſſent?* Antiquioribus quibuſdam ſæculis extitiſſe librorum corruptores; non quatuor aut quinque, ſed multò plures, vir prudens affirmare poteſt, atque etiam demonſtrare: ſed credere mundum adulteratoribus libro-

[a] Vind. manuſcript. Cod. pag. 47.

rum ſemper refertum fuiſſe, cœca eſt & falſa fervidioris animi ac ſeſe vanis imaginibus paſcentis exaggeratio. Vir conſultus & prudens timet eorum fidei codicum, quos Hæretica manus porrigit: at illorum etiam fidei timere, quos Majores noſtri ſummo nobis ſtudio tranſmiſerunt; atque hunc timorem animo concipere, propter quatuor aut quinque Hæreticos, qui perpaucas voculas ſuppreſſiſſent aut depravaſſent, ſomnium eſt delirantis hominis. Neque ſomnium eſt tantùm, ſed plenum impietate ſomnium; qui enim tam inſanam formidinem ſemel imbibit, ille ſuſpecta habeat neceſſe eſt omnia Chriſtianæ doctrinæ inſtrumenta, quæ à Majoribus noſtris ſtudiosè tradita ſuſcipimus cum veneratione, & religiosè cuſtodimus: quod quàm impium ſit, quàm abſurdum, nemo non videt.

XII. Ablegatâ ergo & procul amandatâ hujuſmodi opinatione, cui nemo, niſi amens & impius, ſubſcribere velit, duo aut tria ſtatuo certiſſima quidem, ſed quibuſdam eruditis hominibus non ſatis perſpecta. Primum eſt variis ſæculis extitiſſe perfidos homines aliquot, qui ſuos Sacrarum Litterarum codices & Patrum libros quos habebant in manibus, ſtylo adultero improbè corruperint. Alterum, hujus perfidiæ auctores fuiſſe Hæreticos, non Catholicos.

Utrumque hoc in loco demonſtrare neceſſarium puto & utile: neceſſarium, quia nonnullis Scriptoribus placuit utrumque in controverſiam vocare: utile, quia nocere non poteſt falſariorum nequitia, ubi ſemel detecta eſt, atque hujus auctores innotuerunt.

XIII. Ac primò extitiſſe variis ſæculis falſarios aliquot, qui Eccleſiaſtica monumenta adulterare conati ſint, non videtur perſuaſum erudito Monacho Domno Petro Cuſtantio: imò opinionem hanc periculoſam judicat & Chriſtianæ Religioni noxiam. Ait [a] enim eum, qui falſariorum in adulterandis Sacrarum Litterarum codicibus Patrumque operibus perfidiam reprehendit, *ſic paulatim procedere, quo non modò veteres ſanctorum Patrum, ſed & longè magis Sacrarum Paginarum codices ſuſpectos faciat, atque adeo Pyrrhoniſmum, quantumvis ab eo abhorrere ſe reclamet, in religionem vel nolens inducat.* Quod qui pronuntiat, neceſſe eſt, ut vel exiſtimet nullos Sacrarum Litterarum codices, nullos Patrum libros fuiſſe unquam perfidè adulteratos: vel ipſe *non modò veteres ſanctorum Patrum, ſed & longè magis Sacrarum Paginarum codices ſuſpectos haberi velit.* Et quia pietas non ſinit, tam ſceleratam ſuſpicionem imponi viro Religio-

[a] Vindiciæ veterum Codicum, pag. 47.

ſo; reliquum eſt ut ipſe dicatur falſarios omnes ab adulteratorum veterum codicum crimine abſolvere. Non debere autem ab hoc crimine planè abſolvi, ſed plures reipſâ hujus nequitiæ convictos olim fuiſſe, multis argumentis oſtenditur.

XIV. Manifeſtatis autem veterum falſariorum fraudibus, non parvi intereſt ut ſciamus, harumne architecti Eccleſiæ Catholicæ filii fuerint, an hoſtes. Quippe poſterioris ſæculi Hæretici omne adulteratorum Librorum Eccleſiaſticorum crimen atque invidiam, pro ſuo in Monaſticum Ordinem odio, rejicere conati ſunt in ſolos Monachos: temere profectò & calumnioſè. Nam licèt non negem reperiri in Monaſteriorum ſcriniis aliquot manuſcriptos codices imperfectos aut vitiatos: non eſt tamen exiſtimandum hæc vitia dolo malo ſemper invecta fuiſſe. Aliquando ſcribebant Monachi Patrum opera non aliis, ſed ſibi: aliquando Librarii, viri ſimplices, nec admodum periti, *ſcribebant*, ut ait Hieronymus, *non quod inveniebant, ſed quod intelligebant.* Quare ſicubi culpandi ſunt, imperitiæ aut temeritatis redargui debent, non fraudis & impoſturæ.

XV. Enimverò, ne perverſi quidem homines, malis artibus uti ſolent; niſi ubi ex fraude ſua aliquid emolumenti ſperant. In

iis autem quæ manuſcripti codices fortaſſe addita habent, prætermiſſa & immutata, ſæpiſſimè nulla elucet ſpecies commodi, quæ illorum animos, à quibus codices exſcripti ſunt, allicere potuiſſet. Contra verò cauſa eſt, eaque manifeſta, cur novarum partium doctores criminationem, quamvis plerumque temerariam & falſam, in vulgus ſpargant. Sentiunt illi impia ſua dogmata novitatis atque adeò falſitatis convinci poſſe veterum Patrum teſtimoniis, iiſque teſtimoniis, quæ nullo pacto declinari poſſint. Quapropter ipſorum intereſt manuſcriptos veterum Patrum codices ſuſpectos reddere. Verùm ejuſmodi ſuſpicionem, plenam temeritatis, nec ullâ ſubnixam ratione quis non aſpernetur? *Si conceditur*, inquit [a] Hieronymus, *ut quidquid in libris omnium reperitur, ab aliis corruptum ſit, nihil eorum erit quorum fertur nominibus*. Liceat ſanè iis, qui veteres libros exſcripſerunt, aut habuerunt in ſua poteſtate, crimen falſi inferre: at certè non licet tam gravem accuſationem cuiquam intendere, ſine teſte, ſine argumento, ex inani & maligna ſuſpicione.

XVI. Multò prudentiùs facerent & veriùs Rivetus cœterique Hæretici, ſi crimi-

[a] Nov. Edit. tom. 4. part. 2. lib. 2. adverſus Rufinum, pag. 409.

nationem, quam temerè Catholicis obtrudunt, in ſui ſimiles viros antiquiores Hæreticos rejeciſſent. Neque enim argumenta deſunt & teſtimonia, quibus oſtendatur plures è veteribus Hæreticis impuras olim manus intuliſſe in ſuos Sacrarum Litterarum codices, in genuina Patrum opera, in Acta Conciliorum & Collectiones Canonum, in Epiſtolas ſummorum Pontificum, atque etiam in Hæreticorum alterius ſectæ, imò in ipſos Magiſtrorum ſuorum libros.

Quæ cùm ita ſint, propoſitam ſuperiùs geminam quæſtionem non dividam: iiſdemque argumentis oſtendam, nec poſſe falſarios ab adulteratorum veterum librorum crimine omnes abſolvi; & hujus tanti ſceleris invidiam in Hæreticos potiſſimùm rejici debere. Quare ſi ſolis Riveti aliorumque Novatorum calumniis deterritus Cuſtantius refugit fateri, non paucos variis ſæculis extitiſſe falſarios, qui nonnulla Eccleſiaſticorum monumentorum exemplaria depravare non erubuerint, poteſt jam inani poſitâ formidine, quod verum eſt, ultrò confiteri. Siquidem à quibus accipimus corruptos olim fuiſſe aliquot Eccleſiaſticos codices, illi ipſi teſtantur fraudem hanc ſolis Hæreticis fuiſſe familiarem. Verùm timet prætereà vir Religioſus, ne *non modò veteres*

ſanctorum Patrum, ſed & longè magis Sacrarum Paginarum codices, ſuſpecti fiant, atque adeò Pyrrhoniſmus in religionem inducatur, ſi vel ipſi Hæretici dicantur, & ſuos divinorum Librorum codices, & Patrum exemplaria quibus utebantur, interdum adulteraſſe: igitur & ab hoc altero metu etiam liberandus eſt, ac demonſtrandum falſariorum pravas artes & dolos nec firmiſſimæ Sacrarum Litterarum integritati, nec certiſſimæ Patrum Traditionis auctoritati ullo pacto officere potuiſſe.

XVIII. Hujus ergo noſtræ lucubrationis is erit potiſſimùm fructus, ut perſpectâ magis ac magis tum ſubdolâ veterum Hæreticorum aſtutiâ, tum inconcuſſâ Eccleſiæ Catholicæ firmitate, illis quidem diffidamus, Eccleſiæ verò, quam ſine ullo errandi periculo ſequimur, conſtantiùs adhæreamus.

XIX. Atque ut res ordine procedat, Tractatum hunc in duos dividemus Libros: in quorum quidem priori agemus de Hæreticis Sacrorum Librorum corruptoribus: in poſteriori verò de aliorum Eccleſiaſticorum codicum corruptoribus pariter Hæreticis. Prior Liber duas rursùm continebit partes; in eo enim impiam veterum Hæreticorum licentiam in ſuis divinorum Librorum codicibus adulterandis ſic reprehendemus, ut ſimul probaturi ſimus

iſtorum ſcelus certiſſimæ eorum codicum, quos Eccleſia Catholica legit, integritati nihil nocuiſſe. Poſterioris Libri partes erunt quatuor: prima deteget varias Hæreticorum fraudes, opera Patrum aliaque monumenta Eccleſiaſtica adulterantium: in ſecunda de Felice Orgelitano, in tertia de Gotheſcalci fautoribus ſigillatim diſputabitur; oſtendeturque eorum in falſandis libris perfidiam excuſari non poſſe. Demonſtrabit poſtrema ſuam Traditioni Patrum auctoritatem firmam atque illibatam permanere, nec huic quidquam Hæreticorum ſcelere eſſe detractum.

In his autem pertractandis eò verſabor tutiùs, quòd Sanctorum Patrum veſtigiis religiosè & conſtanter inſiſtam. Nullis Hæreticis falſi crimen exprobraturus ſum, quod non ipſis priùs antiqui & probatiſſimi Doctores exprobraverint. Si quis verò ſeptum me tam firmo munimine laceſſere adhuc voluerit & Pyrrhoniſmi idcircò accuſare, reſpondebo cum ſancto Auguſtino [a]: *Cernis cùm quibus tua maledicta ſuſtineam, cernis cùm quibus mihi ſit cauſa communis, quàm..... pulſare calumniis & expugnare conaris? cernis quàm tibi pernicioſum ſit, tam horribile crimen objicere talibus, & quàm mihiglorioſum, quodlibet crimen audire cum talibus?*

[a] Lib. I. cont. Julian. n. 12. N. Edit. tom. 10. pag. 502. & 503.

LIBER PRIMUS.

De veteribus Hæreticis ſacrorum Codicum corruptoribus.

QUI in iis rebus diſputando verſantur, quæ ad Religionem Chriſtianam pertinent, in id diligenter animum debent intendere, ut ne quid temerè ſtatuant, unde dogmata Catholica, & ſacra doctrinæ Chriſti inſtrumenta aliquâ ratione convellantur. At iſtud vitium dum vitamus, magnopere etiam cavendum eſt ne curramus in contrarium, atque inani metu perculſi refugiamus admittere, quod certis atque evidentibus argumentis verum eſſe conſtat. Sic enim dogmata atque adeò Religionem ipſam, quæ dogmata omnia complectitur, profanorum hominum deſpicatui exponimus atque deriſioni. Nam ſi ſemel concedimus cum Eccleſiæ Catholicæ Decretis ea pugnare, quæ vel recta ratio, vel conſtans omnium temporum traditio vera eſſe manifeſtè demonſtrat; non eſt ſperandum fore ut quæ planè

planè perſpecta ſunt, impietas abjiciat ad fidem ſuſcipiendam: ſed illis potiùs abutetur ad Religionem impugnandam. Illud non ſatis providiſſe videtur Domnus Petrus Cuſtantius, cùm ſcripſit ſuſpectos fieri Divinos Libros, ſi veteres Hæretici ſuos ipſorum codices adulteraſſe dicantur. Nam ſi ita eſt, ut vir eruditus affirmat; ſi confeſſa ſemel veterum Hæreticorum in corrumpendis Sacrarum Litterarum exemplaribus aliquot perfidia noſtris etiam codicibus ſuſpicionem falſi importat, ut ipſe contendit: quo tandem pacto inviolatam Divinorum Librorum integritatem tuebitur? Hæreticos omnes ab impacto ipſis crimine liberabit? Sic arma ſubminiſtrat impietati, quæ ipſum in tam anguſto tamque iniquo loco poſitum infinitâ teſtium multitudine obruet. Nos ne in ſimile incommodum incurramus: & ſtatuemus, quod verum eſt; nempe inter veteres Hæreticos fuiſſe plures Sacrorum Codicum corruptores: & quod inde falsò colligitur, ſummo ſtudio rejiciemus, demonſtrabimuſque falſarios Hæreticos infamiam ſibi ſcelere ſuo inuſſiſſe; Divinis Libris, prout in Eccleſia Catholica leguntur, nullam ſuſpicionem falſi aſperſiſſe.

PARS PRIMA.

Plurimos è veteribus Hæreticis ſuos Sacrorum Librorum codices olim adulteraſſe.

SAcras Litteras manu ſacrilegâ violare tam impium, tam deteſtabile ſcelus eſt, ut quibuſdam videatur incredibile, iſtud ab Hæreticis olim perpetratum. Equidem fateor inter Hæreſum ſectatores reperiri plurimos, qui non tam proprio conſilio, quàm alienis fraudibus, vel hauſtis ab infantia præjudiciis in hæreſim miſerè delabuntur. Hi porrò etſi excuſationem non habent, cùm Eccleſiam audire detrectant: tamen ſe ſe in cæteris ab impietatis & perfidiæ crimine immunes aliquando præſtant. Hujuſmodi homines ab adulterandis Sacris Codicibus abhorruiſſe dicantur, per me licet; neque enim in eos cadit accuſatio noſtra; ſed potiùs in ipſos veterum Hæreſum inventores vel magiſtros: inter quos dico extitiſſe non paucos, qui ſua Sacrarum Litterarum exemplaria dolo malo falſaverint. Quod, ut faciliùs in animum ſuum inducant, qui confiteri abnuunt; primò quidem explicabimus, quodnam veterum Hæreſiarcharum ingenium fuerit, quàm pronum

ad fraudem & malas artes : deinde oſtendemus crimen falſi, quod Hæreticis exprobramus, Judæis ipſis ac Judaïzantibus Hæreticis olim à Patribus objectum fuiſſe. Denique demonſtrabimus plurimos veteres Hæreticos eodem crimine falſi fuiſſe accuſatos & convictos.

Caput primum.

Veterum Hæreſum magiſtros nonniſi dolis & pravis artibus ſuas ſectas propagaſſe.

VEterum Hæreſiarcharum ingenium & fraudes ſi quis ignorat, conſulat vetera Eccleſiæ monumenta, maximè verò Apoſtolorum atque Apoſtolicorum hominum Scripta & Epiſtolas. Ex his enim diſcimus veteres Hæreſiarchas, qui vel in primis Eccleſiæ Chriſtianæ incunabulis non defuerunt [a], *ut & qui probati erant, manifeſti fierent*, non modò ambitioſos fuiſſe, ſuperbos, turpis lucri cupidos, ſed etiam fraudulentos & perfidos. Hinc *ſeductores, illuſores, & magiſtri mendaces* paſſim appellantur. Quare Chriſti gregem Apoſtolorum Princeps identidem præmonebat, ſibi ut diligenter caveret [b] à *magiſtris mendacibus*,

[a] 1. Cor. 11. 19.
[b] 2. Petr. 2. 1.

& ab iis qui [a] *venient in noviſſimis diebus in deceptione illuſores.* Neque iſtud oraculum tum primùm prænuntiatum eſt, cùm ſecundam ſuam Petrus Epiſtolam ſcripſit; ſimilia enim aut ipſum Petrum, aut alios Apoſtolos multò antè prædixiſſe, videtur apertè docere Judas his verbis [b]: *Memores eſtote verborum quæ prædicta ſunt ab Apoſtolis.... qui dicebant, quoniam in noviſſimo tempore venient illuſores.* Quorum oraculorum veritatem eventu fuiſſe confirmatam docet ſanctus Joannes, ubi ait [c], *ſeductores in mundum exiiſſe multos.*

Neque aliud poſtea ſenſit Apoſtolorum diſcipulus, idemque nobiliſſimus Martyr Ignatius, qui veteres Hæreticos appellat quidem [d] *rabidos canes* propter furorem & peſtiferos morſus: ſimul tamen admonet illos *conſueviſſe & mordere latenter & dolo malo nomen* ac dogmata ſua *circumferre.*

Et verò cùm [e] *introducant ſectas perditionis; &* [f] *concionatores ſint mortis magis quàm veritatis:* nihil mirum, ſi ſe ad dolos malos convertant, erroreſque ſuos ac decreta

[a] Ibid. 3. 3.

[b] Epiſt. Cath. 17. & 18.

[c] 2. Joan. 7.

[d] Ign. Epiſt. ad Eph. Edit. Uſſerii Arm. pag. 4.
Εἰώθασι γάρ τινες δόλῳ πονηρῷ τὸ ὄνομα περιφέρειν ..... εἰσὶν γὰρ κύνες λυσσῶντες, λαθροδήκοντες.

[e] 2. Petr. 2. 1.

[f] Ign. Epiſt. ad Smyrn. Edit. Uſſ. Arm. pag. 35.
Ὄντες συνήγοροι τοῦ θανάτου μᾶλλον ἢ τῆς ἀληθείας.

callidè admodùm, furtim ac per cuniculos diſſeminent, donec ſecta adoleverit. Quis enim ſe illis adjungat, ſi primo ſtatim congreſſu ſenſus animi & conſilia aperiant; atque halitus mortiferos auditoribus inſpirent? Venenum quiſquis propinat, venenum diſſimulet, neceſſe eſt.

Neque verò Apoſtoli paſſi ſunt perverſas Hæreticorum artes ignorari. 1. Prima illorum fraus ſolet eſſe falſa pietatis larva, quam induunt. *In hypocriſi* [a] *enim*, ait Paulus, *loquuntur mendacium*: [b] *habentes ſpeciem quidem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes.* 2. Externâ ſpecie pietatis facilè [c] *ſeducunt corda innocentium*: [d] *penetrant domos, & captivas ducunt mulierculas*. Mulierculas enim & ſimpliciores quoſque præ cæteris tentare amant vafri homines; quia multò faciliorem dolis aditum apud plebem imperitam, quàm apud Doctos eſſe norunt. 3. Hujuſmodi homines incautos verborum lenociniis ſibi devinciunt, atque [e] *per dulces ſermones ſeducunt.* 4. Tum verò innatam omnibus, etiam inexpertis & rudibus, curioſitatem & cupiditatem ſciendi ſollicitè exſtimulant: quo fit, ut deteſtandæ ipſorum diſciplinæ ſeſe tradant plurimi, [f] *ſemper diſ-*

[a] 1. ad Tim. 3. 2.
[b] 2. ad Tim. 3. 5.
[c] ad Rom. 16. 18.
[d] 2. ad Tim. 3. 6.
[e] ad Rom. 16. 18.
[f] 2. ad Tim. 3. 7.

centes, & nunquam ad ſcientiam veritatis pervenientes. 5. Denique ne impia ſectæ ſuæ Decreta probatione omninò carere videantur, dicta Pauli & *ſcripta* [a] *depravant, ſicut & cæteras ſcripturas, ad ſuam ipſorum perditionem.* Depravabant autem Scripturas Hæretici non ſolùm ſubdolâ ſenſûs interpretatione, ſed etiam verborum additamento aut detractione. Quod poſtremum videtur timere ac præcavere Joannes Apoſtolus, cùm in fine Apocalypſis comminando admonet, ne quis verba Prophetiæ ſuæ aliquid addendo aut detrahendo adulteret. *Conteſtor enim,* [b] inquit, *omni audienti verba Prophetiæ libri hujus : ſi quis appoſuerit ad hæc, apponet Deus ſuper illum plagas ſcriptas in libro iſto. Et ſi quis diminuerit de verbis libri Prophetiæ hujus, auferet Deus partem ejus de libro vitæ, & de veritate ſancta, & de his quæ ſcripta ſunt in libro iſto.* Atque hæ fuerunt vel ipsâ Apoſtolorum ætate Hæreticorum artes, quibus abducti quamplurimi [c] *circa fidem naufragaverunt.*

Neque ſucceſſione temporis imminuta eſt verſutorum hominum perfidia ; confirmata eſt potiùs & amplificata, dum poſteriores Hæretici alias aliis fraudes addunt, & antiquis novas ſubnectunt. Juvat eâ de re au-

[a] 2. Petr. 3. 16.
[b] Apocal. cap. 22. v. 18. & 19.
[c] 1. ad Tim. 1. 19.

dire Irenæum Lugdunenſem in hoc argumento verſatiſſimum. Sic ergo ille in Præfatione librorum quos adversùs hæreſes omnes ſcripſit. » Per eam, inquit[a], quæ eſt «
ſubdolè compoſita veriſimilitudo, tranſdu- «
cunt (Gnoſtici) ſenſus eorum qui ſunt in- «
expertiores; & in captivitatem ducunt eos, «
falſantes verba Domini, interpretatores mali «
eorum quæ benè dicta ſunt effecti; & mul- «
tos evertunt, abſtrahentes eos ſub occa- «
ſione agnitionis... quaſi altius & majus ha- «
bentes oſtendere, quàm eum qui cœlum & «
terram & omnia quæ in eis ſunt, fecit; ſua- «
denter quidem illi illiciunt per verborum «
artem ſimpliciores ad requirendi modum.... «
Error ſecundùm ſemetipſum non oſtendi- «
tur, ne denudatus fiat comprehenſibilis: «
ſuaſorio autem cooperimento ſubdolè ad- «
ornatus, & ipsâ veritate, ridiculum eſt di- «
cere, veriorem ſemetipſum præſtat, ut de- «
cipiat exteriori phantaſmate rudiores..... » «

[a] Iren. lib. 1. contr. Hær. Præf. novæ Edit. Par. pag. 2. Διὰ τῆς πανούργως συγκεκροτημένης πιθανότητος παράγουσι τὸν νοῦν τῶν ἀπειροτέρων, καὶ αἰχμαλωτίζουσιν αὐτοὺς, ῥαδιουργοῦντες τὰ λόγια Κυρίου, ἐξηγηταὶ κακοὶ τῶν καλῶς εἰρημένων γινόμενοι· καὶ πολλοὺς ἀνατρέπουσιν, ἀπάγοντες αὐτοὺς προφάσει γνώσεως..... ὡς ὑψηλότερόν τι καὶ μεῖζον ἔχοντες ἐπιδεῖξαι τοῦ τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν, καὶ πάντα τὰ ἐν αὐτοῖς πεποιηκότος Θεοῦ· πιθανῶς μὲν ἐπαγόμενοι διὰ λόγων τέχνης τοὺς ἀκεραίους εἰς τὸν τοῦ ζητεῖν τρόπον..... Ἡ γὰρ πλάνη καθ᾽ αὑτὴν μὲν οὐκ ἐπιδείκνυται, ἵνα μὴ γυμνωθεῖσα γένηται κατάφωρος· πιθανῷ δὲ περιβλήματι πανούργως κοσμουμένη, καὶ αὐτῆς τῆς ἀληθείας ἀληθεστέραν ἑαυτὴν παρέχειν φαίνεσθαι διὰ τῆς ἔξωθεν φαντασίας τοῖς ἀπειροτέροις.....

Ita Irenæus, qui in ipſa operis Præfatione Hæreticorum, quos apprimè noverat, perfidiam graphicè pingendam eſſe cenſuit; ut præmoniti Catholici caverent ſibi à magiſtris ſacrilegis, qui verba Domini, aut adulterant, aut diſtortâ interpretatione depravant; mendacibus, qui dum fœtidas impuriſſimæ hæreſis ſordes Catholicæ veritati ſubſtituunt, altiora quæque diſcipulis ſuis & ſublimiora promittunt; improbis, qui cùm eruditorum hominum ingenium timeant & perſpicaciam, ſimplicioribus potiſſimùm, rudibus atque inexpertis inſidias ſtruunt; perfidis, qui errorem, quem animo fovent, veritatis larva obtegere conantur; callidis denique & ſubdolis, qui delibuta blandorum verborum melle venena propinant.

Has aliaſque eorumdem Hæreticorum artes in ipſo etiam opere frequenter redarguit idem Irenæus. Unum tantummodò aut alterum referemus locum, ſed luculentum, in quo ille candidæ Apoſtolorum ſimplicitati verſutam Hæreticorum calliditatem opponit. » Doctrina Apoſtolorum, inquit [a],
» manifeſta & firma, & nihil ſubtrahens;
» neque alia quidem in abſcondito, alia in

[a] Iren. lib. 3. contr. Hær. cap. 15. nov. Edit. Pariſ. pag. 203. Iſte Irenæi locus habetur tantùm in veteri verſione Latina.

manifeſto docentium. Hoc enim fictorum, «
& pravè ſeducentium, & hypocritarum eſt «
molimen, quemadmodùm faciunt hi qui «
à Valentino ſunt. Hi enim ad multitudi- «
nem, propter eos qui ſunt ab Eccleſia, in- «
ferunt ſermones per quos capiunt ſimplicio- «
res, & illiciunt eos, ſimulantes noſtrum «
tractatum, ut ſæpiùs audiant». Solis Hæreticis nota eſt & familiaris hæc perfidia, ut aliter in abſcondito, aliter loquantur in manifeſto: meritóque ſuſpecta eſt illorum hominum doctrina, qui quod in domibus privatis garriunt & crebrò inſuſurrant in aurem, non audent coram plebe Catholicâ palam prædicare. Sic olim Valentiniani ac Gnoſtici, quoties coram multitudine habenda erat oratio, ſimulabant noſtram doctrinam; ne ſi apertè traderent profanas novitates, vel à viris Catholicis qui adeſſent redarguerentur, vel deterrerent multitudinem, quam allicere potiùs & ſibi devincire vehementer cupiebant. Quod ut obtinerent, ut ibidem addit Irenæus[a]: » queruntur de nobis, quòd cùm «
ſimilia nobiſcum ſentiant, ſine cauſa abſti- «
neamus nos à communicatione eorum; & «
cùm eadem dicant, & eandem habeant do- «
ctrinam, vocemus illos Hæreticos. » Quam Valentinianorum plenam perfidiâ diſſimu-

[a] Ibid.

lationem utinam nulli poſteriorum temporum Hæretici eſſent imitati!

Præterea Valentiniani, ut auditores ſuos ab Eccleſia avocarent, non his proponebant ſtatim doctrinæ ſuæ virus, ſed priùs variis fatigabant quæſtiunculis, quibus Catholicam myſteriorum fidem dubiam atque incertam reddere conabantur. [a] » Et cùm » dejecerint aliquos à fide per quæſtiones » quæ fiunt ab eis, & non contradicentes au- » ditores ſuos fecerint, his (demum) inenar- » rabile *plenitudinis* ſuæ enarrant myſterium ». Sinit autem Deus blandis ac ſuaſoriis Hæreticorum verbis in errorem abripi multos, quia earum quæ ad fidem pertinent quæſtionum judicium, quod ſolius Eccleſiæ eſt, ſibi illi temerè arrogant. » Decipiuntur au- » tem omnes, inquit [b] Irenæus, quia quod eſt » in verbis veriſimile, ſe putant poſſe diſcer- » nere à veritate. Suaſorius & veriſimilis eſt, » & exquirens fucos error: ſine fuco autem » eſt veritas, & propter hoc pueris credita » eſt.

At vide verſutorum hominum malitiam. Quia ſua ſentiunt placita non ſatis firmis ſuperſtructa fundamentis undequaque labaſcere: ne magiſtros diſcipuli importunis interrogationibus impediant & defatigent, quiſquis vel pauliſper repugnare & contrà

[a] Ibid. | [b] Ibid.

hiſcere audet, hujus deſpicitur tarditas, quaſi veritatem intelligentia conſequi non valeat; & niſi taceat, ex cœleſtium ac *ſpiritualium* hominum conſortio ad *animalium*, ut vocant, conditionem dejicitur. E contrario ſi quis ſe illis omninò tradat inſtituendum, nec ulla in re magiſtris contradicat: ejus perſpicacia in cœlum uſque extollitur, ita ut magiſtrorum laude ſuperbiens diſcipulus ſupercilium inducat. Sed ipſum Irenæum audiamus. » Et ſi aliquis «
quidem ex his qui audiunt eos, [a] inquit, «
quærat ſolutiones, vel contradicat eis, hunc «
quaſi non capientem veritatem & non ha- «
bentem de ſuperioribus à matre ſua ſemen «
affirmantes, in totum nihil dicunt ei, me- «
diarum partium dicentes eſſe illum, hoc eſt «
Pſychicorum: ſi autem aliquis quaſi parvam «
ovem deditum ſemetipſum ipſis præbeat «
imitationi illorum, & redemptionem illo- «
rum conſecutus eſt: inflatus eſt iſte talis; «
neque in cœlo, neque in terra putat ſe eſſe, «
ſed intra *Pleroma* introiſſe & complexum «
jam Angelum ſuum, cum inſtitorio & ſu- «
percilio incedit, gallinacei elationem ha- «
bens ». Quæ verba etſi paulò obſcuriora ſunt, quia alludunt ad Valentinianorum mores & deliria quæ antea explicuerat: ingenium tamen ipſorum optimè repræſen-

[a] Ibid.

tant. Fuere ſemper hæreſi naſcenti vitia hæc quaſi domeſtica, ut & magiſtri reluctantibus ſibi tarditatem exprobrarent, ſubjectos verò ac devotos diſcipulos ad cœlum uſque laudibus extollerent, diſcipulique magiſtrorum laudibus intumeſcerent; & cùm ſæpiſſimè ne id quidem intelligerent, quod ſibi à magiſtris traderetur, quodque ineptiſſimè garriendo effutirent, tamen Eccleſiæ Catholicæ Paſtores ac Theologos ſuperbè deſpicerent.

Aliam rurſum deſcribit Irenæus Hæreticorum fraudem, quâ mutua diſſidia & continuas inter ſe pugnas diſſimulant. *Cùm de iiſdem ſcripturis varias habeant ſententias*, [a] inquit, *inde fit ut uno eodemque ſermone lecto, univerſi obductis ſuperciliis, girantes capita, valde quidem altiſſimè ſe habere ſermonem dicant, non autem omnes capere magnitudinem ejus intellectûs qui ibidem continetur: & propter hoc ſilentium magnam rem eſſe apud ſapientes . . . ſic autem abeunt omnes . . . in abſcondito ferentes ſecum ſua acumina.*

His & aliis pluribus locis Irenæus veterum Hæreſiarcharum fraudes enumerat; quas in primo hujus operis capite ſimiliter

[a] Iren. lib. 4. contr. Hær. cap. 35. nov. Edit. Par. pag. 277. Edit. verò Oxon. & aliarum lib. 4. cap. 69. Et iſte locus etiam ex his eſt qui habentur tantùm in veteri verſione Latina.

repræſentandas cenſui : ut nemo miretur illos, qui toti ad perfidiam & dolos erant compoſiti, etiam in tractandis Sacris Libris perfidè ac fraudulenter ſe geſſiſſe. Quatuor autem præcipuè modis peccari poteſt in Sacras Scripturas. 1. Si è ſacro Canone eradatur liber qui verè divinus ſit. 2. Si ſpurius aliquis liber tanquàm genuinus & ſacer obtrudatur. 3. Si Sacrorum Librorum verba genuina in pravum ſenſum alienâ interpretatione detorqueantur. 4. Denique ſi verba ipſa adulterentur aliquâ detractione, additione, vel immutatione. Quanquam nihil horum quatuor à perfidis hominibus prætermiſſum eſt : non eſt tamen hujus loci ſingula proſequi. Agimus hîc ſolùm de eo quod quarto loco propoſitum eſt; nempe de impia quorumdam in falſandis libris audacia, quam primis olim naſcentis Eccleſiæ Chriſtianæ temporibus, apud Hæreticos ſummam fuiſſe ſum demonſtraturus.

CAPUT II.

Nullà eos cenſurà notari poſſe, qui putant aliquot Sacrarum Litterarum Codices à Judæis olim fuiſſe corruptos.

SIve à veteribus Hæreticis, ſive à Judæis dicantur fuiſſe olim corrupti aliqui Sacrarum Litterarum Codices, idem crimen eſt, idem accuſationis genus: neque ex uno plura aut majora quàm ex altero videntur in Religionem Chriſtianam derivari poſſe ac ſequi incommoda. Quare ſi quiſquis ita ſentit, ſine ſcelere poteſt perfidiam hanc Judæis exprobrare: cur qui eandem veteribus Hæreticis accuſationem intentat, in cenſuram & Pyrrhoniſmi notam incurret? Atqui doctiſſimi Patres S. Hieronymus & S. Auguſtinus, quamquam ipſi aliquando aliter ſenſerunt: tamen nullâ cenſurâ eos notant, qui contendunt varia Sacræ Scripturæ loca à Judæis olim, Chriſtianæ Religionis odio, vel eraſa fuiſſe, vel falſata.

Et verò Hebraïcos fontes à Judæis vix ac ne vix quidem depravari potuiſſe poſt annum Chriſti quingenteſimum, facilè concedent illi, quibus ſub hæc tempora extitiſſe videntur Maſſorethæ, qui ſingulis ſin-

gulorum librorum verſibus, verſuum vocabulis, vocabulorum litteris incredibili diligentiâ dinumeratis, ſtudio ac labore ſuo perfecerunt, ne quidquam deinceps in Hebraïco fonte malitiosè addi, detrahi, aut mutari poſſet.

Neque etiam quiſquam dixerit Sacrorum Librorum codices à Judæis ante Chriſtum natum fuiſſe adulteratos. Obſervat quidem Serarius noſter [a], apud Chryſoſtomum & Rabbinos aliquos legi, quod impius Rex Achaz deleverit *Azeroth*, id eſt, ſacra & memoranda Dei nomina; proque iis ſcripſerit *Baalis* nomen. Sed tantam impietatem Judæi ipſi deteſtati ſunt. Neque verò facilè credendum eſt, aut Regis Achaz quamvis ſacrilegi mentem ac conſilium fuiſſe, ut Dei nomina in omnibus exemplaribus Biblicis delerentur; aut ſi ita voluiſſet, omnes ubique Sacerdotes ac Levitas fuiſſe obtemperaturos. Certè in omnibus Bibliis Hebraïcis veneranda Dei nomina hactenus perſeverant: nec Baalis nomen pro iis uſquam occurrit.

Præterea nulla idonea excogitari poteſt cauſa, cur Judæi ante adventum Chriſti Sacrorum Librorum depravationem attentaſſent: neque ullum commiſſi tunc facinoris extat veſtigium: neque ſi jam tum com-

[a] Proleg. Bibl. cap. 8. qu. 15.

miſſum fuiſſet tantum ſcelus, videtur id prætermittendum fuiſſe à Chriſto & Apoſtolis, qui Senioribus & Scribis tam multa exprobrant. Quo quidem argumento uſum olim in his rebus verſatiſſimum Origenem Hieronymus teſtis eſt. *Quod ſi aliquis dixerit Hebræos Libros poſtea* (poſt Eſdræ tempora ſcilicèt) *eſſe falſatos, audiat Origenem,* inquit [a], *quid in octavo volumine explanationum Iſaïæ huic reſpondeat quæſtiunculæ, quod nunquam Dominus & Apoſtoli, qui cætera crimina arguunt in Scribis & Phariſæis, de hoc crimine quod erat maximum, reticuiſſent.*

Reſtat ergo ut ſi Hebraici fontes à Judæis corrupti ſunt, dicantur corrupti poſt inſtitutam à Chriſto legem novam, nec multò poſt excidium Hieroſolymæ. Quam tamen opinionem tanquam abſurdam & ridiculam, ſed non ut impiam rejicit eodem in loco Hieronymus. *Sin dixerint*, inquit [b], *poſt adventum Domini Salvatoris & prædicationem Apoſtolorum libros Hebræos fuiſſe falſatos, cachinnum tenere non potero: ut Salvator & Evangeliſtæ, & Apoſtoli ita teſtimonia protulerint, ut Judæi poſtea falſaturi erant.* Hieronymo hac in parte ſuffragari videtur Auguſtinus, cùm credibile eſſe negat [c] *Ju-*

[a] Tom. 3. Edit. nov. pag. 64. cap. 6. in Iſaïam.
[b] Ibid.
[c] Lib. 15. de Civit. Dei cap. 13. tom. 7. N. Edit. p. 392.

dæorum gentem tam longè latéque diffuſam, in hoc conſcribendum mendacium uno conſilio conſpirare potuiſſe, & dum aliis invident auctoritatem, ſibi abſtuliſſe veritatem. Verùm opinionem hanc idem Auguſtinus ſic credibilem eſſe negat, ut tamen eam permittat eruditorum hominum arbitrio. *Hanc opinionem*, inquit[a], *vel ſuſpicionem accipiat quiſque, prout voluerit.*

Ad Hieronymum verò quod ſpectat, conſtat eum non ſemper, nec ubique illos irriſiſſe, qui dicerent corruptos fuiſſe à Judæis ſacros aliquot Codices. Saltem videri poteſt iſtud timuiſſe, cùm Marcellam ſic alloquebatur[b]: *Jampridem cum voluminibus Hebræorum editionem Aquilæ confero, ne quid forſitan propter odium Chriſti Synagoga mutaverit.* Sed quia poſſet quis jure contendere ſuſpicionem, quam Hieronymus animo conceperat, pertinuiſſe ad ipſam Aquilæ Editionem, non ad Hebraica volumina; aliud ejuſdem ſancti Doctoris teſtimonium refero minimè ambiguum.

Hieronymus igitur agens de illo Deuteronomii loco[c], *maledictus à Deo eſt qui pendet in ligno*, quem locum Paulus ſic exprimit[d], *maledictus omnis qui pendet in ligno*,

[a] ibid.
[b] Epiſt. 24. ad Marcell. olim 74.
[c] 21. 23.
[d] Gal. 3. 13.

manifeſtè ſignificat ſe in id propendere, ut exiſtimet interpolatum fuiſſe à Judæis. Quippe diverſitatis, quæ inter Deuteronomii textum & verba Apoſtoli intercedit, rationem diſquirens & examinans, ſic loquitur[a]: » Scire non poſſum quare Apoſtolus in eo quod ſcriptum eſt, *maledictus à Deo eſt qui pendet in ligno*, vel ſubſtraxerit aliquid, vel addiderit. Si enim ſemel auctoritatem ſeptuaginta Interpretum ſequebatur, debuit, ſicut ab illis editum eſt, & Dei nomen adjungere: ſi verò ut Hebræus ex Hebræis, id quod in ſua lingua legerat, putabat eſſe veriſſimum, nec *omnis*, nec *in ligno*, quæ in Hebræo non habentur, aſſumere. Ex quo mihi videtur, aut veteres Hebræorum libros aliter habuiſſe, quam nunc habent: aut Apoſtolum, ut antè jam dixi, ſenſum Scripturarum poſuiſſe, non verba: aut quod *magis eſt æſtimandum*, inquit, *poſt Paſſionem Chriſti & in Hebræis & in noſtris Codicibus, ab aliquo nomen Dei appoſitum, ut infamiam nobis inureret, qui in Chriſtum maledictum à Deo credimus* ». Mox ea verba addit, ex quibus manifeſtum redditur, ita planè ſibi fuiſſe perſuaſum. *Audaci itaque pede*, inquit[b], *ad hoc procedo certamen, ut ad libros provocem, nullo loco ſcrip-*

[a] Com. in Epiſt. ad Galat. cap. 3. tom. 4. nov. Edit. pag. 259.
[b] ibid.

tum, à Deo quemquam eſſe maledictum; & ubicumque maledictio ponitur, nunquam Dei nomen adjunctum.

Paulò ſuperius autem idem ſanctus Doctor ſic fuerat locutus, cùm hæc citaſſet Pauli [a] verba, *ſcriptum eſt enim: Maledictus omnis qui non permanſerit in omnibus quæ ſcripta ſunt in libro legis ut faciat ea.* » Inveni in « Deuteronomio, inquit Hieronymus [b], hoc « ipſum apud ſeptuaginta Interpretes ita po- « ſitum, *maledictus* [c] *omnis homo, qui non per-* « *manſerit in omnibus ſermonibus legis hujus, ut* « *faciat illos.....* Incertum habetur, utrum « ſeptuaginta Interpretes addiderint, *omnis* « *homo* & *in omnibus*, an in veteri Hebraïco « ita fuerit, & poſtea à Judæis deletum ſit. « In hanc autem me ſuſpicionem illa res ſti- « mulat, quod verbum *omnis* & *in omnibus*, « quaſi ſenſui ſuo neceſſarium, ad proban- « dum illud, quod [d] *quicumque ſub operibus* « *legis ſunt, ſub maledicto ſint*, Apoſtolus vir « Hebrææ peritiæ, & in lege doctiſſimus nun- « quam protuliſſet, niſi in Hebræis volumi- « nibus haberetur. Quam ob cauſam Sama- « ratinorum Hebræa volumina relegens in- « veni CHOL, quod interpretatur *omnis* « ſive *omnibus*, ſcriptum eſſe, & cum ſeptua- « ginta Interpretibus concordare. Fruſtra «

[a] ad Gal. 3. 10.
[b] ibid. p. 256.
[c] Deut. 27. 26.
[d] ad Gal. 3. 10.

» igitur illud tulerunt Judæi, ne viderentur
» eſſe ſub maledicto, ſi non poſſent omnia
» complere quæ ſcripta ſunt.

Porro hæc duo Deuteronomii loca quanquam ſanctiſſimus Doctor ſuſpicatus eſt à Judæis immutata in Hebraïcis voluminibus, non auſus eſt tamen in editione ſua Latina ſic reſtituere, ut ſcripta olim fuiſſe ipſe conjiciebat. Intelligebat nimirum ei qui ſacros Libros interpretatur, non eſſe licitum quicquam immutare ex ſola ſuſpicione, ex mera conjectura, quamvis iſta ſuſpicio & conjectura probabili ratione niti videatur.

Ex his quæ hactenus retulimus, colligitur ſaltem ſanctorum Hieronymi & Auguſtini judicio liberum eſſe cuilibet Catholico perfidis Judæis exprobare, quod Chriſtianæ Religionis odio varia Sacræ Scripturæ loca eraſerint vel falſaverint. Quod uterque ſanctus Doctor cenſuit, poſſe id crimen Judæis objici ſine Catholicorum offenſione, plures Catholici Doctores poſtea fecerunt. Atque ex iis triginta laudat D. Pezron in Libro cui titulus eſt, *Antiquitas temporum propugnata*: ubi etiam multa Scripturæ loca profert, quæ à Judæis falſata eſſe contendit. Cujus opinionem etſi amplectendam non putem, nolim tamen notare cenſurâ. Porrò ſi licet abſque ulla Pyrrhoniſmi ſuſpicione Judæos

crimine falſi accuſare : cur nefas ſit hanc ipſam accuſationem veteribus Hæreticis intendere ?

Caput III.

Græcam ſeptuaginta Seniorum Interpretationem conſultò & malitiosè à Judæis falſatam fuiſſe.

ETiamſi concedatur ipſum Hebraïcum fontem ſanctè ſemper ac religiosè conſervatum fuiſſe à Judæis ; non idcirco iidem dicendi ſunt, perfidas manus abſtinuiſſe à Græca ſeptuaginta Seniorum interpretatione : ſive illam jam cœpiſſent parvi facere, quia animadverterant in pluribus ab Hebraïco textu diſcrepare : ſive odio haberent propter auctoritatem, quam in Eccleſiis Chriſtianorum obtinuerat.

Ac primo conſtat ne ipſos quidem Judæos inficiatos fuiſſe diſcrepantiam, quæ nec una, nec levis inter Hebraïcum fontem & ſeptuaginta Seniores intercedit. Imo & Chriſtianis idcirco per deriſionem exprobrabant, quod corruptos rivulos ſectarentur, puriſſimum fontem negligerent. Atque hæc ipſa cauſa eſt, quæ Hieronymum induxit, ut linguam Hebraïcam ad-

diſceret. *Scit Chriſtus*, inquit [a] ſanctiſſimus Doctor, *me ob hoc in peregrinæ linguæ eruditione deſudaſſe, ne Judæi de falſitate Scripturarum Eccleſiis ejus diutius inſultarent.* Jam verò unde ortum habuerit illa diverſitas quæ inter Hebraïcum fontem & Græcam ſeptuaginta Seniorum interpretationem reperitur, non una eſt Veterum ſententia.

Judæi, eodem Hieronymo teſte [b], hanc
» in ipſos Interpretes refundunt, « & pru-
» denti factum dicunt eſſe conſilio, ne Pto-
» lemæus unius Dei cultor etiam apud He-
» bræos duplicem divinitatem deprehende-
» ret. Quod maxime idcirco faciebant, quia
» in Platonis dogma cadere videbatur. »
Quam Judæorum opinionem Hieronymus ipſe calculo ſuo comprobat, non modò ubi ait [c] *conjicere ſe, noluiſſe tunc temporis ſeptuaginta Interpretes fidei ſuæ ſacramenta perſpicue Ethnicis prodere; ne ſanctum canibus & margaritas porcis darent*: ſed etiam non ſemel alibi. Nam [d] & in Præfatione in librum Hebraïcarum quæſtionum adſeveranter pronuntiat, *illos Ptolemæo Regi Alexandriæ myſtica quæque in Scripturis Sacris prodere noluiſſe: maxime ea quæ Chriſti adventum pol-*

[a] Hierony. Edit. nov. tom. 3. Præf. in lib. Iſaiæ p. 474.
[b] Tom. 1. Edit. novæ Prolog. in Geneſim.
[c] Tom. 4 Edit. novæ part. 2. Apol. adv. Ruf. lib. 2. pag. 431.
[d] Tom. 2. pag. 506.

licebantur: ne viderentur Judæi & alterum Deum colere, quos ille Platonis ſectator magni idcircò faciebat, quia unum Deum colere dicerentur. In prologo [a] autem in Geneſim ait *ſeptuaginta Seniores ubicumque ſacratum aliquid Scriptura teſtatur de Patre & Filio & Spiritu ſancto, aut aliter interpretatos eſſe, aut omnino tacuiſſe, ut & Regi ſatisfacerent, & arcanum fidei non vulgarent.*

Contrariam opinionem amplexus eſt Auguſtinus, nec credibile exiſtimavit « ſeptuaginta Interpretes in uno loco poſitos « ipſam veritatem gentibus alienigenis invidiſſe, & communicato iſtud feciſſe conſilio. « Abſit, inquit [b], ut prudens quiſpiam credat ſeptuaginta illos memorabiles viros « hoc de invidenda gentibus veritate unum « communicaſſe conſilium. Credibilius ergo « quis dixerit cum primum de Bibliotheca « Ptolemæi deſcribi ita cœperunt, tunc aliquid tale fieri potuiſſe in codice uno, ſcilicet primitus inde deſcripto, unde jam latius emanaret, ubi potuit accidere etiam « Scriptoris error. «

Utra opinio vera ſit, non meum eſt definire: ſed illud quod inter utrumque convenit, certo & indubitanter ſtatuere poſſumus; nimirum Græcam ſeptuaginta Senio-

[a] Tom. 1.
[b] Tom. 7. Ed. novæ lib. 15. de civitate Dei cap. 13. p. 392.

rum interpretationem jam tum ab initio non ſatis cum Hebraïco textu conſenſiſſe.

Iſtud etiam accedit quod illa ipſa tam celebris interpretatio non ſemper integra & ſine nævo manſerit, & qualis ab ipſis auctoribus erat elucubrata. Cujus rei locupletiſſimus teſtis eſt Hieronymus. « Si ſeptuaginta Interpretum, inquit [a], pura & ut ab eis in Græcum verſa eſt, editio permaneret, ſuperfluè me, mi Chromati Epiſcoporum ſanctiſſime atque doctiſſime, impelleres, ut Hebræa volumina Latino ſermone transferrem. Quod enim ſemel aures hominum occupaverat, & naſcentis Eccleſiæ roboraverat fidem, juſtum erat noſtro ſilentio comprobari. Nunc verò cum pro varietate regionum diverſa ferantur exemplaria, & germana illa antiquaque tranſlatio corrupta ſit atque violata; noſtri arbitrii putas, aut è pluribus judicare quid verum ſit, aut novum opus in veteri opere cudere, illudentibus Judæis, cornicum, ut dicitur, oculos configere. » Idem alibi. « Si quis, [b] ait, ſeptuaginta vobis oppoſuerit Interpretes, quorum exemplaria varietas ipſa lacerata & everſa demonſtrat, nec poteſt utique verum aſſeri quod diverſum eſt; mitte eum ad Evangelia, in

[a] Tom. I. præf. in Paralipom. pag. 1022.

[b] Tom. I. præf. in Eſdram pag. 1107.

quibus multa ponuntur, quaſi de veteri «
Teſtamento, quæ apud ſeptuaginta Inter- «
pretes non habentur. «

Neque exiſtimandum eſt vitia illa, quæ Græca ſeptuaginta Seniorum interpretatio uſu & tempore contraxerat, omnia inducta fuiſſe oſcitantia Librariorum & inſcitia: nonnulla etiam Judæorum malitiam invexiſſe in ſua ſaltem exemplaria evincit Juſtinus Martyr, qui ea de re cum Tryphone expoſtulat. « Vos autem, inquit [a], in his
quoque adulterare tranſlationes ſeniorum «
veſtrorum qui apud Regem Ægypti Pto- «
lemæum fuere, audetis: allegantes non «
habere Scripturam, ſicut illi verterunt.... »
Et paulò poſt [b], « Non decet vos vaticinia «
ipſa auſu temerario vel adulterare, vel «
perperam exponere: nam vobis ipſis tan- «
tum injuriam facietis, Deo autem nihil no- «
cebitis. «

Idem hanc Judæorum perfidiam paulo
antè & fuſius & clarius expoſuerat. « Scire «
vos volo, inquit [c], quod illi (Judæorum «

[a] Dial. cum Tryph. Edit. Sonnii pag. 310. Commelini pag. 242.

Ὑμεῖς δὲ καὶ ἐν ταύταις παραγράφειν τὰς ἐξηγήσεις ἃς ἐξηγήσαντο οἱ πρεσβύτεροι ὑμῶν οἱ παρὰ Πτολεμαίῳ τῷ τῶν Αἰγυπτίων βασιλεῖ γενομένῳ, τολμᾶτε λέγοντες μὴ ἔχειν τὴν γραφὴν ὡς ἐκεῖνοι ἐξηγήσαντο...

[b] Juſt ibid.

..... μὴ παραγράφειν ἢ παρεξηγεῖσθαι τολμᾶτε τὰς προφητείας· ἐπεὶ ἑαυτοὺς μόνους ἀδικήσετε, τὸν δὲ Θεὸν οὐ βλάψετε.

[c] Juſt. ibid. Edit. Sonnii p. 297. Commelini pag. 231.

Καὶ ὅτι πολλὰς γραφὰς τέλεον

» Magiſtri) multos & integros locos illarum
» (Divinarum Litterarum) ex tranſlatione
» eorum qui cum Ptolemæo fuere, Seniorum
» ſuſtulerint; in quibus clarè hunc ipſum
» crucifixum, Deum & hominem eſſe, eum-
» que in cruce pendere & mori prænuncia-
» tum eſſe oſtenditur.» Ita Juſtinus, neque Trypho ſcelus hoc à ſuis admiſſum negare auſus eſt: ſed accuſationis gravitate perculſus Juſtinum rogavit ut diceret, quænam ſint *quas à Judæorum magiſtris inductas abrogataſque eſſe Scripturas aſſeveraret.*

Obſecutus eſt illicò Juſtinus & loca appellavit quatuor, quæ in ſeptuaginta Interpretum verſione à Judæis reſecta ſunt: quædam autem reſecta eſſe nuper, nec ante multos annos, ex eo collegit, quod ſcripta adhuc reperirentur in quibuſdam exemplaribus, quæ in Judæorum aſſervabantur Synagogis. Denique ut juſtum tam impii facinoris horrorem Tryphoni incutiat, contendit iſtud [a] « magis eſſe horren-
» dum, quàm vituli conſecrationem illam in
» terris factam ab iis qui manna ad ſaturita-

περιεῖλον ἀπὸ τῆς ἐξηγήσεως τῆς γεγενημένων ὑπὸ τῶν παρὰ Πτολεμαίῳ γεγενημένων πρεσβυτέρων, ἐξ ὧν διαῤῥήδην οὗτος αὐτὸς ὁ σταυρωθεὶς, ὅτι Θεὸς καὶ ἄνθρωπος, καὶ σταυρούμενος, καὶ ἀποθνήσκων κεκηρυγμένος ἀποδείκνυται, εἰδέναι ὑμᾶς βούλομαι.

[a] Juſt. ibid. Edit. Sonnii p. 299. Commelini pag. 233.

Φοβερώτερον γάρ ἐστι τῆς μοσχοποιΐας ἣν ἐποίησαν ἐπὶ γῆς, μάννα πεπλησμένοι, καὶ τοῦ τὰ τέκνα θύειν τοῖς δαιμονίοις, ἢ τοῦ αὐτοὺς τοὺς προφήτας ἀνῃρηκέναι.

tem impleti fuerant; quàm liberorum dæmoniis mactatorum ſacrificium, aut Prophetarum ipſorum occiſionem.

Inclyti Martyris locum, quem modo expoſuimus, laudat & approbat Euſebius [a] his verbis: *Quædam item Prophetarum teſtimonia profert (Juſtinus) quæ adverſus Tryphonem diſputans, à Judæis è ſacris libris reciſa atque expuncta eſſe convincit.*

Euſebio antiquior Origenes ſimiliter Judæis exprobrat eandem ſeptuaginta Seniorum interpretationem ab ipſis eſſe ſtudioſè adulteratam. « Alia ſequitur Prophetia, inquit, [b] quam neſcio quare apud Septuaginta non invenientes, in cæteris editionibus, quæ cum Hebræo conſentiunt ſermone, reperimus; quæ plena eſt neceſſariis rebus & tam utilibus, ut poſſit, ſi animus fuerit attentus, à vitiis revocare lecto-

[a] Euſ. Hiſt. Eccl. lib. 4 cap. 18. Valeſii 2. Edit. pag. 114.
Καὶ ῥητῶν δέ τινων προφητικῶν μνημονεύει, διελέγχων τὸν Τρύφωνα, ὡς ἂν περικοψάντων αὐτὰ Ἰουδαίων ἀπὸ τῆς γραφῆς.

[b] Origen. in Hierem. Hom. 16. tom. 1. Edit. Huëtian. pag. 157.
Εἶτα ἄλλη ἐπὶ προφητεία, ἣν οὐκ οἶδ᾽ ὅπως παρὰ τοῖς ἑβδομήκοντα οὐχ εὕρομεν. εὕρομεν δὲ ἐν ταῖς λοιπαῖς ἐκδόσεσι, δηλονότι κειμένην ἐν τῷ ἑβραϊκῷ, καὶ πεπλήρωται πραγμάτων ἀναγκαίων, δυναμένων, ἐὰν προσέχωμεν, ἐπιστρέψαι τὴν ψυχὴν ὑμῶν. οὕτως δὲ ἔχει τὰ ῥήματα· ἁμαρτία Ἰούδα γέγραπται ἐν γραφίῳ σιδηρῷ, ἐν ὄνυχι ἀδαμαντίνῳ ἐγκεκολαμμένη ἐπὶ τοῦ στήθους τῆς καρδίας αὐτῶν, ἐπὶ τὸ εὐχερέστερον (ubi doctiſſimus Huetius obſervat textum Græcum eſſe miſerabiliter depravatum, & conjicit eſſe legendum ἐπεὶ δυσχερέστερον) ἑαυτὸν ἐπιδοῦναι, καὶ εἰπεῖν περὶ τῶν Ἰουδαίων ταῦτα γέγραπται· ὅτι ἁμαρτία αὐτῶν γέγραπται.

» rem [a]. *Peccatum Juda conſcriptum eſt ſtilo*
» *ferreo, in ungue adamantino ſculptum ſuper*
» *pectus cordis eorum.* Quoniam difficile eſt
» aliquem ſe malum confiteri, ideò Ju-
» dæi qui exemplaria nonnulla falſarunt,
» etiam in hoc loco pro *peccato Juda*, *pecca-*
» *tum eorum* poſuerunt. Hactenus Origenes.

Hîc autem nonnulla diligenter obſervari debent.

I. Non eſſe credibile falſata fuiſſe à Judæis exemplaria omnia. Nam cum perfida gens nonniſi poſt propagatam toto orbe Religionem Chriſtianam hoc facinus aggreſſa ſit, potuit ſane exemplaria, quæ erant in ſua poteſtate ad libidinem depravare: in ea vero quæ Chriſtianorum manibus jam tenebantur, ſimile ſcelus exercere non valuit.

II. Neque etiam exiſtimandum eſſe, ipſorum Judæorum exemplaria omnia fuiſſe adulterata. Teſtis eſt Juſtinus, adhuc ætate ſua in Synagogis aſſervata fuiſſe exemplaria aliquot integra & incorrupta. Et verò quis ſibi perſuadeat Judæos tunc temporis toto orbe vagos ac diſperſos in hanc impietatem conſpiraſſe, ut ſeptuaginta Interpretes, quia à Chriſtianis potiſſimum legebantur, ipſi ubique locorum unanimi conſenſu falſarent?

[a] Jerem. 17. 1.

III. Græcam ſeptuaginta Seniorum interpretationem, in iis maximè locis eſſe à Judæis adulteratam, in quibus ab Hebraïco textu diſſidebat. Sic enim paratum, ſi quis perfidiam ipſis objiceret, reſponſum habebant, quo dicerent Seniorum interpretationem non eſſe à ſe corruptam, ſed emendatam. Et vero ipſos hoc eſſe prætextu uſos aperte Juſtinus docet. Quod hîc ego non idcirco obſervatum velim, quod putem Judæorum magiſtros excuſari poſſe. Poterant utique, ſi ita placeret, quemadmodum Aquila, Theodotion & Symmachus, aliquam novam interpretationem edere ad Hebraïci textus veritatem: at non licebat loca ſibi inviſa furtim ſubtrahere ex veteri interpretatione, quam à majoribus ſuis ante Chriſtum natum editam & approbatam eſſe noverant.

IV. Ex quatuor illis teſtimoniis, quæ Juſtinus à Judæorum magiſtris ſublata fuiſſe conqueſtus eſt, unicum extare in Hebraïco textu. Atque hoc fortaſſe in cauſa eſt, cur Judæi, ut ipſe Juſtinus admonet, non auſi fuerint iſtud ex omnibus ſuis exemplaribus expungere. Et vero idem ille locus ex quatuor Juſtini ſolus eſt etiam, qui in vulgata editione noſtra legatur: quia hunc ſolum S. Hieronymus in Hebræis voluminibus reperit.

V. Quæ ratio Judæorum magiſtris ſuaſit, ut ad Græcam ſeptuaginta Seniorum interpretationem adulterandam ſe converterent: eandem ſane veteres Hæreticos inducere potuiſſe, ut ſimile ſcelus perpetrarent. Dolebant Judæi Scripturas ſuas eſſe Chriſtianorum armamentarium, ex quo certiſſima in ſe & Synagogam tela intorquerentur. Veteres Hæretici pariter moleſte ferebant Sacras Litteras Catholicis arma ſubminiſtrare, quibus errores ſui confoderentur. Quare mirum non eſt, ſi quemadmodum Judæi Græcam ſeptuaginta interpretationem corruperunt: ita etiam Hæretici ſcripturas omnes violare & interpolare conati ſint.

CAPUT IV.

Subdolas fuiſſe nec ſatis fideles Symmachi, ſicut & Theodotionis atque Aquilæ, Judaïzantium Hæreticorum Interpretationes.

NOn ſolam hanc Judæi fraudem commiſerunt, ut celeberrimam ſeptuaginta Seniorum interpretationem falſarent. Iidem enim ſecundo poſt Chriſtum natum ſæculo quorumdam transfugarum operà, qui ad ipſorum caſtra defecerant, Libros

ſacros ex Hebræo in Græcum ſermonem denuò tranferre aggreſſi, multa ſubdolè, aut diſſimulaverunt, aut perverterunt, quæ Chriſtianam cauſam adjuvabant.

Aquila Ponticus hunc in ſe laborem primus ſuſcepit, ſub Hadriano Imperatore [a], cujus erat ſocer, ſi credimus Epiphanio, atque Alexandrini [b] Chronici Scriptori. Nam cum Hieroſolymitanæ urbi reficiendæ præpoſitus fuiſſet, « eorum qui Apoſto- «
lorum auditores fuerant conſuetudine ve- «
hementer animo commotus, Chriſtianam «
Religionem amplectitur, ut idem docet [c] «
Epiphanius. Verum cum à priore uſu mo- «

[a] Epiphan. tom. 2. lib. de menſ. & pond. cap. 14. pag. 170.

[b] pag. 598.

[c] Epiph. tom. 2. lib. de menſ. & pond. cap. 15. p. 171. Ὁ οὖν Ἀκύλας κατανυγεὶς τὴν διάνοιαν τῷ Χριστιανισμῷ ἐπίστευσεν. αἰτήσας δὲ μετὰ χρόνον τὴν ἐν Χριστῷ σφραγῖδα, ἐκομίσατο. ἀπὸ δὲ τῆς προτέρας αὐτοῦ ἕξεως μὴ μεταθέμενος, τοῦ πιστεύειν δηλονότι τῇ ματαίᾳ ἀστρονομίᾳ, ἣν ἀκριβῶς ἐκπεπαίδευτο· ἀλλὰ καθ᾽ ἑκάστην ἡμέραν τὸ θέμα τῆς αὐτοῦ γενέσεως σκεπτόμενος, ἐλεγχόμενός τε ὑπὸ τῶν διδασκάλων, καὶ ἐπιτιμώμενος ἕνεκα τούτου, μὴ διορθούμενος δὲ, ἀλλὰ καὶ φιλονείκως μᾶλλον ἀντιτιθέμενος, καὶ σπουδάζων συνιστᾶν τὰ ἀσύστατα, τὰ τῆς εἱμαρμένης δηλονότι, καὶ τὰ περὶ αὐτῆς διηγήματα, ἐξεώσθη πάλιν τῆς ἐκκλησίας, ὡς ἄχρηστος πρὸς σωτηρίαν· πικρανθεὶς δὲ τὴν διάνοιαν ὡς ἠτιμασμένος, εἰς ζῆλον μάταιον αἴρεται, καὶ τὸν Χριστιανισμὸν ἀρνησάμενος, καὶ τὴν αὐτοῦ ζωὴν, προσηλυτεύει, καὶ περιτέμνεται Ἰουδαῖος, καὶ ἐπιπόνως φιλοτιμησάμενος ἐξέδωκεν ἑαυτὸν μαθεῖν τὴν ἑβραίων διάλεκτον, καὶ τὰ αὐτῶν στοιχεῖα· ταύτην δὲ ἀκρότατα παιδευθεὶς, ἡρμήνευσεν, οὐκ ὀρθῷ λογισμῷ χρησάμενος, ἀλλ᾽ ὅπως διαστρέψῃ τινὰ τῶν ῥητῶν, ἐνσκήψας τῇ τῶν ἑβδομήκοντα δύο ἑρμηνείᾳ· ἵνα τὰ περὶ Χριστοῦ ἐν ταῖς γραφαῖς μεμαρτυρημένα, ἄλλως ἐκδώσει. δι᾽ ἣν εἶχεν αἰδῶ, εἰς ἄλογον αὐτοῦ ἀπολογίαν.

» ribuſque non diſcederet, & vaniſſimis Ma-
» thematicorum artibus, quas apprimè cal-
» lebat, nimium tribueret, adeóque gene-
» ſim atque horoſcopum ſuum obſervaret in
» dies, cùm ob id à magiſtris objurgatus ac
» reprehenſus emendare ſe nollet, ab Eccle-
» ſia ejectus eſt. Quâ ignominiâ vehementer
» exacerbatus, & ſtolido quodam mentis
» æſtu percitus, Chriſtianam profeſſionem
» ejurat; & inter Judæorum proſelytos aſ-
» criptus ac circumciſus eſt. Inde ſe totum
» Hebraïcis litteris addiſcendis vehementi
» cum animi contentione tradidit. Quas cum
» egregiè penituſque percepiſſet, ad inter-
» pretandum ſeſe contulit, *non ſincerâ animi*
» *inductione: ſed ut quædam Scripturæ loca de-*
» *pravaret*, adversùs ſeptuaginta duos Inter-
» pretes impetum omnem conatumque diri-
» gens; *atque ut expreſſa Sacris Litteris de*
» *Chriſto teſtimonia aliter ederet*; quo nonnul-
» lum pudori ignominiæque ſuæ vel abſur-
» dum colorem & excuſationem quæreret. »
Hæc Epiphanius, cujus narrationis pars aliqua etſi *fabuloſa atque ab otioſis Judæis conficta* viſa fuerit [a] Petavio noſtro: non poteſt tamen eſſe ſuſpecta falſi, qua parte Editionem atque interpretationem Aquilæ carpit, ut minus ſinceram & parum fidelem; ſiquidem non modò multos hac in re

[a] Animadv. ad S. Epiphan. pag. 395.

Epiphanius

Epiphanius habet adſtipulatores alios doctiſſimos Patres: ſed etiam ipſe ibidem declarat potuiſſe ſe hoc loco commemorare, quæ ab eo corrupta depravataque ſunt, ex quibus redargui ac confutari poſſet illius Editio.

Similiter Anaſtaſius Sinaïta teſtatur [a],
« Aquilam veteris Teſtamenti Scripturam «
pravè interpretatum eſſe: illum complura «
de Chriſto loca & teſtimonia pervertiſſe ac «
mutilaſſe; & quia (Chriſtianis) erat infen- «
ſus, falſatam Judæis Editionem reliquiſſe «
ad ipſorum perniciem. «

Non majori fide Severi Imperatoris temporibus Editionem ſuam adornavit Symmachus, qui ſive ſecta Ebionæus, ut Euſebio [b] placuit & [c] Hieronymo, ſive Samaritanus, ut Athanaſius, aut quiſquis eſt auctor Synopſis apud Athanaſium [d] atque Epiphanius [e] ſcribunt, poſteà ambitione ac principatûs cupiditate ductus, cum voti

[a] Anaſt. Sinaït. *via dux.* cap. 6. Edit. Ingolſt. pag 92.
Ἀκύλας ἐπὶ τῆς παλαιᾶς γραφῆς ..... παρερμηνεύσας ταύτην, καὶ τὰς πλείους χρήσεις καὶ μαρτυρίας τὰς περὶ Χριστοῦ διαστρέψας, καὶ περικόψας, καὶ κατ' ἀντιπάθειαν πεπλανημένην ἔκδοσιν πρὸς ἀπώλειαν Ἰουδαίοις καταλείψας ....

[b] Euſeb. Hiſt. Eccl. lib. 6. cap. 17. Valeſii 2. Edit. pag. 177.

[c] Hieron. præfat. in Eſdr. nov. Edit. tom. 1. pag. 1107. & Præf in Job pag. 798.

[d] Athan. tom. 2. nov. Edit. pag. 203.

[e] Epiph. lib. de menſ. & pond. cap. 16. tom. 2. Edit. Pet. Par. pag. 172.

apud ſuos compos eſſe non poſſet, ad Judæos transfugit, & inter Proſelytos profeſſus iteratò circumciſus eſt; ac Sacram Scripturam denuo interpretatus eſt, ut quorum caſtra deſeruerat, eorum interpretationes ſubverteret.

Symmacho præiverat imperante Commodo Marcionis Pontici ſectator Theodotion, & ipſe Ponticus, ſi credimus [a] Epiphanio, vel potiùs Epheſius, quemadmodum poſt [b] Irenæum [c] Euſebius & illius Synopſis Auctor, quæ inter Athanaſii [d] opera habetur, affirmant. Porro Theodotion ſuis poſtea Marcionitis offenſus, & ipſe Judæis ſeſe adjunxit ac circumciſus eſt; dehinc Hebraïcâ linguâ & eorum litteris inſtitutus, ſuam Editionem exorſus eſt, ubi in pleriſque cum Septuaginta conſenſit. Unde factum putamus, ut Danielem Prophetam juxta ejus interpretationem legerit Eccleſia. Verùm quanquam Theodotionis interpretatio cæteris duabus multò fidelior fuit; non fuit tamen omnino expers corruptionis: cujus rei inſigne hoc exemplum afferunt Irenæus & Euſebius: *Deus homo fa-*

[a] Epiph. lib. de menſ. & pond. cap. 17. tom. 2. p. 172.

[b] Iren. lib. 3. contr. Hær. cap. 21. nov. Edit. Pariſ. pag. 215.

[c] Euſeb. Hiſt. Eccl. lib. 5. cap. 8. Valeſii 2. Edit. p. 141.

[d] Athan. tom. 2. nov. Edit. pag. 203.

ctus eſt, [a] verba ſunt Irenæi apud Euſebium, *& Dominus ipſe ſervavit nos dato Virginis ſigno, non autem ut quidam dicunt, qui Sacras Scripturas interpretari nunc audent:* ecce adoleſcentula in utero concipiet & pariet filium, *quemadmodum verterunt Theodotion Epheſius, & Aquila Ponticus, ambo Judæi Proſelyti. Quos ſecuti Ebionæi, Chriſtum ex Joſepho genitum eſſe dicunt.*

Ejuſdem prophetiæ depravationem pluribus exagitat Chryſoſtomus [b]: « Si verò hinc confutati, inquit, atque convicti Judæi aliam moverint quæſtionem, atque aliter appellationem Virginis intelligere conentur, alioſque nobis Interpretes proferentes atque dicentes, non dixerunt *Virginem*, ſed *puellam*. Primò quidem dicemus illud, quoniam ad faciendam veræ tranſ-

[a] Euſeb. Hiſt. Eccl. lib. 5. cap. 8. Valeſii 2. Edit. p. 141.
Ἀκουε οἷα κατ' λέξιν γράφει (ὁ εἰρηναῖος). ὁ θεὸς οὖν ἄνθρωπος ἐγένετο· καὶ αὐτὸς κύριος ἔσωσεν ἡμᾶς, δοὺς τὸ τῆς παρθένου σημεῖον· ἀλλ' οὐχ ὡς ἔνιοί φασι τῶν νῦν τολμώντων μεθερμηνεύειν τὴν γραφὴν, ἰδοὺ ἡ νεάνις ἐν γαστρὶ ἕξει καὶ τέξεται υἱόν ὡς θεοδοτίων ἡρμήνευσεν ὁ ἐφέσιος, καὶ ἀκύλας ὁ ποντικὸς, ἀμφότεροι ἰουδαῖοι προσήλυτοι· οἷς κατακολουθήσαντες οἱ ἐβιωναῖοι, ἐξ ἰωσὴφ αὐτὸν γεγενῆσθαι φάσκουσι.

[b] Chryſoſt. Hom. 5. in cap. 1. Math. Edit. Morell. pag 57.
Εἰ δὲ ἐντεῦθεν ἐπιστομισθέντες ἑτέρως ζητοῖεν τὸ περὶ τῆς παρθενίας λεχθὲν, καὶ προβάλλοιντο ἡμῖν ἑτέρους ἑρμηνευτὰς, λέγοντες· ὅτι οὐκ εἶπον παρθένον, ἀλλὰ νεᾶνιν· πρότερον μὲν ἐκεῖνο ἐροῦμεν, ὅτι τῶν ἄλλων ἁπάντων τὸ ἀξιόπιστοι οἱ ἑβδομήκοντα σχοῖεν ἂν δικαίως. οἱ μὲν γὰρ μετὰ τὴν τοῦ χριστοῦ παρουσίαν ἡρμήνευσαν ἰουδαῖοι μείναντες, καὶ δικαίως ἂν ὑποπτεύοιντο, ἅτε ἀπεχθείᾳ μᾶλλον εἰρηκότες, καὶ τὰς προφητείας συ-

„ lationis fidem, omnibus aliis jure ſeptua-
„ ginta Interpretes ſint digniores; ſiquidem
„ alii poſt adventum Domini interpretati
„ ſunt, Judæi ſiquidem permanentes meri-
„ toque ſuſpecti: quippe qui inimicè & ſub-
„ dolè multa corruperint, & data prorſus
„ opera à Prophetis myſteria prædicta cela-
„ verint: Septuaginta verò ante centum &
„ aliquanto amplius Dominici adventûs an-
„ nos, ad interpretandum tot ac pariter ac-
„ cedentes ab omni ſuſpicione hujuſmodi vin-
„ dicantur. Atque ob ipſum temporis inter-
„ vallum, & illorum numerum ac conſen-
„ ſum, magis fide digni utique fuerint.

Chryſoſtomo concinit Hieronymus his
„ verbis: « Quod ſi apud Græcos, inquit [a],
„ poſt Septuaginta editionem, jam Chriſti
„ Evangelio coruſcante, Judæus Aquila,
„ Symmachus & Theodotio Judaïzantes hæ-
„ retici, ſunt recepti, qui multa myſteria
„ Salvatoris ſubdolâ interpretatione cela-
„ runt, & tamen in ἑξαπλοῖς habentur apud
„ Eccleſias, & explanantur ab Eccleſiaſticis
„ viris: quantò magis ego Chriſtianus de
„ parentibus Chriſtianis natus, & vexillum

σκιάζοντες ἐπίτηδες· οἱ δὲ ἑβδομήκοντα πρὸς ἑκατὸν ἢ καὶ πλειόνων ἐτῶν τῆς τοῦ Χριστοῦ παρουσίας ἐπὶ τοῦτο ἐλθόντες καὶ τοσοῦτοι ὄντες, πάσης τοιαύτης εἰσὶν ὑποψίας ἀπηλλαγμένοι, καὶ διὰ τὸν χρόνον, καὶ διὰ τὸ πλῆθος, καὶ διὰ τὴν συμφωνίαν μᾶλλον ἂν εἶεν πιστεύεσθαι δίκαιοι.

[a] Hieron. præf. in Job to. 1. nov. Edit. pag 798.

crucis in mea fronte portans, cujus ſtu- “
dium fuit omiſſa repetere, depravata cor- “
rigere, & Sacramenta Eccleſiæ puro ac fi- “
deli aperire ſermone, vel à faſtidioſis, vel “
à malignis Lectoribus non debeo repro- “
bari.

Non aliter ſenſiſſe videtur auctor Synopſis, quæ inter Athanaſii opera habetur. De Aquila Pontico quidem apertè teſtatur [a] ipſum poſtquam *reprobato baptiſmo Judæis ſeſe conjunxit, Sacram Scripturam perverſa ratione eſſe interpretatum.* De Theodotione autem & Symmacho eadem ferme indicare videtur, cum ait [b] Lucianum Martyrem *cum in iſtorum aliorumque verſiones & Hebraïcos libros incidiſſet, & diligenter quæ vel veritati deerant, vel ſuperflua erant, inſpexiſſet; ea ſuis quibuſque Scripturarum locis correxiſſe.*

Igitur ſi qua Irenæo, Euſebio, Athanaſianæ Synopſis Auctori, Epiphanio, Chryſoſtomo atque Hieronymo fides debetur; deberi autem maximam quis neget? Conſtat Judæum Aquilam, Theodotionem &

[a] Athan. nov. Edit. pag. 203. Καὶ πάλιν τὸν χριστιανισμὸν ἀθετήσας, καὶ τοῖς ἰουδαίοις προσδραμὼν, ἑρμήνευσε τὴν θείαν γραφὴν διεστραμμένῳ λογισμῷ....

Athan. nov. Edit. p, 204. Ὅστις καὶ αὐτὸς ταῖς προγεγραμμέναις ἐκδόσεσι, καὶ τοῖς ἑβραϊκοῖς ἐντυχὼν, καὶ ἐπιβλέψας μετ᾽ ἀκριβείας τὰ λείποντα, ἢ καὶ περιττὰ τῆς ἀληθείας ῥήματα, καὶ διορθωσάμενος ἐν τοῖς οἰκείοις τῶν γραφῶν τόποις....

[b] Ibid.

Symmachum Judaïzantes Hæreticos, non ſincera animi inductione, ſed perverſa ratione Sacras Litteras olim eſſe interpretatos: eoſdem inimicè & ſubdolè corrupiſſe multa ac depravaſſe, & datâ operâ prædicta à Prophetis Salvatoris myſteria celaviſſe. Quod ſi quis confiteri detrectat, veritus ne quid inde Religio Catholica detrimenti patiatur; is & injuriam facit doctiſſimis Patribus, nec ſatis meminit Eccleſiam eſſe firmam veritatis columnam. Si vero conſtat, ſummæ in tractandis Sacris Litteris perfidiæ reos fuiſſe olim & Judæos & Judaïzantes Hæreticos: cur incredibile videatur, veteres Hæreſum magiſtros ſimili etiam ſcelere ſeſe maculaſſe? Sed quid fruſtra diſquirimus credibile ſit, annon, quod certiſſima multorum locupletiſſimorumque teſtium auctoritate factum eſſe conſtat?

CAPUT V.

Veteres Hæreticos quædam Librorum Sacrorum exemplaria ſuis adjectionibus ac detractionibus reipſa corrupiſſe.

VEl primis Eccleſiæ naſcentis temporibus extitiſſe jam tum *indoctos & inſtabiles* homines, qui dicta Pauli & ſcripta,

ſicut & cæteras Scripturas, ad ſuam ipſorum perditionem depravarent[a], Apoſtolorum princeps ipſe teſtis eſt, ut ſuperiùs diximus. Quo quidem loco & ſi redarguuntur qui Scripturam Sacram in alienos ſenſus prava interpretatione detorquent : tamen nihil vetat Petri verba etiam de illis intelligi, qui lectionem ipſam adulterando depravant : ſiquidem iſtud ſcelus & ſcriptis ſuis timuiſſe Joannem Apoſtolum ſuprà[b] oſtendimus, & reipsâ ætate Apoſtolorum attentatum eſſe à Simonis magi diſcipulis & fortaſſe à Simone ipſo, poſtea demonſtraturi ſumus. At priuſquam de ſingulis Hæreticis Sacrorum Codicum corruptoribus nominatim agimus, juvat hîc Scriptores aliquot Eccleſiaſticos appellare, qui hujuſmodi ſacrilegium veteribus Hæreticis generatim exprobraverunt.

Primus occurrit Dionyſius Corinthiorum Epiſcopus, qui poſtquam conqueſtus eſſet, quod Epiſtolas ſuas *miniſtri quidam Diaboli zizaniis complevissent, quædam ex illis expungentes, quædam adjicientes :* ſtatim ita loquitur : [c] *Non mirum igitur videri debet, ſi ſacro-ſancta Domini ſcripta quidam adultera-*

[a] 2. Petr. 3. 16.
[b] cap. 1.
[c] Diony. Cor. apud Euſeb. Eccl. Hiſt. lib. 4. cap. 23. Valeſii 2. Edit pag. 118.

Οὐ θαυμαστὸν ἄρα εἰ καὶ τῶν κυριακῶν ῥᾳδιουργῆσαί τινες ἐπιβέβληνται γραφῶν, ὁπότε καὶ οὐ τοιαύταις ἐπιβεβλήκασι.

re aggreſſi ſunt, quandoquidem in longè infe-rioribus ſcriptis idem auſi fuiſſe deprehendun-tur.

Quânam in Epiſtolâ Dionyſius ita locutus fuerit, Euſebius, ex quo iſta deſcripſimus, non expreſſit: deprompta eſſe ex illa, quam ſcripſit Dionyſius ad Clerum Romanum Soteris Pontificis tempore, conjiciunt nonnulli: utut eſt, hæc à Dionyſio ſcripta eſſe non ambigitur. Certum eſt igitur miniſtros Diaboli jam tum *aggreſſos eſſe ſacroſancta Domini ſcripta adulterare*: & ſic adulterare, *ut in illis quædam expungerent, quædam adjicerent.* Atque hoc cum Dionyſius confeſſus eſt, cum Euſebius teſtimonio ſuo confirmavit, neuter profectò voluit de Sacrarum Litterarum fide quicquam derogare; nec cujuſquam animum tam injuſta ſuſpicio inceſſit.

Dionyſio conſentit ipſius temporum ferme æqualis Irenæus [a]. Hic in libris, quos contra omnes hæreſes edidit, non modò Marcionis atque ejus diſcipulorum ſummam in truncandis falſandiſque Sacris Litteris audaciam coarguit: ſed etiam in ipſo librorum ſuorum exordio de Hæreticis generatim conqueritur, quòd multos pervertant, *falſantes verba Domini.* Scio equidem cenſuiſſe non nullos [b] verba hæc *non*

[a] Lib. 1. pag. 1.

[b] Erneſt. Grabe in notis ad

de interpolatione ſacri textûs, ſed de prava ejus explicatione eſſe accipienda. Cujus opinionis ſuæ rationem hanc afferunt, quòd poſt laudata Irenæi verba proximè legatur, Hæreticos *effectos eſſe interpretatores malos eorum quæ bene dicta ſunt :* Quibus poſtremis verbis non enuntiari ſententiam novam, ſed priorem ſolùm explanari autumant. Verùm pace eruditorum virorum dixerim, hoc in loco vim Irenæi verbis faciunt ſine ulla cauſa. Quippe ubi vetus Interpres vertit *falſantes verba Domini*, ipſe Irenæus habet ῥᾳδιουργοῦντες τὰ λόγια Κυρίου, quod quemadmodum quidam obſervant, propriè de interpolatione ſacri textûs dicitur. Et verò ſanctus Epiphanius Ebionitas arguens, qui verba Chriſti Domini apud Mathæum, ad pravam opinionem ſuam ut accommodarent, ſubdola duarum vocularum adjectione corruperant, fraudem hanc ipſorum vocat τὴν ῥᾳδιουργίαν. Ita etiam Dionyſius Corinthiorum Epiſcopus apud Euſebium loco ſuprà laudato, ut ſignificet interpolatas fuiſſe à quibuſdam Diaboli miniſtris Sacras Litteras, utitur his verbis, τῶν κυριακῶν ῥᾳδιουργῆσαί τινες ἐπιβέβληνται γραφῶν. Quo in ſenſu ab ipſo etiam Irenæo uſurpatur τὸ ῥᾳδιούργημα. [a] Nam ubi

Iren. pag. 1. & Billius, & nova Pariſ. edit. pag. 2.

[a] Edit. Ox. lib. 1. c. 17. p. 86. nov. Par. Edit. l. 1. c. 20. p. 91.

fabulam illam temere ab Hæreticis Evangelio Mathæi aſſutam refert, quæ inducit Chriſtum Dominum adhuc puerum adverſùs ludimagiſtrum diſputantem de poteſtate elementorum A & B; commentum hoc, quod falsò & malâ fide quibuſdam exemplaribus inſertum fuerat, vocat τὸ ῥᾳδιούργημα. Unde certum redditur ῥᾳδιουργεῖν τὰ θεῖα λόγια, non aliud apud Irenæum ſignificare, quàm ſubdolam ſacri textûs depravationem; nec accipi debere pro adulterina ſenſus expoſitione, niſi fortè id manifeſtè exigat annexi ſermonis contextus ac verborum ſeries. Atqui hoc in loco hujuſmodi titulus ac cauſa prætendi nulla ratione poteſt: quin imo librorum Irenæi ſeries & ordo aliud omnino demonſtrat. Quippe certum eſt ſanctiſſimum Martyrem, eorum de quibus acturus erat, Hæreticorum ingenium & mores ſummatim in Præfatione deſcribere, perfidiſque hominibus ea ſtrictim exprobrare ſcelera, quæ poſtea fuſiùs erant exagitanda: jam verò nemo non fateatur toto paſſim in opere geminam hanc Hæreticorum fraudem ab ipſo coargui, quod Scripturæ Sacræ & ſenſum prava interpretatione ſubvertant, & verba auſu temerario circumcidant atque adulterent. Poſtremum hoc apertè Marcioni in libro primo & in tertio ſæpiùs objicit. Cùm ergo

idem ipſe in operis fronte Hæreticos ait, *& falſare verba Domini & malos eſſe interpretatores eorum quæ bene dicta ſunt:* quid vetat, prius quidem intelligi de textûs ipſius corruptione, poſterius autem de ſenſûs depravatione?

Sed quid tandiu diſputamus de unius loci ſenſu, cùm nemini dubium eſſe poſſit veteres Hæreticos ab eximio Scriptore non ſemel accuſari impudentiſſimæ in adulterandis Libris Sacris perfidiæ? Nunc ſi audent adverſarii, Irenæum ſplendidiſſimum Galliæ noſtræ lumen & ipſi viciſſim accuſent, aut ſtultitiæ, aut nequitiæ: ſtultitiæ, ſi Eccleſiæ cauſam, quam defenſam volebat, imprudens prodidit: nequitiæ, ſi cauſam, cujus patrocinium præ ſe ferebat, reipſâ proditam voluit.

Idem erit crimen objiciendum Tertulliano, qui in illo inſigni libro *de præſcriptionibus Hæreticorum*, quem tanquam firmiſſimum adversùs hæreſes omnes clypeum Catholici Doctores hactenus ſuſpexerunt, inter Hæreticorum fraudes hanc numerat, quòd pro inſtituti ſui ratione de Libris Sacris varia demant, & his addant. *Hæreſis*, [a] inquit, *non recipit quaſdam Scripturas, & ſi quas recipit, non recipit integras, adjectionibus & detractionibus ad diſpoſitionem inſti-*

[a] de Præſcript. Hæret. cap. 17. Rigalt. 2. Edit. p. 237.

tuti ſui intervertit: & ſi aliquatenus integras præſtat, nihilominus diverſas expoſitiones commentata convertit. Tantum veritati obſtrepit adulter ſenſus, quantum & corruptor ſtilus. Igitur Tertulliano teſte, Hæretici in Libros Divinos peccant, & ſenſu adultero, & ſtilo corruptore: adultero ſenſu, cum falſas expoſitiones commentati ſincerum & genuinum ſenſum pervertunt: corruptore ſtilo, cum ad diſpoſitionem inſtituti ſui, verba ipſa adjectionibus & detractionibus intervertunt. Neque verò incerta cauſa eſt, cur iſtud ſcelus perpetrent. *Nolunt* ſcilicet, ut mox idem Tertullianus addit, *ea agnoſcere per quæ revincuntur; & his nituntur quæ ex falſo compoſuerunt, & quæ de ambiguitate cœperunt.* Hoc ipſum paulò poſt [a] clariùs exponit idem Tertullianus. *Quibus fuit propoſitum*, inquit, *aliter docendi, eos neceſſitas coëgit aliter diſponendi inſtrumenta doctrinæ. Aliàs enim non potuiſſent aliter docere, niſi aliter haberent per quæ docerent. Sicut illis non potuiſſet ſuccedere corruptela doctrinæ ſine corruptela inſtrumentorum ejus: ita nobis & à nobis integritas doctrinæ non competiſſet ſine integritate eorum per quæ doctrina tractatur.* Ex quo Tertulliani loco intelligere poſſumus, quamobrem apud veteres Hæreticos Scripturæ Sacræ non modò ſen-

[a] Ibid. cap. 38. pag. 246.

ſus, ſed etiam textus corruptus fuerit, apud Eccleſiam verò Catholicam uterque integer & illibatus permanſerit.

CAPUT VI.

Decurtatum olim fuiſſe à Saturnino Hæreſiarcha hunc Geneſeos locum : Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram :

Ab eodem Saturnino, à Carpocrate, Cerintho, Ebione, aliiſque Hæreticis mutilata olim fuiſſe Evangelia.

QUem Saturninum Irenæus, Tertullianus, Philaſtrius, Hieronymus, Auguſtinus, aliique nominant; eundem in Oriente ubi vixit, Saturnilum appellatum fuiſſe diſcimus ex Epiphanio, Theodoreto & Damaſceno, quibus adjungere poſſumus Juſtinum Martyrem, atque Euſebium Cæſarienſem : uterque enim hujus Hæreſiarchæ diſcipulos *Saturnilianos* vocat, non *Saturninianos*. Quanquam videtur Euſebius hac in parte non ſatis conſtare ipſe ſibi, quippe qui diſcipulos vocet *Saturnilianos*; magiſtrum verò nomine *Saturnini* nuncupet. Utut eſt de nomine, certum eſt iſtum

Hæreſiarcham ab Epiphanio primum inter eos numerari, quos adulterati Sacrorum Librorum textûs accuſat.

Saturninus igitur, ſive Saturnilus, Antiochiâ, quæ ad Daphen eſt, ortus, plurima à Simone & Menandro magiſtro ſuo mutuatus eſt: quibus non pauca etiam addens de ſuo, docebat inferiorem ac viſibilem hunc mundum & omnia quæ eo continentur, non à Deo optimo maximo, ſed ab Angelis ſeptem, qui & ipſi in inferioribus partibus degebant, creata eſſe: hominem verò factum hac occaſione. Angelis hujus mundi conditoribus fortè refulſerat lucidus quidam ſplendor, ex ſuperioribus à ſumma virtute emiſſus: quem apud ſe retinere cùm voluiſſent, non valuerunt, eò quòd ſtatim ſurſum revocatus eſſet. Quare inito conſilio ſtatuunt hujus ſaltem effigiem exprimere, atque adhortati ſeſe invicem dicunt, *faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem*, lucidi nempe ſplendoris, quem viderant. Verùm opus vires ipſorum cùm ſuperaret, nonniſi rudis, infirma, futilis & invalida moles exiit, quæ vix in terra reptaret inſtar vermis: ſumma tamen virtus, ad cujus effigiem, quanquam temere & imperfectè, tentata fuiſſent hæc hominis primordia, hujus ſortem miſerans, ſcintillam vitæ emi-

ſit, quæ jacentem erigeret, erectum conſtantiùs animaret.

Fabulam hanc, ridiculam ſanè atque omni ex parte ineptam, à Saturnino fuiſſe ſectatoribus ſuis traditam ſcribunt [a] Irenæus, [b] Tertullianus, Auctor [c] catalogi qui apud Tertullianum habetur ad calcem libri de præſcriptionibus Hæreticorum, Epiphanius [d], & Theodoretus [e]. Verùm quia ex primo Geneſeos capite manifeſtum eſt hominem, non ad alterius cujuſpiam, ſed ad conditoris ſui imaginem & ſimilitudinem factum eſſe, juxta illa verba, [f] *faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram*; Saturninus, ne quis in ipſum jure ac merito retorqueret locum, quem impudenter obtrudebat; voculam hanc *noſtram*, qua mendacii poſſet apertè convinci, ex ſacro textu expunxit. Cæteri Chriſtiani legebant, ſicut à Moyſe ſcriptum erat, *faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram*: Saturniniani ne cogerentur fateri hominem impreſſam in ſe factoris ſui imaginem ſimilitudinemque gerere, pronomine *noſtram* perfidè ſuppreſſo, legebant, *faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem*.

[a] Edit. Oxon. L. 1. c. 22.
[b] L. de Anima cap. 23.
[c] cap. 46.
[d] Hæreſi 23.
[e] Lib. 1. Hæret. fabul. c. 3.
[f] Gen. 1. 26.

Qua de re juvat audire conquerentem olim Epiphanium[a]. *Impoſtor ille*, inquit Saturninum appellans, *velut in ſcena ita invicem locutos Angelos introducit*; faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem: *ubi particulam* noſtram, *quam in Geneſi Deus uſurpat, ideo decurtavit, ut errori ſuo fidem adſtrueret; quaſi alii ſint operis artifices, imaginem verò ipſam ad alium referri ſignificant, cum ita loquuntur*, faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem. Exiſtimavit ergo olim Epiphanius, à Saturnino Hæreſiarcha, vel ut ipſe habet, Saturnilo, hunc Geneſeos locum fuiſſe malitiosè atque datâ operâ decurtatum.

At non idcircò cenſuit aut fidem hujus textûs eſſe imminutam, aut cauſam Catholicorum inde paſſam eſſe aliquid detrimenti. Quin imò audax Hæreticorum perfidia Catholicorum vigilantiam exacuiſſe videtur; atque ex tot Bibliorum Sacrorum exemplaribus manuſcriptis Hebraïcis, Græcis ac Latinis, quæ ad hanc ætatem noſtram pervenerunt, ne unum quidem re-

[a] Epiph. hæreſ. 23. num. 1. Edit. Petav. pag. 62.
Τούτου χάριν εἰρηκέναι φησὶ τοὺς Ἀγγέλους δραματουργῶν ὁ αὐτὸς γόης· ποιήσωμεν ἄνθρωπον κατ' εἰκόνα καὶ καθ' ὁμοίωσιν· παρακόψας τὸ εἰρημένον ἐν τῇ γενέσει ὑπὸ τοῦ Θεοῦ, τὸ καθ' ἡμετέραν. ἐάσας δὲ ἡμετέραν, ἵνα δὴ ἔχῃ ἡ πλάνη αὐτοῦ τὴν πιθανότητα, ὡς δῆθεν ἄλλων μὲν ποιούντων, εἰκόνα δὲ ἑτέρου λέγειν ἐν τῷ ποιήσωμεν ἄνθρωπον κατ' εἰκόνα καὶ καθ' ὁμοίωσιν.

perire

perire eſt, in quo expuncta à Saturnino particula deſit. Uſque adeo firmum eſt Petri Apoſtoli oraculum docentis [a] eorum qui *Scripturas depravant* malitiam nonniſi *ad ipſorum perditionem* vertere.

Saturnino aliiſque pluribus Hæreticis, quos enumerat Hieronymus, ſimile crimen exprobrat, & Sacra Evangelia ab his adulterata eſſe ait & *laniata.* « Ad eos venio « Hæreticos, inquit [b], qui Evangelia lania- « verunt, Saturninum quemdam, & Ophi- « tas, & Caïnæos, & Sethoïtas, & Carpocra- « tem, & Cerinthum, & hujus ſucceſſorem « Ebionem, & cæteras peſtes. » Quæ cum objiciebat ſanctiſſimus Doctor, atque in tractandis Scripturis Sacris verſatiſſimus, certè non intendebat animo, aut ſacrarum paginarum codices ſuſpectos facere, aut Pyrrhoniſmum in religionem invehere.

[a] 2. Petr. 3. 16.
[b] Hieronym. adversùs Luciferianos tom. 4. nov. edit. part. 2. col. 304.

CAPUT VII.

Magnam fuiſſe Carpocratianorum, Cerinthianorum atque Ebionitarum in mutilanda Scripturâ impudentiam.

CArpocrates [a] genere [b] Alexandrinus, ſuperſtitione [c] magus, moribus impurus, [d] Simonem, Menandrum, Saturninum, Baſilidem, cæteroſque Hæreſiarchas, ex quorum erroribus ſectam ſuam conflavit, ipſe pravitate vicit & nequitiâ. Is unum quidem ſupremum principium, eumdemque parentem omnium ingenitum & incognitum aſſeruit: ſed mundum nonniſi ab Angelis, qui à ſupremâ illa virtute defeciſſent, eſſe fabricatum: Jeſum verò Dominum ex viri mulieriſque ſemine procreatum, reliquis hominibus vitæ genere ſolùm, temperantiâ, virtute ac juſtitia præſtitiſſe: quippe qui firmiorem vegetioremque animam, atque eorum, quæ olim in parentis incogniti comitatu viderat, memorem ſortitus fuerit. Carpocratianos autem, qui poſtea Gnoſtici dicti ſunt, omni

[a] Iren. Edit. Oxon. lib. 1. cap. 24.
[b] Theodor. l. 1.
[c] Anonymus auctor catalogi Hæretic. apud Tertull. c. 48. Tertull. lib. de anima c. 35.
[d] Epiph. l. 1. Hær. 27.

ſpurcitiâ & teterrimorum facinorum ſordibus contaminatos, & maleficas artes exercuiſſe, atque ad machinanda quælibet veneficia & cantiones excogitaſſe, ac familiares ſibi quoſdam dæmones habuiſſe ſcribit [a] Epiphanius. Hos autem jam tum ab initio fuiſſe apud Cyprum damnatos à Beato Barnaba Chriſti diſcipulo tradit Anonymus quinti ſæculi [b] Auctor, cujus libros tres *Prædeſtinati* nomine inſcriptos edidit Sirmondus noſter.

Cerinthus, [c] quem *ad Eccleſiam labefactandam aggreſſum eſſe* ait Cyrillus Hieroſolymitanus, in Aſia maximè [d] doctrinam ſuam propagavit, eademque propemodum, quæ Carpocras, venena ſparſit. Si quidem pari in Chriſtum calumniâ cenſet hunc è Mariæ Joſephique ſemine eſſe prognatum, mundumque ſimiliter ab Angelis fabricatum. In eo tamen differt à Carpocrate, quòd & ritus Judaïcos adſciſcat, & Jeſum à Chriſto ſic dividat, ut putet Jeſum quidem paſſum eſſe, mortem obiiſſe, & ad vitam excitatum: Chriſtum verò, qui ſpecie columbæ ad Jordanem à ſummo Deo in Jeſum delapſus fuerat, omnis pœnæ exper-

[a] Ibid.

[b] Hæreſ. 7.

[c] Cyrill. Hieroſ. Catech. 6. num. 10. Edit Oxon. p. 88 Κήρινθος γὰρ τὴν ἐκκλησίαν ἐλυμαίνετο.

[d] Iren. lib. 1. c. 15. Auctor anony. catalogi Hæret. apud Tert. c. 48. Epiph. l. 1. Hær. 28.

tem, eò unde venerat, reverſum. Porro Cerinthus [a] ex eorum numero fuiſſe dicitur, qui & Petro ſe oppoſuerant cùm ad Cornelium iviſſet, & Hieroſolymis tumultum excitaverant, quando illuc cum Tito Paulus advenit, quem & à Paulo in Galatia æterno anathemate percuſſum eſſe [b] aiunt.

Ebion qui non modò in Aſia, ſed [c] Romæ etiam, virus ſuum diſſeminaſſe dicitur, initio quidem de [d] virginitate gloriabatur cum ſuis, apud quos poſtea virginitas & caſtitas omnino prohibita eſt. Fœdiſſimos enim Carpocratianorum mores omnino imitati, ad Cerinthianorum tamen doctrinam propiùs acceſſerunt: quanquam illam non omni ex parte ſecuti ſunt, præſertim in iis quæ ſpectant ad Chriſtum Dominum, quem Ebionitæ nudum [e] hominem eſſe mentiebantur. Unde viſum eſt cuidam [f] Scriptori antiquo, Lucam Evangeliſtam Ebionitas, quos apud Antiochenam Eccleſiam invenerat, emendare voluiſſe, cum ſcripſit Angelum dixiſſe ad Mariam: [g] *Spiritus ſanctus ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi: ideoque, & quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur Filius Dei.* Sed &

[a] Epiph. ibid.
[b] Prædeſt. Hær. 8.
[c] Epiph. l. 1. Hær. 30. c. 18.
[d] Iren.
[e] Tertull. de carne Chriſti cap. 14.
[f] Præd. Hær. 10.
[g] Luc. 1. 35.

Tertullianus [a] aſſerit ejuſdem Ebionis hæreſim ab Apoſtolo Paulo repudiari, cum ſcribens ad Galatas, *invehitur in obſervatores & defenſores Circumciſionis Legis.*

Porrò cum in eo conſentirent Ebionitæ cum Carpocratianis & Cerinthianis, ut Jeſum more ſolito atque ex viri mulieriſque ſemine prognatum exiſtimarent : mirum non eſt, ipſorum diſcipulos omnes Theodotionem atque Aquilam eſſe æmulatos, ſi non anteverterint; & adulterato celebri illo [b] Iſaïæ vaticinio, quod Angelus Domini laudat apud [c] Matthæum, *Ecce Virgo in utero concipiet*, legiſſe, *Ecce adoleſcentula in utero concipiet.*

Quam ipſorum fraudem non ferens Irenæus, oſtendit hæreſim perfidam quidem eſſe, ſed indoctam, nec ſatis conſtantem ipſam ſibi; ut pote quæ conſona huic Iſaïæ vaticinio reliquorum Prophetarum oracula non pariter corruperit. Hæreſum ergo quos dixi ſectatores improvidos beatus Doctor ſic alloquitur. « Qui tranſmutant, [d] id « quod apud Iſaïam : *Ecce adoleſcentula in ventre concipiet*, & Joſeph filium eum volunt « eſſe : illud tranſmutent, quod eſt repro- «

[a] De præſcript. Hær. c. 53.
[b] Iſai. 7. 14.
[c] 1. 23.
[d] Iren. lib. 3. contra Hær. nov. Edit. Pariſ. cap. 21. pag. 217. Edit. Oxon. cap. 27. pag. 257.
Hic Irenæi locus ex his eſt, qui Latinè tantùm habentur.

" miſſionis, quod apud David poſitum eſt;
" ubi promiſit illi Deus, de fructu ventris
" ejus ſuſcitare cornu Chriſti Regis. Sed non
" intellexerunt: cæterùm autem hoc quoque
" auſi fuiſſent demutare.

Atque hîc obſervandum eſt, quales ætate ſua Hæreticos fuiſſe Irenæus teſtatur: nempe perfidos, qui Scripturæ verba, quæ ſibi adverſari, ſentiebant audaciſſimè corrumperent: ac ſimul inconſultos atque indoctos, qui non intelligerent in his etiam, quæ relinquebant intacta, ſupereſſe non pauca, ex quibus ipſorum impietas redarguatur & perfidia convincatur. Neque enim Deus optimus maximus unquam ſinet [a] *portas inferi prævalere adversùs Eccleſiam:* fraudeſque Hæreticorum ita permittit, ut ſemper [b] *mentiatur iniquitas ſibi*, & prudentes Catholici habeant, unde fraudem detegere ac reprehendere poſſint.

Non alium quidem Scripturæ locum ab Ebionitis Cerinthianiſque adulteratum, quàm illum Iſaïæ, quem modò appellabam, Irenæus arguit: verùm in ſuperiori capite Hieronymi teſtimonium recitavimus dicentis ipſa Evangelia *laniata* eſſe à Carpocrate, Cerintho, Ebione atque aliis ejuſmodi peſtibus.

Præterea diſcimus ex Epiphanio, ſacrile-

[a] Math. 16. 28. | [b] Pſ. 26. 12.

gos homines progreſſu temporis factos eſſe audaciores, & pleroſque Scripturæ Sacræ libros ab iis poſtea aut omnino aut aliqua ſaltem ex parte eſſe abjectos.

Ac primò Ebionitas ſic increpat Epiphanius. [a] « Abrahamum, & Iſaacum, & Jacobum, & Moyſen, atque Aaronem admittebant, unà cum Jeſu filio Nave qui Moyſis ſucceſſor, neque quicquam amplius fuerit. Secundùm hos nullum alium ex Prophetis adſciſcunt, ſed cum execratione proſcribunt ac derident... Neque enim illorum vaticiniis aſſentiuntur, ſed iis maledicentiſſimè detrahunt.... Neque verò Moyſis Pentateuchum integram admittunt, ſed quædam verba circumſcribunt. Quod ſi de eſu animatorum illud objicias; cur Abrahamus vitulum cum lacte Angelis appoſuerit: aut cur Noëmus illa comederit, & divini- «

[a] Epiph. lib. 1. Hær. 30. num. 18. Edit. Petav. p. 142. Ἀβραὰμ μὲν ὁμολογοῦσι καὶ Ἰσαὰκ καὶ Ἰακώβ· Μωϋσῆν τε καὶ Ἀαρὼν, Ἰησοῦν τε τὸν τοῦ Ναυῆ, ἁπλῶς διαδεξάμενον Μωϋσέα, οὐδὲν δὲ ὄντα. μετὰ τούτους δὲ οὐκέτι ὁμολογοῦσί τινα τῶν προφητῶν, ἀλλὰ καὶ ἀναθεματίζουσι καὶ χλευάζουσιν...... οὐ γὰρ συντίθενται, βλασφημοῦντες τὰς αὐτῶν προφητείας.... οὔτε γὰρ δέχονται τὴν πεντάτευχον Μωϋσέως ὅλην, ἀλλά τινα ῥήματα ἀποβάλλουσιν. ὅταν δὲ αὐτοῖς εἴπῃς περὶ ἐμψύχων βρώσεως, πῶς οὖν Ἀβραὰμ παρέθετο τοῖς Ἀγγέλοις τὸν μόσχον καὶ τὸ γάλα: ἢ πῶς ἔφαγε Νῶε, καὶ ἤκουσεν ἀπὸ Θεοῦ λέγοντος, θῦσον καὶ φάγε: πῶς δὲ Ἰσαὰκ καὶ Ἰακὼβ ἔθυσαν τῷ Θεῷ, ὁμοίως δὲ καὶ Μωϋσῆς ἐν τῇ ἐρήμῳ: ἐκείνοις μὴ ἀπιστεῖ, καί φησι· τίς χρεία με ἀναγινώσκειν τὰ ἐν τῷ νόμῳ, ἐλθόντος τοῦ εὐαγγελίου...... καὶ βλασφημεῖ τὰ πλεῖστα τῆς νομοθεσίας.....

" tus reſponſum acceperit : *macta & manduca* ; quidve inſuper Iſaacus & Jacobus ac Moyſes ſimiliter in ſolitudine ſacrificaverint : negat Ebionita ſe illis credere. Et quid mea refert, inquiunt, ubi ſemel Evangelium allatum eſt, quæ in lege continentur, evolvere ? . . . . Ergo bonam legis partem contumelioſè traducunt.

Hactenus Epiphanius. Ubi vide, quàm variis modis vel uni Ebionitæ veteris Teſtamenti libros impugnaverint, quantâ fuerint licentiâ debacchati. Nullâ enim habitâ reverentiâ, vel Davidis viri ſecundùm cor Dei, vel Salomonis hominum ſapientiſſimi, vel ſanctiſſimorum virorum Eliæ atque Eliſæi, Iſaïæ, Hieremiæ, Danielis aut Ezechielis, omnes cum execratione proſcribebant deridebantque, ipſorumque vaticiniis maledicentiſſimè detrahebant. Pentateuchum quidem admittebant, ſed non integram, ſed abjectis ac circumſcriptis in ea quibuſdam verbis. A quibus autem impuras manus abſtinuere, non idcircò his crediderunt, aut plenam fidem habuerunt ; nam ſi quis aliquid ipſis objiceret ex Geneſi, aut Exodo ; legem ; ex quo Evangelium prodiit, non eſſe evolvendam audacter pronunciabant. Hæc illi magnâ impudentiâ. Quæ quiſquis recitat ex Epiphanio, ſceleratos homines, proditis ipſorum

facinoribus, meritâ quidem ignominiâ afficit: Sacrorum autem Bibliorum venerandam auctoritatem certiſſimamque integritatem non idcirco vellicat, aut ſuſpectam facit. Prophetas olim Ebionitæ deriſere: at iſtam ipſorum impietatem probi omnes & Catholici ſemper deteſtati ſunt. Pentateuchi, quam admittebant, loca illa, quæ erroribus ſuis adverſabantur, abjecerunt: at hæc ipſa loca Catholici eò diligentiùs aſſervarunt, & conſtantiùs retinuerunt.

Verùm illud quod ſequitur commune eſt Ebionitis cum Cerinthianis. Utrique enim Mathæi Evangelium, idque unum admittebant: at neutri integrum. De Cerinthianis quidem ſic loquitur [a] Epiphanius. *Mathæi Evangelio non integro, ſed ex parte duntaxat utuntur.* Cur autem illi Evangelium Mathæi potiſſimùm recepiſſent, geminam hanc rationem profert [b] idem Epiphanius.

Prima eſt, *propter genealogiam quæ ejus eſt carnis propria.* Nam cùm Jeſum aſſererent ex Joſephi ſemine prognatum, ſcriptam à Mathæo Joſephi genealogiam Catholicis obtrudebant, rati hanc fruſtra poſitam, ſi Jeſus Joſephi verè filius non fuit.

[a] Epiph. lib. 1. Hæreſ. 28. num. 5. Edit. Petav. p. 113. Χρῶνται γὰρ τῷ κατὰ Ματθαῖον εὐαγγελίῳ ἀπὸ μέρους, καὶ οὐχὶ ὅλῳ· ἀλλὰ διὰ τὴν γενεαλογίαν τὴν ἔνσαρκον....

[b] Ibid.

Stolidos homines & improvidos! Quorum dicta nullo pacto inter ſe cohærent; nimirum illâ ipſâ quæ apud Mathæum legitur, genealogiâ utebantur ad iſtud probandum, quod Mathæus ibidem apertè negat, nec ſemel. Sic enim Evangeliſta de Chriſti Domini generatione [a] loquitur. *Cùm eſſet deſponſata mater ejus Maria Joſeph, antequam convenirent, inventa eſt in utero habens de Spiritu ſancto*; & paulò poſt [b]: *Ecce Angelus Domini apparuit in ſomnis ei, dicens: Joſeph fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam: quod enim in ea natum eſt, de Spiritu ſancto eſt.* Rurſus verſibus aliquot interjectis: [c] *Et accepit conjugem ſuam: & non cognoſcebat eam, donec peperit filium ſuum primogenitum: & vocavit nomen ejus Jeſum.*

Secunda cauſa cur admiſſum ſit à Cerinthianis Mathæi Evangelium, eodem [d] Epiphanio teſte, ſunt hæc Chriſti verba apud eundem Mathæum [e]: *Sufficit diſcipulo, ut ſit ſicut magiſter ejus.* Ex quibus illi arguebant Chriſtianos omnes debere circumcidi & vi-
» vere ex præſcripto legis. [f] « Circumciſus eſt

[a] Math. 1. 18.
[b] ibid. 20.
[c] ibid. 24. & 25.
[d] Epiph. ibid.
[e] 10. 25.
[f] Epiph. lib. 1. Hær. 28. num. 5. Edit. Petav. p. 113.
Περιετμήθη ὁ Ἰησοῦς, περιτμήθητι καὶ αὐτός· Χριστὸς κατὰ νόμον, φασὶν, ἐπολιτεύσατο, καὶ αὐτὸς τὰ ἴσα ποίησον.

Jeſus, inquiebant: tu quoque ipſe circum- “
cidere: Chriſtus ex legis præſcripto vitam “
inſtituit, tu igitur eadem facito. “

Jam verò cur illi cùm Evangelio Mathæi uterentur, ejus tamen partem non reciperent, obſcura eſſe ratio non poteſt: eandem enim ob cauſam, & partem Evangelii ſecundùm Mathæum, & Pauli Epiſtolas & cæteros novi Teſtamenti libros reſpuebant; nempe quòd ſentirent prava ſua dogmata his manifeſtè damnari.

Quod pertinet ad Ebionitas Epiphanius pariter docet illos Evangelium ſecundùm Mathæum habuiſſe[a], *non integrum, ſed adulteratum ac mutilatum.* Qua parte autem ab iis mutilatum fuerit, non omnino tacet. Nam inter alià è medio ſuſtulerant duo prima Evangelii capita, quæ genealogiam & Chriſti naſcentis ac pueri myſteria continent. Igitur Evangelium illorum incipiebat à prædicatione Joannis & Baptiſmo Chriſti. Neque tamen ea quæ ad Joannem ſpectant intacta reliquerant; quia enim rerum animatarum eſum omnibus interdictum volebant, ne objiceretur ipſis exemplum Joannis, cujus cibus erant *locuſtæ*, veritatis ſermonem in mendacium commu-

[a] Epiph. lib. I. Hær. 30. num. 13. Edit. Petav. p. 137. Ἐν τῷ γοῦν παρ' αὐτοῖς εὐαγγελίῳ κατὰ Ματθαῖον ὀνομαζομένῳ, οὐχ' ὅλῳ δὲ πληρεστάτῳ, ἀλλὰ νενοθευμένῳ, καὶ ἠκρωτηριασμένῳ.

taverant, & pro eo quod eſt [a] ἀκρίδας, hoc eſt *locuſtas*, ſubſtituerant ἐγκρίδας, hoc eſt *epichyta mellita*, ſive *lagana*.

Similiter corruperant Mathæi locum illum, ubi Chriſtus dicitur comediſſe Paſcha cum diſcipulis; Paſcha enim Judæorum conſtabat agni carnibus aſſatis igni & panibus ſine fermento ſubactis. Ebionitæ verò ſublata pro ingenio ſuo veritatis ſerie immutaverunt verba, & diſcipulos ſic loquentes fecerunt: [b] *Ubi vis paremus tibi comedere Paſcha?* Quibus Apoſtolorum verbis adjunxerunt hanc Chriſti reſponſionem ex Evangelio Lucæ [c] huc tranſlatam, & in hunc modum corruptam: μὴ ἐπιθυμίᾳ ἐπεθύμησα κρέας τοῦτο τὸ πάσχα φαγεῖν μεθ' ὑμῶν; id eſt, NUMQUID *deſiderio deſideravi hoc Paſcha* QUOD EST CARO, *manducare vobiſcum?* Ubi triplicem fraudem commiſiſſe Ebionitæ convincuntur. Prima eſt, quòd locum hunc ex Evangelio Lucæ [d], ubi ſolum reperitur, in Evangelium Mathæi tranſtulerint, ut modò dicebam. Secunda & tertia, quòd verba Evangeliſtæ corruperint, adjectis duabus voculis μὴ & κρέας, quæ in ipſo textu non habentur.

Sed ipſum ſuper ea re audiamus [e] Epipha-

[a] Math. 3. 4.
[b] Math. 20. 17.
[c] Luc. 22. 15.
[d] 22. 15.
[e] Epiph. lib. 1. Hær. 30. n. 22. Edit. Petav. pag. 146.

nium. *Facile eſt*, inquit, *ſceleratam hanc illorum fraudem detegere, cùm ea quæ ſequuntur apertè clamitent, ambo eſſe elementa perperam addita, videlicet* μ *&* η. *Nam pro eo quod eſt deſiderio deſideravi, iſti* μὴ, *hoc eſt* NUM, *adverbium adjunxerunt... quibus inſuper vocabulum hoc,* κρέας, CARNEM, *addiderunt, ſeque ipſos miſerrimè deceperunt, cum per ſummum ſcelus adulteratâ Scripturâ hunc in modum extulerunt.* Num deſiderio deſideravi hoc Paſcha carnem manducare vobiſcum? *Atqui palam oſtenditur Chriſtum Dominum & Paſcha celebraſſe & carnes ediſſe.* Atque ita Epiphanius: quem quis audeat Pyrrhoniſmi idcirco ſuſpectum habere, quia Cerinthianorum & Ebionitarum in mutilanda & falſanda Scriptura impudentiam arguit?

Cujus quidem ſanctiſſimi Doctoris juvat adhuc verba aliqua referre priuſquam huic capiti finem impono. « Vide, inquit [a], « quàm ſit eorum (Hæreticorum ſcilicet) «

Πόθεν δὲ οὐ φωραθήσεται ἡ αὐτῶν ῥᾳδιουργία, τῆς ἀκολουθίας κεκραζούσης, ὅτι τὸ μυ καὶ τὸ ητα ἔστι προσθετά. ἀντὶ τοῦ γὰρ εἰπεῖν, ἐπιθυμίᾳ ἐπεθύμησα, αὐτοὶ προσέθηκαν τὸ μὴ ἐπίρρημα. αὐτὸς δὲ ἀληθῶς ἔλεγεν, ἐπιθυμίᾳ ἐπεθύμησα τοῦτο τὸ πάσχα φαγεῖν μεθ' ὑμῶν. αὐτοὶ δὲ ἐπιγράψαντες τὸ κρέας ἑαυτοὺς ἐπλάνησαν, ῥᾳδιουργήσαντες καὶ εἰπόντες. μὴ ἐπιθυμίᾳ ἐπεθύμησα τοῦτο τὸ πάσχα κρέας φαγεῖν μεθ' ὑμῶν: σαφῶς δὲ δείκνυται, ὅτι καὶ πάσχα ἐπετέλεσε, καὶ κρέα βέβρωκεν....

[a] Epiph. lib. 1. Hær. 30. n. 14. Edit. Petav. pag. 1;8

Ὅρα δὲ τὴν παρ' αὐτοῖς παραπεποιημένην πανταχόθεν διδασκαλίαν, πῶς πάντα χωλά, λοξά,

» undequaque depravata doctrina : quàm
» claudicantia diſtortaque ſint omnia, nec re-
» cti quicquam contineant. Cerinthus enim &
» Carpocrates eodem Mathæi, ut quidem
» volunt, Evangelio freti, ex ejus initio
» Chriſtique genealogia probare nituntur,
» Chriſtum è Joſephi & Mariæ ſemine eſſe
» procreatum. Illi (Ebionitæ) contra aliud
» omnino ſtatuunt. Nam omni illâ genealo-
» giâ amputatâ, inde unde diximus initium
» deducunt: *Factum eſt in diebus Herodis Re-*
» *gis*, &c.

Igitur ſi interrogaviſſes Cerinthianos & Carpocratianos, quo argumento probarent Chriſtum Dominum non eſſe *incarnatum de Spiritu ſancto ex Maria Virgine*, ſed è Joſephi & Mariæ ſemine procreatum: proferebant illi genealogiam, quam, inquiebant, fruſtra Mathæus deſcripſiſſet, ſi Joſephus à Judæis quidem putatus fuiſſet pater Chriſti, reipſa non fuiſſet. Deinde verò ſi ſermonem convertiſſes ad Ebionitas, qui pariter Jeſum Joſephi verè filium fuiſſe volebant : atque ab iis petiiſſes, an

καὶ οὐδεμίαν ὀρθότητα ἔχοντα. ὁ μὲν γὰρ Κήρινθος καὶ Καρποκρᾶς τῷ αὐτῷ χρώμενοι δῆθεν παρ' αὐτοῖς εὐαγγελίῳ ἀπὸ τῆς ἀρχῆς τοῦ κατὰ Ματθαῖον εὐαγγελίου, διὰ τῆς γενεαλογίας βούλονται παριστᾶν ἐκ σπέρματος Ἰωσὴφ καὶ Μαρίας εἶναι τὸν Χριστόν. οὗτοι δὲ ἄλλα τινὰ διανοοῦνται. παρακόψαντες γὰρ τὰς παρὰ τῷ Ματθαίῳ γενεαλογίας, ἄρχονται τὴν ἀρχὴν ποιεῖσθαι, ὡς προεῖπον, λέγοντες ὅτι ἐγένετο, φησὶν, ἐν ταῖς ἡμέραις Ἡρώδου βασιλέως....

aliquod hujus impii dogmatis ſui veſtigium in primo iſto Mathæi capite cernerent: negaſſent utique. Et verò & hoc & ſequens Mathæi caput non aliam ob cauſam amputabant & omnino rejiciebant, quàm quia ſentiebant his duobus capitibus prava ſua de Chriſto dogmata manifeſtè proſcribi atque damnari. Uſque adeo certum eſt hæreſim non cohærere ſibi, ejuſque Antiſtites ſuis ſe invicem armis jugulare.

Jam verò peto, num in Pentateucho, Prophetis & Evangelio, vel unus deſit locus, ex iis quæ Cerinthianos, Carpocratianos, & cæteros Simonis diſcipulos ſuſtuliſſe ſcimus: nullus certè. Verum eſt igitur Hæreticos dolis ac fraudibus, ingenii quidem ſui perverſitatem prodidiſſe, divinorum autem librorum integritati non nocuiſſe.

Caput VIII.

Mutilata eſſe à Marcione atque adulterata, Evangelium ſecundum Lucam atque Epiſtolas Pauli.

Marcion [a] genere Ponticus, ex urbe Sinopes, patrem habuit Catholicæ

[a] Juſtinus, Irenæus, Tertull. Orig. Epiph. Philaſt. Theodor. Auguſtin. atque alii.

Communionis Epiſcopum, virum religioſum, ac veritatis amantem : à quo piè educatus, caſtitatem initio præ ſe ferens, vitam ſolitariam profeſſus eſt. Poſtea cùm Virginem quandam fraudibus pellectam conſtupraſſet, Eccleſia pulſus eſt ab ipſo parente ſuo. Quem poſtquam nullis precibus exorari, nullis artibus blanditiiſque inflecti poſſe ſenſit, popularium ſuorum probra non ſuſtinens, Romam ſeſe contulit. Sed Eccleſiæ aditu nec Romæ impetrato, ſeſe adjunxit Cerdoni Hæretico, qui tunc illic agebat. Deinde pœnitentiam confeſſo, atque hæreſim, quam imbiberat, & jam tum in Oriente docuerat, ejuranti pax conceſſa : ſed cùm ad vomitum identidem reverteretur, ſemel & iterum ejectus eſt cum ducentis ſeſtertiis, quæ Eccleſiæ intulerat. Denuo tamen pacem erat eâ conditione recepturus, ſi cæteros, quos errore imbuiſſet, Eccleſiæ reſtitueret : ſed præventus morte impoſitam ſibi legem implere non valuit.

Porrò ad Cerdonis errores, alios ipſe adjecit non paucos : atque illos imprimis, quòd præter duo Cerdonis principia tertium admitteret; quòd Baptiſmum inſtauraret ſæpiùs; matrimonium omnino reſpueret; ac contenderet Chriſtum ex inferis quidem eripuiſſe Caïnum, Sodomitas, Ægyptios,

Ægyptios, Gentileſque omnes ac impios, quia deſcendenti ad inferos ſibi occurrerant: Abelum verò, Patriarchas ac Prophetas, qui Judæorum Deo ſerviiſſent, non eſſe ſalutem conſecutos. Cætera ejus deliria fuſiùs proſequi neceſſe non eſt. Verùm iſtud ad rem noſtram pertinet, quod ille Evangelium Lucæ & Epiſtolas Pauli, quos ſolos Scripturæ Sacræ libros recipiebat, impudentiſſimè mutilaverit adulteraveritque.

Ac primò Irenæus de Marcione ſic loquitur. « [a] Id quod eſt ſecundùm Lucam « Evangelium, inquit, circumcidens (Mar- « cion) & omnia quæ ſunt de generatione « Domini ſcripta auferens, & de doctrina « ſermonum Domini multa auferens, in qui- « bus manifeſtiſſimè conditorem hujus uni- « verſitatis ſuum Patrem confitens Dominus « conſcriptus eſt; ſemetipſum eſſe veracio- « rem, quàm ſunt hi qui Evangelium tradi- « derunt Apoſtoli, ſuaſit diſcipulis ſuis; non « Evangelium, ſed particulam Evangelii tra- « dens eis. Similiter autem & Apoſtoli Pauli « Epiſtolas abſcidit, auferens quæcumque « manifeſtè dicta ſunt ab Apoſtolo de eo « Deo, qui mundum fecit, quoniam hic pa- «

[a] Iren. lib. 1. contr. Hær. nov. Edit. Pariſ. cap. 27. pag. 106. Edit. Oxon. cap. 29. pag. 104.

Iſte locus ex his eſt qui non habentur Græcè, ut & alius, qui ex eodem Irenæo ſequitur, locus.

» ter Domini noſtri Jeſu-Chriſti, & quæ-
» cumque ex Prophetis memorans Apoſtolus
» docuit, prænunciantibus adventum Do-
» mini.

Neque hoc ſcelus ſemel tantùm Marcioni exprobrat Irenæus: eandem accuſationem ſæpiùs inſtaurat [a] in libro tertio, ſed maximè capite duodecimo, ubi ſic lo-
» quitur. » [b] Deſerti igitur cùm ſint, inquit,
» à paterna dilectione & inflati à Satana con-
» verſi in Simonis magi doctrinam, abſtite-
» runt ſententiis ab eo qui eſt Deus, & pu-
» taverunt quod à ſemetipſo plus inveniſſent,
» quàm Apoſtoli, alterum Deum adinve-
» nientes: & Apoſtolos quidem adhuc, quæ
» ſunt Judæorum, ſentientes annuntiaſſe
» Evangelium; ſe autem ſinceriores & pru-
» dentiores Apoſtolis eſſe. Unde & Marcio
» & qui ab eo ſunt, ad intercidendas con-
» verſi ſunt Scripturas, quaſdam quidem in
» totum non cognoſcentes, ſecundùm Lu-
» cam autem Evangelium & Epiſtolas Pauli
» decurtantes, hæc ſola legitima eſſe dicunt,
» quæ ipſi minoraverunt. Nos autem etiam
» ex his quæ adhuc apud eos cuſtodiuntur,
» arguemus eos, donante Deo, in altera
» conſcriptione.

In quibus Irenæi verbis multa occurrunt

[a] cap. 11. 12. & 13.

[b] Iren. lib. 3. cont. Hær. cap. 12. nov. Par. Edit. pag. 198. Oxonien. pag. 230.

obſervanda. 1. Marcionem atque eos qui cum ipſo ſenſerunt, peſtiferam è Simonis Magi ſcholâ doctrinam hauſiſſe. 2. Illos eò deveniſſe ſuperbiæ atque ſtultitiæ, ut ſe Apoſtolis ipſis veraciores prudentioreſque dicerent. 3. Non alios ab ipſis admiſſos eſſe novi Teſtamenti libros, quàm Evangelium ſecundùm Lucam & Pauli Epiſtolas. 4. In his ipſis libris, quos admittebant, quædam adulteraſſe, quædam expunxiſſe. 5. Potuiſſe illos impietatis argui & convinci, vel ex parvis Sacri textûs reliquiis, quas retinuerant: atque hoc aliquando ſingulari opere demonſtraturum ſe Irenæus ſpondet. Quod tamen opus, vel numquam editum eſt, vel planè periit.

Eandem Marcionis in interpolandis Evangelio ſecundùm Lucam atque Pauli Epiſtolis impudentem audaciam ſæpius notat Tertullianus in libro quarto adversùs eundem Marcionem. *Tranſeo nunc*, inquit [a], *ad Evangelii, ſanè non Judaïci, ſed Pontici, interim adulterati demonſtrationem*.... Deinde docet titulum ipſum *Evangelii ſecundùm Lucam*, ab inconſtantiſſimo Hæreſiarcha deletum eſſe. « Marcion, inquit [b], Evangelio, ſcilicet ſuo, nullum adſcribit auctorem, quaſi non licuerit illi titulum quoque

[a] num. 2. Edit. Rigalt. pag. 502.

[b] Ibid. pag. 503.

» adfingere, cui nefas non fuit ipſum corpus » evertere. » Poſtea refert, quo prætextu uſus Marcion iſtud ſcelus attentavit, ut Evangelium ſecundùm Lucam mutilaret atque everteret. Nempe impurus Apoſta- » ta, inquit [a], « nactus Epiſtolam Pauli ad » Galatas .... accuſantis pſeudo-Apoſtolos » quoſdam pervertentes Evangelium Chriſti, » connititur ad deſtruendum ſtatum eorum » Evangeliorum, quæ propria & ſub Apoſto- » lorum nomine eduntur, vel etiam Apoſto- » licorum. » Ac poſtquam demonſtravit Pauli verba non eſſe intellecta à Marcione, ipſiuſque ſtultitiam pluribus redarguit: impudentem Hæreſiarcham his ſugillat ver- » bis & ridet [b]. « Emendator Evangelii à Ti- » berianis uſque ad Antoniniana tempora » everſi, Marcion ſolus & primus obvenit, » expectatus tamdiu à Chriſto pœnitente » jam, quòd Apoſtolos præmiſiſſe properaſ- » ſet ſine præſidio Marcionis: niſi quod hu- » manæ temeritatis, non divinæ auctorita- » tis negotium eſt hæreſis, quæ ſic ſemper » emendat Evangelia, dum vitiat.

Neque verò Marcionis emendationes, ſeu veriùs depravationes primo ſtatim ipſius conatu omnes prodierunt. Nam & diſcipuli ejus, ut habet idem Tertullianus [c],

[a] Ibid. num. 3. pag. 503.
[b] Ibid. num. 4. pag. 505.
[c] Ibid. n. 5. pag. 506.

quotidiè reformant illud, prout à nobis quotidie revincuntur. Qua in re magiſtrum ſuum imitabantur: qui loca multa ex quibus impietas ejus redargui poterat, prius ipſe expunxit: qualis eſt locus iſte in quo Chriſtus ait ſe veniſſe, non ut legem ſolveret & Prophetas, ſed ut adimpleret: [a] quem locum, *ut additum* eraſit. Cùm tamen omnia eradere non potuiſſet Marcion, Tertullianus imprudentiam hominis ridens ſic loquitur. « Marcion [b], inquit, quædam contraria ſibi illâ credo induſtriâ eradere de Evangelio ſuo noluit, ut ex his quæ eradere potuit, nec eraſit, illa quæ eraſit, aut negetur eraſiſſe, aut meritò eraſiſſe dicatur. Neque parcit niſi eis, quæ non minùs aliter interpretando, quàm delendo, ſubvertit. » Denique Hæreſiarcham ſic ipſe compellat per ironiam: *Miſereor tui, Marcion* [c] *fruſtra laboraſti, Chriſtus enim Jeſus in Evangelio tuo meus eſt.*

Falſi crimen Marcioni quoque exprobrat non ſemel Cyrillus Hieroſolymitanus. Nam & in Catecheſi ſexta: « Marcion, inquit [d], cùm teſtimoniis veteris Teſtamenti

[a] Ibid. n. 7. p 507.
[b] Lib. 4. num. 43. p. 574.
[c] Ibid.
[d] Cyrill. Hieroſol. Catech. 6. num. 10. Edit. Oxon. p. 89. Ὁ Μαρκίων ὑπὸ τῶν κειμένων ἀπὸ τῆς παλαιᾶς ἐν τῇ καινῇ διαθήκῃ μαρτυριῶν ἐλεγχόμενος, πρῶτος ἐτόλμησεν ἐκκόψαι τὰς μαρτυρίας, καὶ ἀμάρτυρον ἀφεῖναι τὸν καταγγελλόμενον λόγον τῆς πίστεως, καταλείψας τὸν Θεόν. καὶ

» in novo recitatis coargueretur ac refelle-
» retur, primus eſt auſus ea exſcindere teſti-
» monia : ac fidei ſermonem qui annuntia-
» retur, teſtimonio nullo confirmatum dimit-
» tere, ut cùm nulli ſupereſſent præcones,
» Eccleſiæ fidem corrumperet. » In Cate-
cheſi autem decima ſexta : » Primus enim,
» inquit, impiiſſimus Marcion, primus cùm
» tres eſſe Deos aſſereret, & multa de Chri-
» ſto Prophetarum teſtimonia in novo Teſta-
» mento citata videret, abſtulit illa ex ve-
» teri Teſtamento teſtimonia, ut abſque te-
» ſtimonio Rex maneret.

Impudentiſſimum in mutilandis iiſdem Sacris Libris Marcionis flagitium cæteris fuſiùs proſecutus eſt Epiphanius [a] : Mar-
» cion, inquit, « ſolum Lucæ Evangelium
» amplectitur, amputato tamen initio, quod
» ibi Salvatoris in utero generationem &

ὡς κηρύκων μὴ ὄντων, σαθρὰν ἠθέλησε ποιήσασθαι τῆς ἐκκλησίας τὴν πίστιν.

Idem Cyrill. Catech. 16. n. 3. Edit. Oxon. pag. 226.

Πρῶτος γὰρ Μαρκίων ὁ ἀθεώτατος, ὁ πρῶτος τρεῖς Θεοὺς εἰπών, εἰδὼς ὅτι ἔγκεινται ἐν τῇ καινῇ μαρτυρίαι περὶ Χριστοῦ τῶν προφητῶν, περιέκοψε τὰς ἐκ τῆς παλαιᾶς διαθήκης μαρτυρίας, ἵνα ἀμάρτυρος μείνῃ ὁ βασιλεύς.

[a] Epiph. adverſ. Hær. lib. 1. Hæreſ. 42. Edit. Petav. p. 309.

Οὗτος γὰρ (ὁ Μαρκίων) ἔχει εὐαγγέλιον μόνον τὸ κατὰ Λουκᾶν, περικεκομμένον ἀπὸ τῆς ἀρχῆς, διὰ τὴν τοῦ Σωτῆρος σύλληψιν, καὶ τὴν ἔνσαρκον αὐτοῦ παρουσίαν. οὐ μόνον δὲ τὴν ἀρχὴν ἀπέτεμεν ὁ λυμηνάμενος ἑαυτὸν ἤπερ τὸ εὐαγγέλιον. ἀλλὰ τοῦ τέλους καὶ τῶν μέσων πολλὰ περιέκοψε τῶν τῆς ἀληθείας λόγων. ἄλλα δὲ παρὰ τὰ γεγραμμένα προστέθεικε. μόνῳ δὲ κέχρηται τούτῳ τῷ χαρακτῆρι τῷ κατὰ Λουκᾶν εὐαγγελίῳ.

ejuſdem adventum cum corpore perſpicuè «
commemorat, nec initium modò circum- «
ſcripſit ille ſui potius, quam Evangelii, «
corruptor : ſed & ex initio pariter ac me- «
dio pleraſque veritatis ſententias ſuſtulit, «
aliaſque pro illis ſubſtituit. Hanc unam «
porrò Evangelii formam, quod à Luca «
ſcriptum eſt, admittit; Epiſtolas præterea «
Pauli Apoſtoli decem, quibus ſolis utitur, «
nec iis quidem integris, ſed alia ex illis ca- «
pita detrahit, alia commutat. «

Idem rurſum paulò poſt ſic loquitur [a].
« Marcionis liber Evangelium ſecundùm Lu- «
cam ſtylo ipſo referre videtur : ut autem ab «
eo mutilatus eſt, initio, medio, ac fine de- «
curtatis, corroſi undique à tineis veſtimenti «
ſimillimus eſt. Etenim ab ipſo ſtatim initio «
ea, unde Lucas exorſus eſt; nimirum, *quo-* «
niam quidem multi conati ſunt ordinare narra- «
tionem, *&c.* una cum Elizabethæ & An- «
geli Mariæ Virgini nuntium afferentis hi- «
ſtoria, Joannis item ac Zachariæ, adeo- «
que nati apud Bethleemum Domini, cum «

ἔχει δὲ τὰς ἐπιστολὰς παρ' αὐτῷ τοῦ ἁγίου Ἀποστόλου δέκα, αἷς μόναις κέχρηται, οὐ πᾶσι δὲ τοῖς ἐν αὐταῖς γεγραμμένοις, ἀλλά τινα αὐτῶν περιτέμνων, τινὰ δὲ ἀλλοιώσας κεφάλαια.

[a] Idem ibid. num. 11. Edit. Petav. pag. 311.

Ὁ μὲν γὰρ χαρακτὴρ τοῦ κατὰ Λουκᾶν σημαίνει τὸ εὐαγγέλιον, ὡς δὲ ἠκρωτηρίασται μήτε ἀρχὴν ἔχον, μήτε μέσα, μήτε τέλος ἱματίου βεβρωμένου ὑπὸ πολλῶν σητῶν ἐπέχει τὸν τρόπον. εὐθὺς μὲν γὰρ ἐν τῇ ἀρχῇ πάντα τὰ ἀπ' ἀρχῆς τῷ Λουκᾷ πεπραγματευμένα, τουτέστιν ὡς λέγει· ἐπειδήπερ πολλοὶ ἐπεχείρησαν, καὶ

» ejuſdem genealogia ac baptiſmate : hæc,
» inquam, omnia circumcidens ac tranſi-
» liens, inde Evangelium exorditur : *anno* XV.
» *Tiberii Cæſaris, &c.* Hoc igitur illius ini-
» tium eſt : neque tamen cætera ordine per-
» texit ; verùm quædam, ut diximus, am-
» putat, addit alia, ſuſdeque, quod aiunt,
» omnia perturbans, nec rectâ gradiens, ſed
» malitiosè huc illuc curſitans. Ea porro ſe-
» quuntur. » Deinde longo ordine Epipha-
nius exhibet Evangelii loca, quæ à Marcio-
ne depravata ſunt.

Poſtea verò ad Epiſtolas Pauli veniens [a]
» hæc habet : « Illas ipſas inſuper, inquit,
» uſitato illo ſuo flagitio mutilatas propo-
» ſuit .... omnia malitiosè callidéque depra-
» vavit. » Sequuntur poſtmodum loca quæ
in Epiſtolis Pauli à Marcione expuncta ſunt
aut adulterata.

» Tum ſic abſolvit [b] Epiphanius. « Hæc eſt

τὰ ἑξῆς. καὶ τὰ περὶ Ἐλισάβετ, καὶ τοῦ Ἀγγέλου εὐαγγελιζομένου τὴν Μαρίαν παρθένον, Ἰωάννου τε καὶ Ζαχαρίου, καὶ τῆς ἐν Βηθλεὲμ γεννήσεως γενεαλογίας, καὶ τῆς τοῦ βαπτίσματος ὑποθέσεως· ταῦτα πάντα περικόψας ἀπεπήδησε, καὶ ἀρχὴν τοῦ εὐαγγελίου ἔταξε ταύτην· ἐν τῷ πεντεκαιδεκάτῳ ἔτει Τιβερίου Καίσαρος, καὶ τὰ ἑξῆς. ἐντεῦθεν οὖν οὗτος ἄρχεται, καὶ οὐ καθ' εἱρμὸν πάλιν ἐπιμένει, ἀλλὰ τὰ μὲν ὡς προείπομεν παρακόπτει, τὰ δὲ προστίθησιν ἄνω κάτω, οὐκ ὀρθῶς βαδίζων, ἀλλὰ ῥᾳδιουργημένως πάντα περινοστεύων ....

[a] Epiph. adv. Hær. lib. I. Hær. 42. Edit. Petav. p. 317. Καὶ αὐτῶν δὲ (ἐπιστολῶν τοῦ Παύλου) ἠκρωτηριασμένων συνήθως τῇ αὐτοῦ ῥᾳδιουργίᾳ ...... τὰ πάντα δεινῶς μηχανευσάμενος ἐνόθευσεν.

[b] Epiph. lib. I. adverſ. Hær. Hær. 42. Edit. Petav. p. 321.

Marcionis adulterina illa lucubratio : quæ « tam Evangelii ſecundùm Lucam , quàm « Epiſtolarum Pauli Apoſtoli formam ſpe- « ciemque repræſentat. » Tum quibuſdam interjectis addit : « Hæc autem omnia com- « memoravimus . . . ut quicumque adversùs « illius errorem diſputare fuerint adgreſſi, « prius intelligant, quædam ab eo commu- « tata vocabula ac per fraudem ac malitiam « inſerta. Quæ verò ſuis locis minimè repe- « riuntur, ejuſdem ſunt audaciâ ſubtracta. «

Epiſtolas Pauli plurimas à Marcione pariter mutatas & corroſas Hieronymus teſtatur his verbis : « Quoniam Marcionis fe- « cimus mentionem, inquit [a], Pauli eſſe Epi- « ſtolam ad Philemonem, ſaltem Marcio- « ne auctore doceantur. Qui cùm cæteras « Epiſtolas ejuſdem, vel non ſuſceperit, vel « quædam in his mutaverit atque corroſe- « rit, in hanc ſolam manus non eſt auſus « mittere, quia ſua illam brevitas defende- « bat. «

Idem in Commentariis in Caput 3. Epi-

Αὕτη ἡ νενοθευμένη τοῦ Μαρκίωνος σύνταξις, ἔχουσα μὲν χαρακτῆρα καὶ τύπον τοῦ κατὰ Λουκᾶν εὐαγγελίου, καὶ Παύλου τοῦ Ἀποστόλου οὐχ ὅλον, οὐ πασῶν τῶν αὐτοῦ Ἐπιστολῶν . . . . . ταῦτα δὲ ἡμῖν πεπόνηται καὶ πεπολυπραγμόνηται . . . . . ἵνα εἰδέναι ἔχοιεν πάντες οἱ πειρώμενοι ἀντιλέγειν τῇ αὐτοῦ πλάνῃ· ὅτι τὰ μὲν παρηλλαγμένα ῥήματα, κατὰ ῥᾳδιουργίαν ἐντέτακται· ὅσα δὲ οὐκ ἐμφέρεται ἐν τοῖς οἰκείοις τόποις, συληθέντα ὑπάρχει ὑπὸ τῆς αὐτοῦ τόλμης.

[a] Præf. in Epiſt. ad Philem. tom. 4. nov. Edit. part. 1. p. 441. & ſeq.

ſtolæ ad Galatas locum appellat ab eodem Marcione eraſum. « Ab hoc, inquit[a], » *loco, ſicut*[b] *Abraham credidit Deo, & reputatum eſt ei ad juſtitiam*, uſque ad eum, ubi » ſcribitur, [c] *qui ex fide ſunt benedicentur cum* » *fideli Abraham*, Marcion de ſuo Apoſtolo » eraſit. Sed quid profuit hæc tuliſſe, cùm » cætera quæ reliquit, ejus inſaniæ adverſa » ſint ?

Eandem Marcionis impudentiam in Evangelio Lucæ interpolando etiam redarguunt Philaſtrius, Theodoretus atque alii. Atqui tamen quod tot clariſſimi Patres tam enucleatè affirmant, tam luculenter exponunt, quidam hodie in dubium revocant : *Et* [d] *trepidantes timore ubi non erat timor*, verentur ne ſi hæc Marcionis perfidia manifeſta ſit, ſuſpecti fiant ſacrarum paginarum codices, Pyrrhoniſmuſque in Religionem Catholicam invehatur : cùm tamen Marcionis ſcelere facti fuerint vigilantiores Catholici ; & loca omnia, quæ iſte in codicibus ſuis eraſerat, conſervaverint eò diligentiùs, quò magis hæreſi diſplicere ſenſerant.

[a] Tom. 4. novæ Edit. part. 1. pag. 252.
[b] Ad Galat. 3. 6.
[c] Ibid. 3. 9.
[d] Pſ. 13. 5.

Caput IX.

Idem flagitium à Cerdone, Luciano & Apelle commiſſum, quod à Marcione.

A Simone & Saturnino erroris initia [a] nactum Cerdonem, in Oriente primum docuiſſe; atque ibi rem urgente Apollonio Corinthiorum Epiſcopo à Synodo damnatum [b] eſſe ferunt. Deinde è Syria [c] Romam veniſſe Hygini Papæ & Antonini Pii temporibus, atque ibi Marcioni, atque aliis hæreſis ſuæ virus aſperſiſſe.

Duo ille ſtatuebat [d] principia ac duos Deos: alterum bonum & omnibus ignotum; alterum malum & cognitum: illum Patrem Domini Jeſu Chriſti: hunc Creatorem qui in lege locutus ſit & Prophetis apparuerit. Contendebat præterea Chriſtum nec à Maria genitum, nec carne fuiſſe re ipſa veſtitum, atque adeo non verè, ſed ſpecie tenus paſſum ac mortuum: è cælo autem ab ignoto Patre non alio conſilio deſcendiſſe, quàm ut mundi Creato-

[a] Epiph. l. 1. Hær. 41. c. 1.
[b] Prædeſt. l. 1. Hær. 22.
[c] Epiph. ibid. Theodor. l. 1. Hær. Fab. cap. 24. Philaſtr. Hær. 16.
[d] Iren. Tertull. Philaſt. Epiph. Theodor. Auguſt. aliique.

ris imperium ac tyrannidem coërceret. Præterea repudiabat corporum reſurrectionem, & vetus Teſtamentum, & magnam partem novi. Porro idem inſigne perfidiæ ſimul & inconſtantiæ exemplum dedit: [a]
» « Sæpè in Eccleſiam veniens & exhomo-
» logeſim faciens, ſic conſummavit, modò
» quidem latenter docens, modò verò ex-
» homologeſim faciens, modò verò ab ali-
» quibus traductus in his, quæ docebat ma-
» lè, & abſtentus eſt à religioſorum homi-
» num conventu.

Non Cerdonis, ſed Marcionis [b] diſcipuli fuerunt Lucanus ſive Lucianus & Apelles: quorum prior magiſtri ſui dogmata integra complexus eſt: poſterior emendare voluit, ac propriam ipſe ſectam inſtituere. Hic ergo, ut ipſe Tertullianus ſcribit [c],
» « lapſus in fœminam, deſertor continentiæ
» Marcionenſis, ab oculis ſanctiſſimi magiſtri
» Alexandriam ſeceſſit. Inde poſt annos re-
» greſſus non melior, niſi tantùm qua jam
» non Marcionites, in alteram fœminam im-
» pegit, illam virginem Philumenem, quam

[a] Iren. cont. Hær. lib. 3. cap. 4. nov. Edit. Par. pag. 178. Oxon. pag. 206.
Κέρδων δὲ .... εἰς τὴν ἐκκλησίαν ἐλθὼν καὶ ἐξομολογούμενος, οὕτως διετέλεσε, ποτὲ μὲν λαθροδιδασκαλῶν, ποτὲ δὲ πάλιν ἐξομολογούμενος, ποτὲ δὲ ἐλεγχόμενος ἐφ' οἷς ἐδίδασκε κακῶς, καὶ ἀφιστάμενος τῆς τῶν ἀδελφῶν συνοδίας.

[b] Tertull. Epiph. &c.

[c] Lib. de Præſc. hær. cap, 30. Edit. Rig. pag. 242.

ſupra edidimus, poſtea verò immane pro- «
ſtibulum & ipſam, cujus energemate cir- «
cumventus, quas ab ea didicit Phanero- «
ſeis ſcripſit. » Hæc autem traditæ ab ipſo doctrinæ ſumma eſt. Docet unicum eſſe primum principium, Deum unicum qui ſanctus ſit, bonus & à principio Deus: ſed ab illo alium eſſe productum Deum, qui minimè bonus ſit, & qui hujus mundi ſit conditor: Chriſtum non ſpecie ſolâ, ſed verè apparuiſſe: tamen carnem non ſumpſiſſe de Maria Virgine, ſed effinxiſſe ſibi ex quatuor elementis. In aliis vix à Marcione recedit.

Hoc verò his omnibus Hæreticis fuit commune cum Marcione, ut Evangelium Lucæ & Epiſtolas Pauli, quos ſolos Scripturæ Sacræ libros recipiebant, mutilarent. De Cerdone quidem, Auctor Catalogi, quem poſt librum de præſcriptionibus Hæreticorum apud Tertullianum legimus, id apertè teſtatur [a] his verbis: *Solum Evangelium Lucæ*, inquit, *nec tamen totum recipit* (Cerdon) *Apoſtoli Pauli neque omnes, neque totas Epiſtolas ſumit.*

Hoc autem in loco dubium ſuboriri poteſt: primuſne Cerdon Evangelium Lucæ atque Pauli Epiſtolas adulterare auſus fuerit: anne hoc à Marcione acceperit. Cer-

[a] cap. 51. Edit. Rigal. p. 253.

tum quidem eſt non Cerdonem Marcionis, ſed Marcionem Cerdonis diſcipulum fuiſſe. Verùm facile fieri potuit, ut qui hæreſim à Cerdone didicit Marcion, viciſſim ipſe magiſtrum ſuum perfidiam hanc docuerit. Hujus perfidiæ Marcionem primum auctorem fuiſſe apertè docet S. Cyrillus Hieroſolymitanus his verbis: [a] *Primus eſt auſus* (Marcion) *ea exſcindere teſtimonia*.... videturque planè Tertullianus in eadem opinione fuiſſe, ubi docet [b] *Marcionem primum & ſolum obveniſſe Evangelii emendatorem.* Nam ſi Cerdon ante Marcionem id auſus eſſet, non utique Marcion diceretur primus id ſcelus perpetraſſe. Quanquam potuiſſent fortaſſe ita loqui Tertullianus & Cyrillus, quamvis Cerdon iſtius ſceleris inventor fuiſſet, quia primus illud litteris mandavit Marcion, ac ſcripto libello perfidiam hanc defendit. Verùm ſive Cerdon, ſive Marcion primus fuerit auctor adulterandi Evangelium Lucæ atque Pauli Epiſtolas, certum eſt utrumque hujus flagitii reum fuiſſe.

Quod ad Lucianum attinet, ita de eo [c] Epiphanius. *Hic Marcionis ante ſectator,*

[a] Cyril. Hieroſ. Catech. 6. num. 10. Edit. Oxon. p. 89. Μαρκίων ... πρῶτος ἐτόλμησεν ἐκκόψαι τὰς μαρτυρίας....

[b] Lib. 4. adv. Marcionem num. 4. Edit. Rigalt. p. 505.

[c] Epiph. lib. 1. adv. Hær. Hær 43. Edit. Petav. Pariſ. pag. 378.
Οὗτος γὰρ συνεπόμενος τῷ πρω-

poſt ab eodem divulſus, proprium ſibi gregem contrahens, novæ ſectæ factus eſt conditor. Quia tamen omnia Magiſtri ſui dogmata complexus eſt, novis tantùm ſuperadditis, inter eos videtur numerandus, qui Lucæ Evangelium & Pauli Epiſtolas adulteraverunt. Hoc ipſum confirmari poteſt ex illo catalogo, qui apud Tertullianum habetur ad calcem libri de Præſcriptionibus Hæreticorum. Quippe hujus auctor ſic de Luciano, quem Lucanum nominat, [a] loquitur. *Hic per eadem vadens blaſphemiæ genera, eadem docet quæ Marcion & Cerdon docuerant.* Monuerat autem paulò antè à Cerdone recipi *ſolum Evangelium Lucæ, ſed non totum; & Apoſtoli Pauli neque omnes, neque totas Epiſtolas.*

De Apelle diſertè teſtatur idem Scriptor, [b] ipſum *ſolo uſum eſſe Apoſtolo, ſed Marcionis, id eſt non toto.* Ita Apelles quidem: at diſcipuli ejus aliam poſtea docendi viam inierunt. Quippe Epiphanius [c] docet illos ætate ſua ex omnibus Libris Sacris ea ſelegiſſe loca, quæ ſibi ad hæreſim ſuam ſtabiliendam idonea viderentur: cætera rejeciſſe. Alia enim in Libris Sacris à Deo

εἱρημένῳ Μαρκίωνι, καὶ ἀπὸ τούτου ἀποσχίσας, καὶ αὐτὸς ἄθροισμα ἑαυτῷ ποιησάμενος, αἱρέσεως προέστη .....

[a] cap. 51. Edit. Rigal. p. 253.
[b] ibid. pag. 254.
[c] Lib. 1. Hær. 44. cap. 2. Edit. Petav. Par. p. 382.

bono pronuntiata cenſebant, alia à Deo conditore, hoc eſt à Deo malo: delectum igitur eſſe faciendum juxta ipſius Chriſti præceptum in Evangelio: *Eſtote probi argentarii:* unde cum ſuis colloquens Apelles iſtud identidem ingeminabat: *utere omnibus, ex Scriptura quavis utilia ſelige.* Hinc eſt quod Epiphanius hominem indignabun-
» dus ſic compellat.[a] « Cùm è Sacris Litte-
» ris, quicquid placuerit eligas, aut rejicias,
» planè judicem te legum non interpretem
» facis, ac delectorem omnium quæ ex ani-
» mi tui ſententia minimè ſcripta ſunt; quæ
» etſi veriſſima ſint, falsò à te nihilominus
» commutantur, & ad tuum ac tuorum er-
» rorem accommodantur.

Cùm ergo diſertè teſtentur veteres Patres non Marcionem tantùm, ſed etiam Cerdonem, Lucanum aut Lucianum & Apellem eò deveniſſe audaciæ ut Evangelium ſecundùm Lucam atque Epiſtolas Pauli mutilarent; quis jam iſtud factum neget? Quis dicat id Hæreticis objici non poſſe, niſi ab iis qui impia Pyrrhonis diſciplina fuerint imbuti?

[a] Epiph. adv. Hær. lib. 1. Hær. 44. num. 5. Par. Petav. Edit pag. 384. & ſeq.
Εἰ δὲ καὶ ἃ βούλει λαμβάνεις ἀπὸ τῆς θείας γραφῆς, καὶ ἃ βούλει καταλιμπάνεις, ἄρα γοῦν κριτὴς προκαθίσας, οὐχ' ἑρμηνευθὴς τῶν νόμων, ἀλλὰ ἐκλογεὺς τῶν οὐ κατὰ τὸν νοῦν σου γραφέντων, ἀλλὰ ὄντων μὲν ἀληθινῶν, παρὰ σοὶ δὲ μεταποιηθέντων ψευδῶς, καὶ κατὰ τὸν νοῦν τῆς σῆς ἀπάτης, καὶ τῶν ὑπὸ σοῦ ἠπατημένων.

CAPUT

CAPUT X.

Pepuzianos, Tatianum & Severianos varia Scripturæ loca pro libidine ſua immutaſſe.

INter adulteratores ſacrorum Codicum numerari debent Pepuziani & Artotyritæ : utrique è Montani ſchola profecti; Montaniſtarum enim & Cataphrygum ſecta ſtatim initio in multas partes ſciſſa eſt. Pepuziani [a] ſic dicti ſunt à Pepuza Phrygiæ vico, quem ipſi Hieroſolymæ nomine decorabant, illuc undique omnes quoad poterant, convenientes; iidem & Quintilliani appellantur à Quintilla Prophetiſſa, quæ in magno apud ipſos honore fuit. Pepuzianis adjungendi ſunt Artotyritæ, qui nomen habuerunt ἀπὸ τοῦ ἄρτου καὶ τοῦ τυροῦ, quòd pane & caſeo in myſteriis uti ſolerent.

Porrò & Pepuzianorum & Artotyritarum par ſtultitia fuit, paria flagitia. Sed de ipſis audiamus Epiphanium. [b] *Pepuziani*, inquit, *qui & Quintilliani dicuntur, quibus & accedunt Artotyritæ .... Cataphrygibus an-*

[a] Euſeb. Epiph. Philaſtr. Theod. & alii.

[b] Epiph. adv. Hær. lib. 2. hær. 3. in ſynopſi. Pariſ. Petav. Edit. pag. 396.

Πεπουζιανοὶ, οἱ καὶ Κυιντιλλιανοὶ, οἷς συνάπτονται Ἀρτοτυρῖται, ἐκ τούτων μέν εἰσι τῶν κατὰ Φρύγας

numerandi ſunt .... mulieribus ſacros Magiſtratus & Sacerdotia deferunt: certis initiantur myſteriis, quibus puerulum confodiunt .... tam vetus quam novum Teſtamentum adhibent, ita tamen ut pleraque pro animi libidine commutent. Illi ergo Hæretici inter alia ſcelera hoc etiam admittebant, ut Sacros Libros pro animi libidine commutarent.

Eodem ſe flagitio contaminavit Tatianus, Philoſophus Chriſtianus [a]: qui Juſtini Martyris diſcipulus, primùm Romæ cum laude docuerat: regreſſus in Orientem poſt Juſtini mortem, in errores Valentini delapſus, factus eſt dux & anteſignanus Encratitarum: qui quidem hæretici nomine *Continentes*, re ipſa turpiſſimi fuerunt. Severum etiam quemdam, à quo Severiani, impia Tatiani dogmata amplexatum eſſe tradunt. De Encratitis autem & Severianis ita Euſebius. *Primus eorum*, inquit [b], *atque inſtitutor Tatianus, catenam & collectionem neſcio quam Evangeliorum contexuit, quam* διὰ τεσσάρων, *hoc eſt Evangelium ex quatuor Evangeliis compoſitum, nominavit, quod*

.... γυναιξὶ δὲ ἀποδιδόντες τὸ ἀρχιοῦτε καὶ ἱερατεύειν· μυοῦνται δέ τινα παῖδα καταικεντοῦντες νέον.... κέχρηνται δὲ ὡσαύτως παλαιᾷ καὶ καινῇ διαθήκῃ, κατὰ τὸν νοῦν τὸν ἴδιον μετεποιούμενοι.

[a] Iren. Tertull. Euſ. Philaſt. Epiph. Theod. & alii.

[b] Euſeb. Hiſt. Eccl. lib. 4. cap. 29. Valeſii 2. Edit. p. 122. Ὁ μέντοι γε πρότερος αὐτῶν ἀρχηγὸς ὁ Τατιανὸς, συνάφειάν τινα καὶ συναγωγὴν οὐκ οἶδ᾽ ὅπως τῶν εὐαγγελίων συνθεὶς, τὸ διὰ τεσσάρων τοῦτο προσωνόμασεν· ὃ καὶ παρά τισιν εἰσέτι νῦν φέρεται·

opus à quibuſdam habetur. Aiunt etiam nonnulli, auſum illum eſſe dicta Pauli Apoſtoli elegantioribus verbis exprimere, utpote qui compoſitionem verborum illius corrigere ſtuderet.

Theodoretus autem de eodem Tatiano loquens. *Hic Evangelium*, ait[a], *quod Diateſſaron dicitur, compoſuit, amputatis genealogiis, & aliis omnibus, quæ Dominum ex ſemine David ſecundùm carnem natum oſtendunt. Eoque uſi ſunt non modò qui ejus erant ſectæ, ſed etiam qui Apoſtolica dogmata ſequebantur, compoſitionis fraudem non cognoſcentes, ſed ſimplicius tanquam compendiario libro utentes. Nactus ſum etiam ipſe libros hujuſmodi ſupra ducentos in honore habitos in Eccleſiis noſtris, quos omnes in unum congeſtos ſepoſui, & pro his quatuor Evangeliſtarum Evangelia introduxi.*

De eodem Tatiani libro videtur locutus

τοῦ δὲ ἀποστόλου φασὶ τολμῆσαί τινας αὐτὸν μεταφράσαι φωνάς, ὡς διορθούμενον αὐτῶν τὴν τῆς φράσεως σύνταξιν.

[a] Theodoret. tom. 4. lib. 1. hæret. fabul. cap. 20. Edit. Sirm. pag. 208.

Οὗτος καὶ τὸ διὰ τεσσάρων καλούμενον συντέθεικεν εὐαγγέλιον, τὰς τε γενεαλογίας περικόψας, καὶ τὰ ἄλλα ὅσα ἐκ σπέρματος Δαβὶδ κατὰ σάρκα γεγεννημένον τὸν κύριον δείκνυσιν· ἐχρήσαντο δὲ τούτῳ, οὐ μόνοι οἱ τῆς ἐκείνου συμμορίας, ἀλλὰ καὶ οἱ τοῖς ἀποστολικοῖς ἑπόμενοι δόγμασι, τὴν τῆς συνθήκης κακουργίαν οὐκ ἐγνωκότες, ἀλλ᾽ ἁπλούστερον ὡς συντόμῳ τῷ βιβλίῳ χρησάμενοι· εὗρον δὲ κἀγὼ πλείους ἢ διακοσίας βίβλους τοιαύτας ἐν ταῖς παρ᾽ ἡμῖν ἐκκλησίαις τετιμημένας, καὶ πάσας συναγαγὼν ἀπεθέμην, καὶ τὰ τῶν τεττάρων εὐαγγελιστῶν ἀντεισήγαγον εὐαγγέλια.

Ambroſius, ubi docet [a] *pleroſque Hæreticos ex quatuor Evangelii libris ea, quæ venenatis putaverunt aſſertionibus convenientia, referſiſſe.*

Conſtat ergo Tatianum, atque ab illo ortos Encratitas & Severianos amputaſſe ex Evangeliis non modò genealogias, ſed etiam alia omnia quæ Dominum ex ſemine David ſecundùm carnem natum oſtendunt. Præterea idem Tatianus accuſabatur à nonnullis, quòd auſus eſſet dicta Pauli elegantioribus verbis exprimere, & compoſitionem verborum Apoſtoli corrigere ſtuduiſſet. Neque tamen aut Euſebius eos, qui hæc dicerent Pyrrhoniſmi inſimulat: aut quiſquam Theodoretum reprehendit, quanquam ille diſertè ait & affirmat repertos à ſe & in unum ſepoſitos eſſe ducentos Tatiani libros, in quibus & genealogiæ, & cætera, quæ indicat, fuerant amputata.

[a] Lib. 1. Expoſ. Evan. ſec. Luc. num. 2. nov. Edit. tom. 1. pag. 1265.

CAPUT XI.

Auſos eſſe Theodotianos atque Artemonianos ſua Sacrorum Librorum exemplaria adulterare.

QUamvis Hæretici multi adulteras manus in Sacros Libros injecerint, vix tamen ulli iſtud facinus audaciùs perpetrarunt Theodotianis [a]. Illi magiſtrum habuerunt Theodotum quemdam patriâ Byzantinum, arte Coriarium, ſed multæ eruditionis virum : qui cùm Chriſtum abnegaſſet, Imperante Marco Aurelio, nec Gentilium ſuorum probra ſuſtineret, ſcelus ſuum alio ſcelere excuſare voluit : aſſeruitque Chriſtum non eſſe Deum, ſed nudum hominem ; atque adeo hominem negatum à ſe, non Deum. Quam impietatem ſtatim damnavit Victor Romanus Pontifex, auctoremque tam execrandæ blaſphemiæ ejecit ex Eccleſia. Theodoto ſeſe adjunxerunt Artemon, atque alter Theodotus arte Argentarius, ſive Trapezita, quorum ille Chriſtum cæteris quidem Prophetis majorem, ſed nudum hominem : hic dicebat eſſe etiam inferiorem Melchiſedecho.

[a] Tertul. Euſ. Epiph. Philaſt. Theod. Aug. aliique.

Porro Theodoretus citans Auctorem Anonymum libri, cui titulus erat *Parvus labyrintus*, quem auctorem nonnulli exiſtimabant eſſe Originem, ſed falsò : Theodoretus, inquam, illum auctorem citans ſic loquitur [a]. *Hoc etiam adjecit, quod qui hanc (Theodoti) hæreſim conflarunt, divinam Scripturam interpolare auſi ſunt, & quædam amputare, quædam adjicere : emendaſſe ſe dicentes, quæ non bene habebant, & ſapientiores ſe Spiritu ſancto pronuntiantes. Neque in hoc ipſo illos conveniſſe docet, ſed alio modo id feciſſe Theodotum, alio Aſclepiadem, & Hermophilum aliter, aliter Apollonidem. Quin & horum ſingulos ſua ipſorum inſuper correxiſſe, ita ut exemplarium magna ſit diſcrepantia.*

Rem eandem paulò fuſiùs proſequitur Euſebius, pariter loquentem inducens Anonymum, ſed veterem auctorem libri adverſùs Artemonis hæreſim. « [b] His adjiciemus, inquit Euſebius, alia quoque ejuſ-

[b] Theodoret. tom. 4. lib. 2. hæret. fabul. cap. 5. Edit. Sirm. pag. 221.

Ὁ προῤῥηθεὶς συγγραφεὺς (τοῦ σμικροῦ Λαβυρίνθου) προστέθεικεν, ὡς οἱ τὴν αἵρεσιν συντεθεικότες ῥᾳδιουργῆσαι τὴν θείαν γραφὴν ἐτόλμησαν· καὶ τὰ μὲν περικόψαι, τὰ δὲ προσθεῖναι· διωρθωκέναι τὰ οὐκ εὖ ἔχοντα λέγοντες, καὶ σοφωτέρους ἑαυτοὺς τοῦ παναγίου πνεύματος ἀποφαίνοντες· καὶ οὐδὲ τοῦτο συμφώνως αὐτοὺς δεδρακέναι λέγει, ἀλλ' ἄλλως μὲν τὸν Θεόδοτον, ἑτέρως δὲ τὸν Ἀσκληπιάδην, καὶ Ἑρμόφιλον ἄλλως, καὶ τὸν Ἀπολλωνίδην ἑτέρως· καὶ τούτων δὲ ἕκαστοι ἐπιδιορθώσεις τῶν οἰκείων ποιήσασθαι, ὥστε πολλὴν εἶναι τῶν ἀντιγράφων διαφωνίαν.

[b] Euſeb. Hiſt. Eccl. lib. 5. cap. 28. Valeſii 2. Edit. pag. 160.

dem ſcriptoris (anonymi) de iiſdem Hæ- «
reticis verba, quæ ſic habent. Sacras, in- «
quit, Scripturas audacter adulteraverunt: «
primitivæ autem fidei regulam rejece- «
runt.... Proinde iſtos qui Infidelium arti- «
bus ac diſciplinis ad ſtabiliendam hæreſis «
ſuæ opinionem abutuntur, & ſubtili im- «
piorum hominum verſutiâ ſimpliciſſimam «
divinarum Scripturarum adulterant fidem, «
remotiſſimos eſſe à fide, quid attinet dice- «
re? Hinc eſt quod divinis Scripturis auda- «
cter manus intulerunt, eas à ſe emendatas «
eſſe dicentes. Atque id à me non falsò eis «
objici quiſquis voluerit, facilè cognoſcet. «
Nam ſi quis exemplaria illorum undique «
conquiſita ſimul inter ſe contulerit, inve- «
niet profectò illa inter ſe plurimùm diſſen- «
tire. Certè Aſclepiadoti exemplaria non «
conveniunt cum illis quæ ſunt Theodoti. «
Multa porrò hujuſmodi exemplaria nan- «

Τούτοις ἐπισυνάψωμεν καὶ ἄλλας περὶ τῶν αὐτῶν τοῦ αὐτοῦ συγγραφέως φωνὰς, τοῦτον ἐχούσας τὸν τρόπον· γραφὰς μὲν θείας ἀφόβως ῥερᾳδιουργήκασι· πίστεως δὲ ἀρχαίας κανόνα ἠθετήκασιν.... οἱ δὲ ταῖς τῶν ἀπίστων τέχναις εἰς τὴν τῆς αἱρέσεως αὐτῶν γνώμην ἀποχρώμενοι, καὶ τῇ τῶν ἀθέων πανουργίᾳ τὴν ἁπλῆν τῶν θείων γραφῶν πίστιν καπηλεύοντες· ὅτι μὴ δὲ ἐγγὺς πίστεως ὑπάρχουσι, τί δεῖ καὶ λέγειν: διὰ τοῦτο ταῖς θείαις γραφαῖς ἀφόβως ἐπέβαλον τὰς χεῖρας, λέγοντες αὐτὰς διωρθωκέναι· καὶ ὅτι τοῦτο μὴ καταψευδόμενος αὐτῶν λέγω, ὁ βουλόμενος δύναται μαθεῖν· εἰ γάρ τις θελήσει συγκομίσας αὐτῶν ἑκάστου τὰ ἀντίγραφα ἐξετάζειν πρὸς ἄλληλα, κατὰ πολὺ ἂν εὕροι διαφωνοῦντα· ἀσύμφωνα γοῦν ἔσται τὰ Ἀσκληπιάδου τοῖς Θεοδότου· πολλῶν δέ ἐστιν εὐπορῆσαι, διὰ τὸ φιλοτίμως ἐγγεγράφθαι τοὺς μαθητὰς αὐτῶν τὰ

» ciſci licet, propterea quod diſcipuli illo-
» rum ſtudioſè perſcripſerunt ea quæ à ma-
» giſtris ſuis, ut ipſi dicunt, emendata, hoc
» eſt corrupta fuerant. Jam Hermophili
» exemplaria cum illis quæ dixi, minimè con-
» ſentiunt. Ea verò quæ dicuntur Apolloni-
» dis, ne ſecum quidem ipſa concordant.
» Nam illa quæ priùs ediderat, cum iis quæ
» poſtea invertit atque luxavit, conferre
» quilibet poteſt, atque inter ſe diſſonantia
» deprehendere. Quantæ porrò audaciæ ſit
» ejuſmodi facinus, ne ipſos quidem igno-
» rare credibile eſt. Aut enim Sacras Scrip-
» turas à ſancto Spiritu dictatas eſſe non cre-
» dunt; ac proinde Infideles ſunt: aut ſe-
» metipſos Spiritu ſancto ſapientiores eſſe exi-
» ſtimant, ac proinde quid aliud ſunt quàm
» Dæmoniaci? Neque enim negare poſſunt
» hoc facinus à ſe admiſſum eſſe, cùm ipſo-
» rum manu deſcripta ſint exemplaria, ne-
» que ab illis à quibus in Chriſtiana fide in-

ὑφ' ἑκάστου αὐτῶν ὡς αὐτοὶ καλοῦσι κατωρθωμένα, τουτέστιν ἠφανισμένα· πάλιν δὲ τούτοις τὰ Ἑρμοφίλου οὐ συνᾴδει. τὰ γὰρ Ἀπολλωνίου οὐδὲ αὐτὰ ἑαυτοῖς ἐστὶν σύμφωνα. ἔνεστι γὰρ συγκρῖναι τὰ πρότερον ὑπ' αὐτῶν κατασκευασθέντα, τοῖς ὕστερον πάλιν ἐπιδιαστραφεῖσι, καὶ εὑρεῖν κατὰ πολὺ ἀπάδοντα· ὅσης δὲ τόλμης ἐστὶ τοῦτο τὸ ἁμάρτημα, εἰκὸς μηδὲ ἐκείνους ἀγνοεῖν. ἢ γὰρ οὐ πιστεύουσιν ἁγίῳ πνεύματι λελέχθαι τὰς θείας γραφάς, καί εἰσιν ἄπιστοι· ἢ ἑαυτοὺς ἡγοῦνται σοφωτέρους τοῦ ἁγίου πνεύματος ὑπάρχειν· καὶ τί ἕτερον ἢ δαιμονῶσιν; οὐδὲ γὰρ ἀρνήσασθαι δύνανται ἑαυτῶν εἶναι τὸ τόλμημα, ὁπόταν καὶ τῇ αὐτῶν χειρὶ ἦ γεγραμμένα· καὶ παρ' ὧν κατηχήθησαν μὴ τοιαύτας παρέλαβον τὰς γραφάς· καὶ δεῖξαι ἀντίγραφα, ὅθεν αὐτὰ μετεγράψαντο,

ſtituti ſunt, ejuſmodi Codices acceperint: "
nec oſtendere poſſint exemplaria, ex quibus "
ſua illa deſcripſerunt. Quidam autem ex "
iſtis, ne adulterare quidem Scripturas di- "
gnati ſunt: ſed legem ac Prophetas abſo- "
lutè repudiantes, per illegitimam & im- "
piam doctrinam ſub obtentu gratiæ in al- "
tiſſimum exitii gurgitem delapſi ſunt. "

Hactenus Anonymus Scriptor apud Euſebium. Euſebium verò & Theodoretum quis reprehendat, quòd veterum Scriptorum impudentem in corrumpendis Sacris Litteris licentiam Hæreticis exprobrantium teſtimonia recitaverint, & ſuo ſuffragio comprobarint? Jam verò quis contendat ab eruditiſſimis Scriptoribus violatam idcirco Religionem Catholicam, aut admiſſa eſſe impia Pyrrhonis commenta? Sua Theodotiani exemplaria adulteraverunt: hoc in confeſſo eſt. Adulterata autem exemplaria non ſuſcepit Eccleſia, ſed reprobavit & deteſtata eſt.

μὴ ἔχουσιν, ἔνιοι δ᾽ αὐτῶν οὐδὲ παραχαράσσειν ἠξίωσαν αὐτὰς, ἀλλ᾽ ἁπλῶς ἀρνησάμενοι τόν τε νόμον, καὶ τοὺς προφήτας, ἀνόμου καὶ ἀθέου διδασκαλίας προφάσει χάριτος, εἰς ἔσχατον ἀπωλείας ὄλεθρον κατωλίσθησαν.

Caput XII.

Quid de Manichæis ſenſerint Hieronymus & Leo Magnus, quid de Donatiſtis Auguſtinus.

IMpia Manichæorum deliria, cùm omnibus nota ſint, ſuperfluum eſt hîc fuſiùs exponere. Falſi crimen ipſius ſectæ Auctori Manichæo cum Marcione commune fuiſſe, Hieronymus apertè indicat in [a] Commentariis in Caput quartum Epiſtolæ ad
» Galatas, ubi ſic loquitur. « Marcion & Ma-
» nichæus hunc locum, in quo dixit Apoſto-
» lus, *quæ quidem ſunt allegorica*, & cætera
» quæ ſequuntur, de Codice ſuo tollere no-
» luerunt, putantes adversùm nos relinqui. »
Quæ certè qui legit, non dubitat quin Hieronymo fuerit perſuaſum, plurima ab iſtis Hæreſiarchis reipſa ſublata fuiſſe de Pauli Epiſtolis.

Iſtud ipſum de Manichæi diſcipulis confirmat Leo Magnus, & docet quanta illi licentia in Scripturam Sacram graſſati fue-
» rint. « Iſti de quibus loquimur [b], inquit,
» adverſarii veritatis (Manichæi) legem per

[a] Nov. Edit. tom. 4. part. 1. pag. 281.

[b] Serm. 4. in Epiph. cap. 4.

Moyſem datam & inſpirata divinitus Pro- «
phetarum oracula reſpuerunt. Ipſaſque «
Evangelicas & Apoſtolicas paginas, quæ- «
dam auferendo, & quædam inſerendo vio- «
laverunt: confingentes ſibi ſub Apoſtolo- «
rum nominibus & ſub verbis ipſis Salvato- «
ris multa volumina falſitatis, quibus erro- «
ris ſui commenta munirent, & decipien- «
dorum mentibus mortiferum virus infun- «
derent.» Quibus verbis Leo Magnus non modò nos edocet, rejectum eſſe à Manichæis vetus Teſtamentum: ſed etiam ab iiſdem violatas eſſe Evangelicas & Apoſtolicas paginas; *quædam auferendo & quædam inſerendo*. Hoc autem quia docuit ſanctiſſimus Pontifex, quis idcirco illum accuſet, quòd novi Teſtamenti Codices ſuſpectos fecerit, & Pyrrhoniſmum vel nolens in Religionem invexerit?

Sed redeo ad Manichæos, qui ut ſcelus, quod ipſis ſanctus Leo exprobrat, aliquo modo excuſarent, criminationem eandem in Catholicos ſummâ impudentiâ retorquebant. Contendebant enim, quanquam omnino temere, Apoſtolorum ſcripta, qualia apud Catholicos legebantur, falſata olim fuiſſe à neſcio quibus Codicum corruptoribus: unde conſequens eſſet ſcripta Apoſtolorum non ab ipſis corrumpi, ſed emendari. Crimen, quod dixi, Catholicis

falsò impoſitum eſſe à Manichæis, ſanctus
» ipſe Auguſtinus docet. » Manichæi, [a] plu-
» rima divinarum Scripturarum quibus ipſo-
» rum nefarius error clariſſima ſententiarum
» perſpicuitate convincitur .... quia in alium
» ſenſum detorquere non poſſunt, falſa eſſe
» contendunt: ita tamen ut eandem falſita-
» tem non ſcribentibus Apoſtolis tribuant,
» ſed neſcio quibus Codicum corruptoribus.
» Quod tamen quia nec pluribus, nec anti-
» quioribus exemplaribus, nec præcedentis
» linguæ auctoritate, unde Latini libri inter-
» pretati ſunt, probare aliquando potuerunt,
» notiſſima omnibus veritate ſuperati confu-
» ſique diſcedunt. » Ex quo certum redditur, Manichæorum fraudes in ipſorum ignominiam vertiſſe, nullum Eccleſiæ Catholicæ damnum intuliſſe.

Sed quoniam de Auguſtino mentio facta eſt, non erit abs re hîc referre, quæ exiſtimavit tutò & ſine ullo Religionis periculo Hæreticis poſſe objici, quæ reipſa Donato Carthaginenſi objecit; quanquam criminationem quam falſa opinione deceptus intenderat, poſtea veritate comperta retractavit. Animadverterat in libro Eccleſiaſtici [b], ubi Scriptura genuina habet, *(qui baptizatur à mortuo, & iterum tangit illum,*

[a] Epiſt. 82. aliàs 19. ad Hieron. num. 6. nov. Edit. tom. 2. pag. 191.
[b] 34. 30.

quid proficit lavatio ejus?) Ibi ſcriptum eſſe in quibuſdam exemplaribus, *qui baptizatur à mortuo, quid proficit lavatio ejus?* ita ut abeſſet ſententia illa, *& iterum tangit illum.* Hoc cùm obſervaſſet ſanctus Doctor, qui Hæreticorum fraudes & ingenium ſubdolum apprimè noverat: exiſtimavit verba intermedia eraſa fuiſſe conſilio & opera Donati Carthaginenſis, cujus intererat eradi. Quare cùm contra Epiſtolam ejus edidiſſet Librum, qui jam non extat, hoc ſcelus & perfidiam objecit adverſario, & [a] *in iſtum tanquam in furem divini eloquii vel violatorem multa dixit.* Verùm poſtea didicit etiam antequam exiſteret pars Donati, ſic habuiſſe codices plurimos, verumtamen Afros, ut non eſſet in medio, *& iterum tangit illum.* Quod ubi reſcivit, declaravit [b] pro æquitate ſuâ Donatum Carthaginenſem non fuiſſe tanti Auctorem ſacrilegii, nec illum idcircò accuſandum eſſe *tanquam divini eloquii furem & violatorem.*

Ex quo Auguſtini loco duo colligere licet, quæ pariter certa ſunt. 1. Extitiſſe quidem in Africa codices plurimos, in quibus ab illa Eccleſiaſtici ſententia, quam ſuprà retulimus, aberant verba iſta, *& iterum tangit illum:* verùm codices hu-

[a] Lib. 1. Retract. cap. 21. num. 3. nov. Edit. tom. 1. pag. 32.
[b] Ibid.

juſmodi fuiſſe ipſo Donato Carthaginenſi antiquiores, atque adeo illam Sacri Libri ſententiam non poſſe dici ab ipſo Donato decurtatam. 2. Auguſtinum antequam antiquiores illos codices vidiſſet, accuſaſſe Donatum *tanquam violatorem divini eloquii*; unde conſequens eſt, Auguſtinum tunc exiſtimaſſe, id crimen nec eſſe alienum ab ingenio ac moribus Hæreticorum, & poſſe illis objici abſque ulla ſacrorum codicum injuria, aut Catholicorum offenſione. Non probaſſet igitur ſanctus Doctor eorum agendi rationem, qui conclamant ſuſpectos reddi Sacros Libros & Pyrrhoniſmum invehi, ſi quis affirmet ab Hæreticis olim corruptos eſſe aliquot Sacrorum Librorum codices, & violatam ab illis divini eloquii integritatem.

CAPUT XIII.

Ab Arianis corruptos eſſe Sacræ Scripturæ codices aliquot, & ſublatum eſſe hunc Evangelii locum, Joan. 3. 6. Quoniam Deus Spiritus eſt.

HIncmarus in tractatu *de non trina Deitate*[a], conqueritur de Arianis in hunc

[a] Tom. 1. pag. 464.

modum. *Ariani, de Evangelio eraſerunt quod Salvator ait*, QUIA DEUS SPIRITUS EST; *nolebant enim credere quod Spiritus ſanctus Deus eſſet omnipotens.* Quæ verba Hincmari, cùm ego datâ occaſione [a] retuliſſem: inſurrexit in me novus veterum codicum Vindex, & contendit debuiſſe me in dubium revocare, quæ Hincmarus ſine teſte, ſine auctore protulit. « Maximè verò [b], quod de Arianis (idem Præſul) aſſerit, eos de Joannis Evangelio Chriſti verba, *quia Deus Spiritus eſt*, eraſiſſe, quod Spiritum ſanctum Deum eſſe omnipotentem nolebant credere, vix ullam apud cordatos fidem habebit. » Ita ille: cujus cenſuram, dubito, an viri cordati, quorum judicium appellat, comprobaturi ſint. Certè non comprobaſſet Fulbertus Carnotenſis, qui hæc ipſa verba ex Evangelio Joannis ab Arii diſcipulis eraſa eſſe pariter affirmat [c] his verbis: « Cujus (Arii) auditores, quoniam Spiritum ſanctum Deum eſſe negabant, de Evangelio eraſerunt illud, quod Salvator ait: *Spiritus eſt Deus.*

Et verò cur negat Domnus Cuſtantius fidem habendam eſſe Hincmaro aïenti, ab Arianis de Evangelio Joannis eraſum eſſe

[a] Diſcep. 2. de vet. Reg. Franc. Diplom. p. 361.
[b] Vindic. vet. Codic. p. 51.
[c] Epiſt. 1. ad Adeodatum tom. 18. maximæ Biblioth. Patr. pag. 3.

id quod Salvator ait, *quia Deus Spiritus eſt?* Scilicet quia putat hæc ab Hincmaro dicta eſſe ſine teſte, ſine auctore. Verùm quæ putantur dicta ſine teſte, ſine auctore, hæc eadem teſtem habent locupletiſſimum Divum Ambroſium, qui jam tum quarto Sæculo Arianis iſtud ipſum flagitium exprobrabat, quod iiſdem Hæreticis Hincmarus & Fulbertus poſtea objecerunt. Sed audiamus ipſum Ambroſium.

Arianos ſic compellat in libro tertio de » Spiritu ſancto. « Nec ſolùm hoc loco[a], evi» denter ſancti Spiritus θεότητα, hoc eſt Deï» tatem, Scriptura teſtatur; ſed etiam ipſe » Dominus dixit in Evangelio: *quoniam Deus* » *Spiritus eſt*. Quem locum ita expreſſè, Aria» ni, teſtificamini eſſe de Spiritu, ut eum de » veſtris codicibus auferatis: atque utinam » de veſtris, & non etiam de Eccleſiæ codi» cibus tolleretis! » Affirmat Ambroſius locum hunc Evangelii[b], *quoniam Deus Spiritus eſt*, ab Arianis perfidè eſſe ſublatum, & ſublatum eſſe non modò ex Arianorum, ſed etiam ex Eccleſiæ codicibus. Quod facinus Ariani fortaſſe idcirco ad exitum perducere potuerunt, quia plurimi ex illis, fraudulenter diſſimulatâ hæreſi, ſeſe ab Eccleſiæ Catholicæ communione ſubducere

[a] cap. 10. num. 59. 60. 61. 62. 63. 64. p. 676. tom. 2. nov. Edit.

[b] Joan. 3. 6.

perdiu

perdiu refugerunt. Cùm ergo iſti ſimul cum Catholicis conventus agerent, iiſdem uterentur divinorum Librorum exemplaribus, non mirum, quòd potuerint ex codicibus, quos habebant ad manum, paucula verba furtim eradere.

Tamen à vigilantiſſimis Eccleſiæ Paſtoribus detectam fuiſſe hanc Arianorum perfidiam Ambroſius docet, tempuſque aſſignat, quo detecta eſt. « Eo enim tempore, « inquit, quo impiæ infidelitatis Auxentius « Mediolanenſem Eccleſiam armis exercitu- « que occupaverat, vel à Valente atque Ur- « ſatio, nutantibus Sacerdotibus ſuis, incur- « ſabatur Eccleſia Sirmienſis, falſum hoc & « ſacrilegium veſtrum in Eccleſiaſticis co- « dicibus deprehenſum eſt. Et fortaſſe hoc « etiam in Oriente feciſtis. » In Occidente perpetratum hoc ſcelus ſanctiſſimus Doctor apertè & ſine ulla dubitatione declarat: idem in Oriente pariter factum ſuſpicatur, ſed non aſſeverat. Verùm indubitanter pronuntiat tanto Arianorum flagitio fidem Eccleſiæ nec labefactari nec perverti potuiſſe. « Et litteras quidem, inquit, potui- « ſtis abolere, ſed fidem non potuiſtis au- « ferre. Plus vos illa litura prodebat, plus « vos illa litura damnabat: neque enim vos « poteratis oblinire veritatem, ſed illa litura « de libro vitæ nomina veſtra radebat. «

Dehinc pluribus probat eraſum ab Arianis locum, de Spiritu ſancto, non de Deo Patre eſſe intelligendum: « Cur auferebatur, inquit, *quoniam Deus Spiritus eſt*; ſi non pertinebat ad Spiritum? Si enim de Deo Patre vultis exprimi, ergo & Deum Patrem negatis, qui putatis eſſe delendum. Utrum vultis, eligite: in utroque vos laqueus veſtræ impietatis adſtringet, ſi Gentiles vos eſſe fateamini, vel Patrem Deum negando, vel Spiritum. Tenetur igitur veſtra confeſſio, qua deleſtis oraculum, dum formidatis exemplum. Deleſtis quidem in pectoribus animiſque veſtris; cæterùm divinum non deletur oraculum, non deletur Spiritus ſanctus, ſed averſatur impias mentes: non deletur gratia, ſed iniquitas.... Veſtra igitur eſtis confeſſione convicti, quod ſapienter factum non poteſtis dicere, ſed aſtutè. Aſtutè enim cognoviſtis loci iſtius vos adteſtatione convinci, nec argumenta veſtra adversùs id poſſe teſtimonium convenire. Quò enim poſſit aliò intellectus loci iſtius derivari, cùm ſeries lectionis tota de Spiritu ſit? Nicodemus quærit de regeneratione, reſpondet Dominus: *Amen, amen dico tibi, niſi quis renatus fuerit per aquam & Spiritum, non poteſt introire in regnum Dei.* Et ut oſtenderet aliam generationem ſecundùm car-

nem eſſe, aliam ſecundùm Spiritum, ad- "
didit: *quod natum eſt de carne, caro eſt; quia* "
de carne natum eſt: & quod natum eſt de Spi- "
ritu, Spiritus eſt: QUIA DEUS SPIRITUS "
EST. Proſequere ergo totam ſeriem lectio- "
nis, & invenies quod Dominus impieta- "
tem veſtram plenitudine adſertionis exclu- "
ſerit: *Noli*, inquit, *mirari quia dixi: opor-* "
tet vos naſci denuò. Spiritus ubi vult, ſpirat, "
& vocem ejus audis; ſed neſcis unde veniat, "
aut quò vadat; ſic eſt omnis qui natus eſt de "
Spiritu. Quis eſt qui naſcitur de Spiritu, & "
qui efficitur Spiritus; niſi qui renovatur "
Spiritu mentis ſuæ? Hic eſt utique qui per "
aquam regeneratur & Spiritum ſanctum, "
quoniam per lavacrum regenerationis & "
renovationis Spiritus ſancti ſpem vitæ ca- "
pimus æternæ. "

Hactenus Ambroſius, cujus verba retulimus, ut manifeſtum fieret, crimen falſi Arianis ab Hincmaro non fuiſſe objectum ſine teſte, ſine auctore. Quippe Ambroſius ipſe teſtis eſt, 1. In capite tertio Evangelii ſecundùm Joannem ab Arianis deletum eſſe locum hunc, *quoniam Deus Spiritus eſt.* Locum hunc ab impiis hominibus ſublatum eſſe non tantùm de codicibus ſuis, ſed etiam de Eccleſiæ codicibus. 3. Eraſum eſſe hunc locum certè in Occidente, fortaſſe etiam in Oriente. 4. Falſum

hoc & ſacrilegium in Eccleſiaſticis codicibus eo tempore deprehenſum, quo Auxentius Mediolanenſem Eccleſiam armis exercituque occupaverat, Valenſque & Urſatius incurſabant Eccleſiam Sirmienſem: hoc eſt flagitium hoc non eſſe deprehenſum ante annum Chriſti 357. fortaſſe aliquot poſt annis.

Atque iſta omnia Ambroſius & diſertè teſtatur, & pro certis atque exploratis habet. Unde hoc in loco in Arianos inſurgit vehementiùs: eoſque vel hac ſuâ liturâ dignos judicat, quorum nomina de libro vitæ deleantur. Quis autem ſibi perſuadeat ſanctiſſimum Doctorem, cujus prudentia ſemper ſumma fuit & modeſtia, adverſarios quanquam impios homines ſic exagitare voluiſſe propter crimen, quod dubium eſſet aut falſum?

Et verò locum illum, *quoniam Deus Spiritus eſt*, non extare ampliùs in capite tertio Evangelii ſecundùm Joannem, cuique legenti manifeſtum eſt: illic autem ſaltem apud Latinos extitiſſe ante Arianorum tempora nemini dubium eſſe poteſt.

Nam 1. Tertullianus in libro *de carne Chriſti*, quem Romæ ſcripſit adversùs Marcionem, Apellem, & Valentinum, quorum primus negabat Chriſtum veram carnem habuiſſe; ſecundus concedebat ve-

ram carnem habuiſſe, ſed verè natum eſſe negabat; tertius cùm fateretur & veram carnem habuiſſe & verè natum eſſe, aïebat illum natum eſſe per Virginem atque in Virgine, at non ex Virgine : adversùs iſtos Hæreticos, inquam, Tertullianus hunc ipſum Joannis locum citat. « Ipſe Dominus, inquit[a], ſententialiter & definitivè « pronuntiavit, *quod in carne natum eſt, caro* « *eſt,* QUIA EX CARNE NATUM EST. Sed ſi « de homine tantummodo dixit, non & de « ſemetipſo : planè nega Chriſtum, & ita de- « fende non & in ipſum competiſſe. Atquin « ſubjicit, *& quod de Spiritu natum eſt, Spiri-* « *tus eſt,* QUIA DEUS SPIRITUS EST, ET DE « DEO NATUS EST. Hoc utique vel eo ma- « gis in ipſum tendit, ſi & in credentes ejus. « Si ergo & hoc ad ipſum, cur non & illud « ſupra? neque enim dividere potes.... Ita « cùm ipſe ſit de Spiritu Dei, *& Spiritus Deus* « *eſt,* & Deus ex Deo natus ipſe eſt, & ex « carne hominis homo in carne generatus. » « Ex quibus liquet, non modò illa verba, *quia Deus Spiritus eſt,* & illa, *& de Deo natus eſt,* ſed etiam iſta alia, *quia ex carne natum eſt,* quæ non ampliùs extant in Sacris Bibliis, Romæ tamen ætate Tertulliani in iis lecta eſſe.

2. Neque Romæ tantùm, aut ſolus iſta

[a] De Carne Chriſt. cap. 18. Edit. Rigalt. pag. 373.

legit Tertullianus in Evangelio Joannis: ſed & in Africa Cyprianus, & cum illo plurimi Epiſcopi in Synodo, quæ Carthagine anno 256. celebrata eſt, & in qua agitur de *baptizandis Hæreticis.* In ea enim Synodo ſic inducitur loquens Nemeſianus à Thu-
» bunis, « In Evangelio, inquit [a], Dominus
» dicit, *quod natum eſt de carne, caro eſt: &*
» *quod natum eſt de Spiritu, Spiritus eſt;* QUIA
» DEUS SPIRITUS EST, ET DE DEO NATUS
» EST.

3. Imo & ille locus remanſit in Bibliis Africanis, etiam poſt Ambroſii tempora. Nam Vigilius Tapſenſis, qui floruit ſub finem quinti Sæculi, hunc citat in dialogis illis, ubi inducit Athanaſium cum Ario diſputantem coram Probo Judice, & qui habentur [b] ad calcem operum Athanaſii. « In
» Evangelio quoque, inquit ibidem [c] Atha-
» naſius, de Patre Dominus dixit, SPIRI-
» TUS EST: & ut ſe de Patre natum oſten-
» deret, ait, *quod natum eſt de carne, caro eſt;*
» *& quod natum eſt de Spiritu, Spiritus eſt;*
» QUIA DEUS SPIRITUS EST.

4. Poſſet etiam videri Epiphanius appellare hunc eumdem locum [d], ubi ex illis Evangelii verbis, *Spiritus Deus eſt*, probat

[a] Conc. Carth. c. 5. apud Cyprian. Edit. Oxon. p. 231. Rigalt. pag. 355.

[b] Nov. Edit. tom. 2. part. 2.

[c] Ibid. pag. 636.

[d] Tom. 2. in Anchoratu, cap. 46. Par. Pet. Edit. p. 51.

Deum Filium ſpiritaliter eſſe *progenitum à Patre, quatenus Pater Spiritus eſt.* Verùm quominus id affirmare auſim, illud obſtat; quod locum illum ex capite tertio Evangelii Joannis deſumptum nuſquam reperi apud Patres Græcos. Quare quando-nam locus ille de textu Græco ſublatus fuerit, non facile eſt definire. Ambroſius ſuſpicatur deletum etiam fuiſſe ab Arianis in Oriente, ſed iſtud non planè affirmat. Neque verò certum eſt, aut extitiſſe unquam in exemplaribus Græcis, aut in omnibus Latinis olim fuiſſe ſcriptum. Quippe ex iis Patrum teſtimoniis, quæ ſuprà retulimus, hoc unum certò colligi poteſt, extitiſſe olim tam in codicibus Africanis, quàm in illis quos Romæ Tertullianus, Sirmii ac Mediolani legerat Ambroſius: de aliis verò codicibus reliquo orbe Chriſtiano ſparſis planè incertum. Atque hæc fortaſſe cauſa eſt, cur Eccleſia non reſtituerit locum, de quo non ſatis exploratum eſſet, utrum verè in antiquiſſimis & primigeniis Evangelii exemplaribus extitiſſet. At eundem ex pluribus Eccleſiæ Occidentalis codicibus eraſum fuiſſe ſacrilegio Arianorum apertè pronunciat Ambroſius; neque verò de eo jam ambigi poteſt.

Certè eâ de re non dubitavit noviſſimus Ambroſii Editor, qui ad hunc ipſum ſan-

ctiſſimi Doctoris locum quem ſuperiùs laudavi, hæc putavit eſſe obſervanda. « Sequentes voces, inquit [a], *quia de carne natum eſt*, non minùs abſunt ab omnibus omnium idiomatum Bibliis, quàm illæ de quibus hîc diſputatur, *quoniam Deus Spiritus eſt:* Atqui ut dubitare nequaquam licet, quin hæ ultimæ ab hæreticis fuerint ex albo ſacrarum paginarum eraſæ, ita ſatis mirum eſt eaſdem nuſquam in proprium locum fuiſſe reſtitutas. Fortè quærat aliquis, cur è Cap. 3. hæc verba expuncta ſint, cùm eadem in Cap. 4. verſ. 24. integra perſeverent? Sed rationem ſatis indicat Ambroſius noſter, videlicet quòd verba Cap. 4. ad Patrem detorqueri poſſe putarent Hæretici.

Igitur judice vel ipſo Cuſtantii ſodali, dubitare non licet, quin hæ voces, *quoniam Deus Spiritus eſt*, ab Arianis fuerint ex albo ſacrarum paginarum eraſæ. Atqui tamen vir religioſus ait iſtud vix ullam apud cordatos homines fidem habere poſſe. Quatuor autem rationes profert, cur id in mentem ſuam induxerit.

Prima ratio eſt, quòd Arianorum [b] *omnes conatus, diſputationes omnes adversùs unum Filium erant intentæ, ac de Spiritu ſancto vix cogitabant.* Quæ cùm exciderunt viro eru-

[a] Tom. 2. pag. 677.

[b] Vindic. vet. Codicum, p. 51.

dito, ſi mens ejus fuit in primordio naſcentis Hæreſis Arianæ ejus ſectatores pauca admodum dixiſſe de Spiritu ſancto, facilè concedam : ſed quid hoc ad rem noſtram ? Siquidem conſtat paulatim, nec multis poſt annis, Arianos non modò adversùs Filium, ſed etiam adversùs Spiritum ſanctum impios conatus ſuos intendiſſe. Audiat eâ de re conquerentem Baſilium. « Sententia de Spiritu ſancto, inquit[a], in « tranſcurſu, ſine omni diligentia poſita eſt, « propterea quod nondum mota eſſet iſta « quæſtio, ſed adhuc credentium mentibus « ſecurus ac nullis objectus inſidiis ineſſet de « Spiritu ſancto intellectus ; paulatim verò « perverſa impietatis ſemina ſeſe exeruerunt. « Quæ primùm quidem ab Ario Hæreſis au- « ctore ſeminata, poſtea verò ab illis qui im- « pia Arii commenta ſuſceperunt, ad perni- « ciem Eccleſiarum nutrita ſunt : & ipſa im- « pietatis ſeries ac ratio adversùs Spiritum « ſanctum reſpexit.

[a] Baſil. Epiſt. 78. tom. 2. Edit. Nivell. pag. 891.
Ὁ δὲ περὶ τοῦ πνεύματος λόγος ἐν παραδρομῇ κεῖται, οὐδεμίας ἐξεργασίας ἀξιωθεὶς, διὰ τὸ μηδέπω τότε τοῦτο κεκινῆσθαι τὸ ζήτημα, ἀλλ' ἀνεπιβούλευτον ἐνυπάρχειν ταῖς τῶν πιστευόντων ψυχαῖς τὴν περὶ αὐτοῦ διάνοιαν· κατὰ μικρὸν δὲ προϊόντα τὰ πονηρὰ τῆς ἀσεβείας σπέρματα, ἃ πρότερον μὲν ὑπ' Ἀρείου τοῦ προστάτου τῆς αἱρέσεως κατεβλήθη, ὕστερον δὲ ὑπὸ τῶν τὰ ἐκείνου κακῶς διαδεξαμένων, ἐπὶ λύμῃ τῶν ἐκκλησιῶν ἐξετράφη· καὶ ἡ ἀκολουθία τῆς ἀσεβείας εἰς τὴν κατὰ τοῦ πνεύματος βλασφημίαν ἀπέσκηψεν......

Et verò ignorare non debuit eruditus Monachus, & Macedonium Hæreſiarcham de ſchola Arianorum profectum, Arianos omnes atque Semi-Arianos ſtatim habuiſſe adſtipulatores: & veterum Eccleſiæ defenſorum prolixos *de Spiritu ſancto* Tractatus quamplurimos extare, qui ſcripti ſint præcipuè adversùs Arianos. Saltem meminiſſe debuit Hilarium ipſum, quem edidit, in libris de Trinitate ante exortam Macedonianam hæreſim editis, fusè de Spiritu ſancto diſputare adversùs eoſdem Arianos. Vel ſi hæc noverat & meminerat, exponat nobis, quî fieri potuerit, ut Patres illi, qui cum Arianis conflixerunt, longos de Spiritu ſancto tractatus ediderint, cùm ipſi Ariani de Spiritu ſancto vix cogitarent.

Secunda ejus ratio eſt, quòd locus ille, qui dicitur ab Arianis ſuppreſſus, neque *his nocere, neque Catholicos adjuvare potuerit:* quippe qui de Deo Patre intelligi debeat, non de Spiritu ſancto. Verùm hoc in loco confunduntur duo, quæ erant accuratè ſecernenda. Hæc verba *Deus Spiritus eſt*, bis olim in Evangelio Joannis reperiebantur: ſemel in tertio capite verſu ſexto, unde eraſa ſunt ab Arianis: iterum in capite quarto verſu vigeſimo-quarto, ubi etiamnum leguntur. Verba illa, *Spiritus eſt Deus*, (prout habentur in capite

quarto) & ab Hilario, qui ſolus nobis opponitur, & ab Athanaſio, Baſilio, Ambroſio, & pleriſque Patribus, non tamen omnibus, intelliguntur de Deo Patre, cujus natura ſpiritalis, inviſibilis, &c.... Contra verò verba hæc, *quoniam Deus Spiritus eſt*, prout olim legebantur in capite tertio Joannis, non erat facile detorquere ad unum Patrem: de Spiritu autem ſancto commodè & rectè intelligi, pluribus demonſtrat Ambroſius, ex ipſa Chriſti cum Nicodemo ſermonis ſerie. Atque hæc vera cauſa eſt, cur Hæretici in capite quarto verba reliquerint, quæ in tertio deleverunt.

Tertia Cuſtantii ratio eſt, quòd *qui contra Arianos ſcripſerunt Athanaſius, Hilarius, aliique Eccleſiæ Patres, ſuppreſſionem hujuſmodi nuſquam ipſis exprobrarint.* Exprobratam ipſis non fuiſſe ab Athanaſio & Hilario fateor, neque iſtud mirum eſt. Nam Hilarius quidem libros de Trinitate, in quibus de Spiritu ſancto diſputat, ſcripſit certè in exilio, atque adeo ante tempora Synodi Sirmienſis, aut circa illa tempora. Atqui nondum erat deprehenſum ſacrilegium illud, quo Ariani ex Evangelio locum, de quo agimus, deleverant. Quippe Ambroſius diſertè docet nonniſi poſt incurſatam à Valente & Urſatio Eccleſiam Sirmienſem fuiſſe deprehenſum.

Idem fermè dicendum de Athanaſio, qui libros, ſeu potiùs Epiſtolas de Spiritu ſancto ſcripſit in eremo ac latebris, ubi fraus iſta Arianorum, ſi jam tum perpetrata erat & deprehenſa, potuit facilè ipſi latere. Sed quod Athanaſius Hilariuſque ſilentio prætermiſerunt, non prætermiſit eorumdem temporum fermè æqualis Ambroſius. Hujus autem unius aïentis auctoritas multò potior eſt ad facti illius veritatem confirmandam, quàm cæterorum ſilentium ad infirmandam.

Quarta denique Cuſtantii ratio eſt, quòd Hilarius teſtis ſit, Arianos non modò non eraſiſſe ex Evangelio verba illa, *quia Deus Spiritus eſt*, ſed etiam hæc ipſa adhibuiſſe in Expoſitione fidei ſuæ. Verùm hoc in loco obſervari debuit, primò Expoſitionem illam fidei ſcriptam fuiſſe ante Synodum Sirmienſem, atque adeo fortaſſe ante commiſſam ab Arianis fraudem quam ipſis objicimus: deinde in illa Expoſitione non haberi locum hunc *quoniam Deus Spiritus eſt*, quem Ambroſius affirmat eſſe eraſum ex capite tertio Evangelii Joannis; ſed illum alium *Spiritus eſt Deus*, quem ab Arianis relictum in capite quarto ejuſdem Evangelii idem Ambroſius agnoſcit.

Maneat ergo certum atque exploratum, verba iſta, *quoniam Deus Spiritus eſt*,

olim fuiſſe ab Arianis deleta ex Evangelio, & ſic deleta ut jam nuſquam compareant, præterquam apud aliquos Patres, & maximè apud Ambroſium, qui deprehenſam Arianorum perfidiam multis verbis exagitat, & vivida objurgatione caſtigat.

Neque hunc ſolum locum Ariani ex Evangelio ſuſtulere : ſed ſucceſſione temporis audaciores facti, præſertim illi qui inter barbaros degebant, ſua Sacrorum Librorum exemplaria variis modis vitiaverunt & interpolaverunt. Hujus rei teſtis eſt Salvianus Maſſilienſis. Ille enim de Vandalis loquens & Gothis, quos Ariana peſte infectos fuiſſe conſtat, ſic loquitur[a] : *Eadem*, inquis, *legunt illi*, *quæ leguntur à nobis. Quomodo eadem, quæ ab auctoribus quondam malis, & malè ſunt interpolata & malè tradita ? Ac per hoc jam non eadem, quia non poſſunt penitus dici ipſa, quæ ſunt in aliqua parte ſui vitiata. Incolumitatem enim non habent, quæ plenitudinem perdiderunt . . . Nos ergo tantùm Scripturas Sacras plenas, inviolatas, integras habemus . . . Cæteræ quippe nationes, aut non habent legem Dei, aut debilem & convulneratam habent, ac per hoc, ut diximus, non habent, qui ſic habent.* Ita Salvianus, qui certè hæc non ſcripſiſſet, niſi

[a] De gubern. Dei, lib.5. init. max. Bibliot. Patr. tom.8. p.358.

Arianos barbaros, qui tum Romanum Imperium, & maximè Gallias vexabant, Sacros Codices corruptos & interpolatos habuiſſe reipſa comperiſſet.

Caput XIV.

Hæreticos olim Neſtorii anteceſſores è vetuſtis exemplaribus primæ Joannis Epiſtolæ (cap. 4. verſ. 3.) deleviſſe iſta verba : Et omnis Spiritus qui ſolvit Jeſum, ex Deo non eſt.

SOcrates Scholaſticus de Neſtorio ſcribens [a] hæc ait : « Primùm igitur ignoravit in Catholica Joannis Epiſtola ita ſcriptum eſſe in antiquis exemplaribus : *omnis Spiritus qui Jeſum ſolvit, ex Deo non eſt.* « Idem autem Hiſtoricus ſtatim rationem affert, cur iſtud ignoraverit Neſtorius. « Hanc enim ſententiam, inquit [b], è vetuſtis exemplaribus ſuſtulerunt ii, qui ab hominis diſpenſatione divinitatem ſeparare ſtudebant. Quamobrem & priſci Inter-

[a] Socrat. Hiſt. Eccl. lib. 7. cap. 32. Valeſ. Edit. pag. 374. Αὐτίκα γοῦν ἠγνόησεν, ὅτι ἐν τῇ καθολικῇ Ἰωάννου γέγραπτο ἐν τοῖς παλαιοῖς ἀντιγράφοις, ὅτι πᾶν πνεῦμα ὃ λύει τὸν Ἰησοῦν, ἀπὸ τοῦ θεοῦ οὐκ ἔστι. ταύτην γὰρ τὴν διάνοιαν ἐκ τῶν παλαιῶν ἀντιγράφων περιεῖλον, οἱ χωρίζειν ἀπὸ τῆς οἰκονομίας ἀνθρώπου βουλόμενοι τὴν θεότητα· διὸ καὶ οἱ παλαιοὶ ἑρμηνεῖς αὐτὸ τοῦτο ἐπεσημήναντο, ὥς τινες εἶεν ῥᾳδιουργήσαντες τὴν ἐπιστολήν, λύειν ἀπὸ τοῦ θεοῦ τὸν ἄνθρωπον θέλοντες.

[b] Ibid.

pretes id ipſum obſervaverunt, fuiſſe nimirum quoſdam, qui hanc Epiſtolam depravaverint, hominem à Deo ſeparare cupientes. « « «

Quinam illi fuerint priſci Interpretes, qui depravatam fuiſſe ab Hæreticis primam Joannis Epiſtolam dixerunt, Socrates non aperit, ſed non tacet cauſam, cur id ſcelus Hæretici perpetraverint; nempe quia volebant hominem à Deo ſeparare. Quare non mirum eſt ab his ſublatum eſſe potiſſimùm hunc verſum; *omnis Spiritus qui ſolvit Jeſum, ex Deo non eſt:* quo verſu ſuam ipſorum impietatem manifeſtè proſcriptam eſſe ſentiebant. Debuerat hoc flagitium non latere Neſtorio: verùm vaniſſimus homo, & veterum Librorum [a] contemptor, & deſpiciebat ſanctorum Patrum opera, nec antiqua Scripturæ exemplaria conſulebat, in quibus fraudis veſtigia deprehendiſſet. Fuit ergo adulterata Joannis Epiſtola, non ab ipſo Neſtorio, ſed ante Neſtorii tempora, ab iis qui ipſius Hæreſi præluſerant; putà à Theodoro Mopſueſteno, aut à Diodoro Tarſenſi, aut ab ipſorum aſſeclis, quos nemo ignorat hominem à Deo ſeparaſſe in Chriſto, & ſenſiſſe alium eſſe Filium ex Deo Patre genitum ab æterno, alium ex ſemine David atque ex Bea-

[a] Socr. ibid.

ta Maria Virgine in tempore procreatum. Sed ſive illi, ſive Paulus Samoſatenus, aut quilibet alii fuerint auctores ſceleris, id commiſſum eſſe Socrates indubitanter aſſeverat, & ab iis commiſſum *qui ab hominis diſpenſatione divinitatem ſeparare ſtudebant:* neque id ſolus aut primus ſcripſit Socrates: idem ante ejus tempora priſci Interpretes obſervaverant. Nec tamen quiſquam, aut Socrati, aut priſcis illis Interpretibus crimini vertit, quòd ita ſenſiſſent.

Quare minimè culpandus eſt Hincmarus, qui hujus perfidiæ memoriam nono » ſæculo revocavit his verbis: « Sic & illi [a],
» qui ex Deo non erant, & pravo dogmate
» ſeparare volebant ab hominis diſpenſatio-
» ne Divinitatem Chriſti, verſiculum quo
» dicitur, *& omnis Spiritus qui ſolvit Jeſum,*
» *ex Deo non eſt*, ex Epiſtola Joannis eraſe-
» runt, ne per auctoritatem ejus convince-
» rentur erroris. Denique Neſtorius neſcire
» ſe prodidit hanc authenticis exemplaribus
» inditam fuiſſe ſententiam, atque ideo ſol-
» vere non timuit Jeſum, ac ſe pro hoc red-
» dere extraneum; dicens Beatam Virginem
» non Dei, ſed hominis tantùm extitiſſe ge-
» nitricem; ut aliam perſonam hominis,
» aliam faceret Deïtatis; neque unum Chri-
» ſtum in verbo Dei & carne atque anima

[a] Tom. 1. Tract. de non trina Deitate, pag. 464.

credens,

credens, ſed ſeparatim alterum Filium Dei, « alterum hominis prædicans. » Quæ Hincmari verba quiſquis legit, ſtatim ſentit ipſum hoc in loco Socratem habere rei, quam narrat, auctorem.

Socratis verba pariter recitavit decimoquarto Sæculo [a] Nicephorus, & comprobare viſus eſt. Multis antè Nicephorum annis eandem adversùs Arianos criminationem inſtituerat Fulbertus Carnotenſis his verbis: « Prætermiſſa luce veritatis [b], tenebroſas (Hæretici) proponunt calumnias, & « Sacras Scripturas verbis ſacrilegis nituntur « adulterare, aut furtivis eraſionibus recidere. » Deinde cùm pauca quædam de Ario & Sabellio dixiſſet; addit de Ario: « Cujus auditores, quoniam Spiritum ſanctum Deum eſſe negabant, de Evangelio « eraſerunt illud quod Salvator ait, *Spiritus eſt Deus*; & de Epiſtola Joannis eraſerunt, *& omnis Spiritus qui ſolvit Jeſum, ex* « *Deo non eſt.* Sicut Neſtorius, qui dicebat « Beatam Virginem non Dei ſed hominis « tantùm genitricem, ut aliam perſonam « hominis, aliam faceret Deïtatis, neque « unum Chriſtum in verbo Dei & carne & « anima credens, ſed ſeparatim alterum Fi- «

[a] Hiſt. Eccl. lib. 14. cap. 32. Edit. Front. Ducæi tom. 2. pag. 506.

[b] Epiſt. 1. ad Adeod. tom. 18. maximæ Bibl. Patr. p. 3.

» lium Dei, alterum filium hominis prædi-
» cans, & illum (eraſit) Apoſtoli locum, ubi
» dicit, quod apparuit [a] *in carne, vivificatum*
» *eſt in Spiritu.* » Hactenus Fulbertus : qui & Ambroſii de Arianis, & Socratis de primis Neſtorianæ hæreſis anteſignanis, & Hincmari de utriſque dictum confirmat, imò & novam criminationem Neſtorio impingit: nec tamen à quoquam idcircò reprehenſus eſt.

Cur ergo vir religioſus Hincmarum reprehendit, quem Socratis, imò & priſcorum illorum interpretum, quos Socrates laudavit, auctoritate niti non ignorat? Cur ſuſpicatur falſum eſſe id quod Hincmarus ex Socratis Hiſtoria recitavit? Triplicem hujus ſuæ ſuſpicionis cauſam profert.

Prima eſt, ſilentium Cyrilli Alexandrini, Cæleſtini Papæ, Leonis, Marii Mercatoris, atque ipſius Concilii Epheſini. Sed quis ejuſmodi argumentum admittat, ubi habentur alii teſtes, aut eorumdem temporum æquales, aut etiam anteriores, qui rem palam & diſertè affirmant? Ad comprobandam facti alicujus veritatem plus ponderis ſemper habuit, vel unius Scriptoris auctoritas rem, quàm vidit, diſertè teſtificantis, quàm ad negandam valeat multitudo eorum, qui rem eandem non

[a] 1. Pet. 3. 18.

inficiati, ſilentio prætermiſerunt.

Altera cauſa eſt, quòd ſcelus iſtud Cyrillus non exprobret Neſtorio, *qui quicquid contra fidem peccarat Neſtorius, probè noverat, nec is erat, qui delictum hujuſmodi diſſimularet.* Verùm ſi delictum iſtud non eſt à Neſtorio commiſſum, ſed ab iis qui Neſtorio præiverant: an debuit ipſi exprobrari? Atqui ſuprà oſtendimus Neſtorium hujus perfidiæ non fuiſſe auctorem, imò nec conſcium; ſiquidem ignorantiæ [a] accuſatur, quòd illam non deprehenderit: non potuit ergo ſanctus Cyrillus, niſi violatis æqui legibus, depravatæ Joannis Epiſtolæ invidiam in Neſtorium conferre.

Tertia ſuſpicionis cauſa eſt, quòd locum hunc ex Epiſtola Joannis deſumptum, & olim ab Hæreticis in quibuſdam exemplaribus ſuppreſſum, ſemel & iterum proferat Cyrillus, tanquam ab omnibus receptum. Poterat ſanè pro jure ſuo Cyrillus uti hoc Scripturæ loco, cùm ætate ſua vetuſta Sacrorum codicum exemplaria haberentur, quæ eorum qui Joannis Epiſtolam corruperant, fraudem facerent manifeſtam.

[a] Socrates loco ſuprà citato.

Concluſio hujus primæ Partis.

NUnc videat veterum codicum Vindex Cuſtantius, velitne id quod tot & tanti Doctores affirmant, aut præfractè negare, aut in dubium revocare. Certè vix aliud quidquam reperiet, quod majori ſacræ antiquitatis conſenſu nobis traditum fuerit, quàm iſtud, plures nempe ex veteribus Hæreticis fuiſſe, qui audaces & perfidas in Sacros codices manus intulerint, eoſque conati ſint adjiciendo, auferendo, immutando violare.

Contendat adverſarius Librariorum [a] *oſcitantiâ, imperitiâ, ſimplicitate* vulgò factum eſſe, ut menda in aliquot Sacrorum Librorum exemplaria irreperent: modò non neget iſtud etiam Hæreticorum perfidiâ interdum contigiſſe, quòd unum ego [b] affirmavi, & etiamnum affirmo. Dicat ille ſummæ eſſe [c] imprudentiæ credere mundum adulteratoribus librorum ſemper refertum fuiſſe: ego facilè annuam; ſi modò aliquot extitiſſe olim librorum, etiam Sacrorum, adulteratores Hæreticos ingenuè fateatur. Rideat inanem inconſultorum hominum [d] formidinem, qui illorum timent fidei

[a] Vind. vet. cod. pag. 62.
[b] Diſcept. 2. pag. 359.
[c] Vind. vet. cod. pag. 62.
[d] Ibid.

codicum, quos Majores noſtri ſummo nobis ſtudio tranſmiſerunt: ipſi ultrà ſuffragator accedam; timoremque hunc non modò inconſultum, ſed ſtultum & impium eſſe, ſi opus eſt, demonſtrabo.

At ſi pergat veteres Hæreticos, à crimine falſi omnino liberare, opponam ipſi præſtantiſſima Eccleſiæ lumina, Dionyſium Corinthium, Juſtinum & Irenæum Martyres, Tertullianum, Origenem, Euſebium, Athanaſianæ ſynopſis auctorem, Chryſoſtomum, Cyrillum Hieroſolymitanum, Epiphanium, Ambroſium, Hieronymum, Auguſtinum, Leonem, Gelaſium, cæteroſque Patres, qui adulteratos olim à Judæis atque Hæreticis aliquot Sacrorum Librorum codices paſſim docuerunt. Hominemque interrogabo, ac ſciſcitabor, velitne pleriſque Patribus calumniæ notam eſſe impactam, ne Judæi & veteres Hæretici in falſariorum numero habeantur.

Quam enim perfidiam, Hincmaro auctore, paucis quibuſdam Hæreticis exprobravi, eandem doctiſſimi Patres Judæis, ac Judaïzantibus Hæreticis Aquilæ, Theodotioni, & Symmacho; eandem etiam Saturnino, Carpocrati, Cerintho, Ebioni, Cerdoni, Marcioni, Apelli, Luciano, Tatiano, Theodoto, Artemoni, Aſclepiadoto, Hermophilo, Apollonidi, Pepuzianis,

Severianis, Arianis, atque ipſius Neſtorii anteſignanis objecerant. Si Patres hâc ſuâ accuſatione hæreſi quidem opprobrium intulerunt, firmiſſimæ autem Sacrarum Litterarum veritati nihil obfuerunt: cur eadem hodie accuſatio inſtaurari non poteſt, quin ſuſpecti reddantur veteres Sacrarum paginarum codices univerſi?

Quòd ſi qui tamen timere pergant; ne ſi ſemel concedatur aliquot ex Hæreticis fuiſſe Librorum Sacrorum corruptores, Pyrrhoniſmus in religionem inducatur; neque ab hac ſua formidine tot & tam illuſtrium Patrum auctoritate dejici poſſunt: hoc unum ſupereſt, ut argumentis quibus ipſi Patres uſi ſunt, demonſtremus timorem hujuſmodi inanem eſſe & parum conſultum.

PARS SECUNDA.

Hæreticorum Sacros codices adulterantium perfidiam non obeſſe certiſſimæ Sacrorum Librorum integritati, & firmiſſimæ auctoritati.

EUm qui *non modò veteres ſanctorum Patrum, ſed & longè magis Sacrarum Paginarum codices ſuſpectos faciat*, immanis eſſe flagitii reum & *Pyrrhoniſmum* reipſa *in religionem invehere* nemo von videt. Quid enim aliud Pyrrhoniſmi nomine hîc intelligimus, quàm impiam illorum hominum ſectam, qui, ut ait Auguſtinus [a], *ingerunt veri inveniendi deſperationem, & prohibent cuiquam rei aſſentiri, & omnino aliquid, tanquam manifeſtum certumque ſit, adprobare ſapientem, cùm eis omnia videantur obſcura & incerta.* Qua ſecta quid peſtilentius? quid in iis quæ ad religionem ſpectant pernicioſius? ſenſit ipſe Auguſtinus, qui ubi primùm [b] *ad Chriſtianæ vitæ otium ſeſe contulit, nondum baptizatus, contra Academicos ſcripſit, ut argumenta eorum, ab animo ſuo, quantis poſſet rationibus, amoveret.*

[a] Lib. 1. retract. cap. 1. n. 1. novæ Edit. tom. 1. p. 3.

[b] Ibid.

Jam verò quiſquis ſuſpectos habet veteres omnes non modò *ſanctorum Patrum*, *ſed & longè magis Sacrarum Paginarum codices*, omnia ab illo doctrinæ Chriſtianæ capita in dubium revocari oportet. Quippe ubi vacillant & ſuſpecta ſunt inſtrumenta doctrinæ; quæ ex his eruitur doctrina, pariter dubia ſit & incerta neceſſe eſt.

Quæ autem alia ſunt apud Chriſtianos inſtrumenta doctrinæ, præter Libros Sacros & Patrum Traditionem? His nempe continetur Chriſti doctrina, *à cujus auctoritate*, ut cum Auguſtino [a] loquar, *mihi certum eſt nuſquam prorſus diſcedere: non enim reperio valentiorem.* His utitur Eccleſia Catholica, cum eas, quæ ſubinde oriuntur, controverſias Spiritu ſancto dirigente definit. Hi *namque termini præſcripti nobis ſunt*, inquit Epiphanius [b], *& fundamenta poſita; & fidei ſtructura; & Apoſtolorum traditiones, & Sacræ Litteræ; & cœleſtis doctrinæ propagata ſucceſſio, ac denique divina veritas ex omni parte munita eſt & conſtituta.* Firmiſſima ergo Religionis Chriſtianæ fundamenta convelleret erueretque penitùs,

[a] Lib. 3. contra Academ. cap. 20. num. 43. tom. 1. novæ Edit. pag. 294.

[b] Epiph. Par. Petav. Edit. tom. 1. adv. Hær. lib. 2. Hær. 55. pag. 471.

Καὶ ὅροι γὰρ ἐτέθησαν ἡμῖν, καὶ θεμέλιοι, καὶ οἰκοδομὴ τῆς πίστεως, καὶ Ἀποστόλων παραδόσεις, καὶ γραφαὶ ἅγιαι, καὶ διαδοχαὶ διδασκαλίας, καὶ ἐκ πανταχόθεν ἡ ἀλήθεια τοῦ Θεοῦ ἠσφάλισται.

ſi quis ſuſpectam redderet, aut Sacrarum Litterarum fidem, aut Patrum traditionis auctoritatem.

Igitur ut de Libris divinis ſigillatim agamus, de quibus ſolis nunc eſt quæſtio: non poſſum quin aſſentiar doctiſſimo viro, cum ait [a], *Pyrrhoniſmum in religionem ab eo invehi*, qui Sacros Codices ſuſpectos facit. Verùm idem mihi videtur longè aberrare à vero; & Pyrrhoniſmo, *quantumvis ab eo abhorrere ſe reclamet*, reipſa favere non modicè, cùm ex eo quod quidam veteres Hæretici accuſentur, tanquam Sacrorum Librorum falſatores, inde colligi poſſe putat [b] codices illos, qui in Eccleſia Catholica aſſervantur, eſſe debere ſuſpectos.

Hæreticorum perfidia ſuſpicionem falſi aſpergit, non codicibus his, quos Eccleſia Catholica ſemper habuit, ſed illis ſolis, qui fuerunt in Hæreticorum poteſtate. Si contrarium videtur Cuſtantio, quid jam ipſi erit certum? quid non ſuſpectum? An negaturus eſt Sacrorum Librorum codices aliquot ab Hæreticis olim fuiſſe perfidè adulteratos? At falſifica impiorum hominum audacia tam in aperto poſita eſt, tam firmis argumentis demonſtrata, ut de ea jam dubitare non liceat. An ultrò confeſſurus abſque ulla Pyrrhoniſmi nota affir-

[a] Vind. vet. cod. pag. 47. | [b] Ibid.

mari poſſe, nonnulla divinorum Librorum exemplaria à veteribus Hæreticis corrupta fuiſſe? Hoc etiam ab ipſo factum iri concepta de ejus probitate opinio omnino perſuadet. At ſi ita nunc ſentit, delendum ergo, quod non ſatis cautè ſcriptum fuerat[a], eum qui recitat Hæreticorum nomina, à quibus Eccleſiaſtica monumenta falſata ſunt, *ſic paulatim procedere, quò non modò veteres ſanctorum Patrum, ſed & longè magis Sacrarum Paginarum codices ſuſpectos faciat.*

Equidem facilè crediderim tam atrocem, tam apertam calumniam homini excidiſſe ſine dolo malo: ſed æquitatis eſt litura abolere crimen, quod falsò eſt impoſitum: religionis cavere, ne hoc dicto impii & profani homines, ad impugnanda Religionis Chriſtianæ fundamenta abutantur. Sic enim illi adverſum Catholicæ Eccleſiæ defenſores inſurgent.

» Cuſtantius, inquient, vir religioſus, & » eruditus Monachus, contendit Libros Sa» cros in ſuſpicionem falſi venire debere, » ſi modò verum ſit aliquot olim illorum » exemplaria perfidè fuiſſe adulterata. Atqui » hoc poſtremum certum eſt, & à multis » magniſque teſtibus comprobatum. Ergo » Librorum Sacrorum codices omnes in ſuſ-

a Vind. vet. cod. p. 47.

picionem falſi venire debent. Quid igitur, "
pergent illi, iſtorum fidem nobis jam ob- "
truditis, quam ſupectam eſſe veſtris armis "
oſtendimus? "

Ita illi inſultabunt, quorum argumenta poſſunt quidem contemnere, quicumque negant perverſas Hæreticorum fraudes officere potuiſſe certiſſimæ Sacrorum Librorum integritati. At qui aliud ſentit Cuſtantius, impudentem impiorum hominum loquacitatem redarguere non poterit, niſi ſua ipſe dicta emolliat & emendet. Quare non deſpero fore ut plus apud virum religioſum valeat amor veritatis, quàm propriæ opinionis defendendæ ſtudium.

Interea temporis dum id præſtiterit, quia cauſæ neceſſitate compulſus, eorum Hæreticorum memoriam revocavi, qui adulteras manus in Libros Sacros intulerunt, mei muneris eſſe puto, quædam hîc adjungere, quibus demonſtretur quàm falsò, quamque temerè ulla inde in Sacrorum Librorum codices, quos legit Eccleſia Catholica, falſi ſuſpicio derivaretur: atque hoc erit hujus ſecundæ Partis argumentum.

Caput primum.

Quàm temerè & falsò dixerint veteres quidam Hæretici, Scripturam Sacram, qualem legit Eccleſia Catholica, eſſe vitiatam.

NOn defuere inter veteres Hæreticos, qui docerent Libros Sacros, quos legit Eccleſia Catholica, illos etiam quos ipſi divinos fatebantur, non eſſe puros, nec à vitiis immunes. Hoc de quinque Moſis libris quidam ex Gnoſticis & Valentinianis, de novo Teſtamento Manichæi affirmarunt. Neque tamen utrorumque eadem fuit ea de re opinio. Illi dicebant Moſem & Seniores, non ex præſcripto divinæ voluntatis, ſed ſpontè & proprio conſilio jam tum ab initio auſos eſſe legi divinæ, quæ Pentateucho continetur, humana præcepta admiſcere. Hi libros novi Teſtamenti, rectè quidem & ad normam veritatis ab Apoſtolis atque Apoſtolicis viris ſcriptos, poſtmodùm corruptos fuiſſe & perperam immutatos contendebant. Hæc autem quàm temerè, quàm falsò dicta ſint, paucis eſt oſtendendum.

Ac primò *Ptolemeus*, qui *Gnoſticos ac Valentinianos præceptores habuerat, & cœte-*

ris ſuæ ſectæ hominibus eruditione præſtitit, illorumque doctrinam magna acceſſione cumulavit : Ptolemeus, inquam, in Epiſtola ad Floram de lege Moſis, & quam integram Epiphanius recitat, ita loquitur [a]. « In pri- “
mis ſciendum eſt, univerſam illam legem, “
quæ quinque Moſis voluminibus contine- “
tur, non ab uno Legiſlatore profectam, “
ſolo videlicet Deo : ſed admixta quædam “
hominum eſſe mandata, ut quemadmodum “
ipſe Salvator docuit, trifariam lex ſit om- “
nis diſtributa. Quædam enim ad ipſum “
Deum ejuſque ſanctiones pertinent : alia “
Moſi tribuenda ſunt, non quidem quatenus “
aliquid à Deo illius interventu decretum “
eſt, ſed quatenus per ſeſe ac ſuapte ſpon- “
te quædam conſtituit : aliorum denique “
Seniores, qui in populo erant, auctores ex- “
titerunt, ac primi illi privata quædam præ- “
cepta inſerere ſunt auſi .... [b] Ea pars legis “
quæ à Deo profecta eſt, tria rurſum in “

[b] Epiph. adverſ. Hær. lib. I. Hær. 33. Pariſ. Petav. Edit. Tom. I. p. 217.

Πρῶτον οὖν μαθητέον, ὅτι ὁ σύμπας ἐκεῖνος νόμος ὁ περιεχόμενος τῇ Μωσέως πεντατεύχῳ, οὐ πρός ἑνός τινος νενομοθέτηται, λέγω δὴ, οὐχ ὑπὸ μόνου Θεοῦ, ἀλλ' εἰσί τινες αὐτοῦ προστάξεις καὶ ὑπ' ἀνθρώπων τεθεῖσαι, καὶ τριχῆ τοῦτον διαιρεῖσθαι οἱ τοῦ Σωτῆρος λόγοι διδάσκουσιν ἡμᾶς. εἴς τε γὰρ αὐτὸν τὸν Θεὸν, καὶ τὴν τούτου νομοθεσίαν. διαιρεῖται δὲ καὶ εἰς τὸν Μωσέα, οὐ καθ' αὐτὸ δι' αὐτοῦ νομοθετεῖ ὁ Θεός, ἀλλὰ καθὰ ἀπὸ τῆς ἰδίας ἐννοίας ὁρμώμενος καὶ ὁ Μωσῆς ἐνομοθέτησέ τινα. καὶ εἰς τοὺς Πρεσβυτέρους τοῦ λαοῦ διαιρεῖται, καὶ πρῶτοι εὑρίσκονται ἐντολάς τινας ἐνθέντες ἰδίας.....

[b] Ibid. pag. 219. Πάλιν δὲ δὴ τὸ ἓν μέρος ὁ αὐτοῦ τοῦ Θεοῦ νό-

» membra dividitur. Alia ſunt enim ſincera
» præcepta & ab omni mali permixtione ſe-
» creta .... Alia ſunt deterioribus implica-
» ta.... Alia ſunt quæ Typica ac Symbolica
» vocantur .... Pura illa ſinceraque lex Dei,
» nec cum deteriore conjuncta , Decalogus
» eſt ipſe.... Ad illud verò genus quod in-
» juſtitiæ aliquid habet, leges illæ referen-
» dæ ſunt, quibus injuriarum perſecutio, eo-
» rumque qui priores nos læſerint vindicatio
» præſcribitur... Ad illud verò genus, quod
» Typicum ſive adumbratum dicitur , id
» omne pertinet quod ſpiritualium atque ex-
» cellentium rerum figuras continet, cujuſ-
» modi ſunt ſacrorum offerendorum ceremo-
» niæ, Circumciſio, Sabbatum, &c.

Hactenus Ptolomeus: ſed quo ille teſte, quo auctore tradit *univerſam legem , quæ quinque Moſis voluminibus continetur*, *non eſſe à ſolo Deo profectam*, *ſed admixta quædam hominum eſſe mandata?* Ait quidem ita docuiſſe Chriſtum Salvatorem, ſed impudenter pro Hæreticorum more mentitur. Nam

μος διαιρεῖται εἰς τρία τινά, εἴς τε τὴν καθαρὰν νομοθεσίαν, τὴν ἀσύμπλοκον τῷ κακῷ ..... καὶ εἰς τὸ συμπεπλεγμένον τῷ χείρονι ...... διαιρεῖται δὲ καὶ εἰς τὸ τυπικὸν καὶ συμβολικὸν .... καὶ ἔστι μὲν ὁ τοῦ Θεοῦ νόμος ὁ καθαρὸς καὶ ἀσύμπλοκος τῷ χείρονι, αὐτὴ ἡ Δεκάλογος.... .... ὁ δὲ ἐστι συμπεπλεγμένος τῇ ἀδικίᾳ, οὗτος ὁ κατὰ τὴν ἄμυναν καὶ ἀνταπόδοσιν τῶν προαδικησάντων κείμενος ...... ὃ δέ ἐστι μέρος αὐτοῦ τυπικὸν, ὃ κατ' εἰκόνα τῶν πνευματικῶν, καὶ διαφερόντων κείμενον, ὃ ἐν προσφοραῖς, λέγω, καὶ περιτομῇ, καὶ σαββάτῳ......

quo in Evangelii loco Salvator quinque Moſis volumina trifariam ſic dividit, ut præcepta quæ in his continentur partim à Deo profecta, partim à Moſe, aut à Senioribus ſuapte ſponte & citra mandatum Dei eſſe inſerta doceat?

Nam etſi Chriſtus ſemel & iterum excuſat [a] diſcipulos qui *tranſgrediebantur traditionem Seniorum*, atque exprobrat Phariſæis & Scribis, quòd [b] *irritum faciant mandatum Dei propter traditionem ſuam :* nunquam tamen ſignificat Seniores olim auſos eſſe doctrinas illas & privata hominum præcepta inſerere Pentateucho: imò verò ſatis apertè indicat novam eſſe illam traditionem & nuper à Scribis & Phariſæis inductam. Quare illos Chriſtus redarguens ait, [c] *reſcindiſtis verbum Dei per traditionem veſtram quam tradidiſtis.* Cum dicit *traditionem veſtram quam* vos ipſi Scribæ & Phariſæi *tradidiſtis*, novam eſſe demonſtrat, non acceptam ab illis Senioribus, qui erant in populo tempore Moſis. Scribæ quidem & Phariſæi traditionem ſuam vocabant traditionem Seniorum, ſed fraudulenter & falsò, cùm ipſi aut certè recentes ipſorum Magiſtri eſſent illius auctores; Chriſtuſque teſtetur ipſorum fuiſſe, non antiquam, non

[a] Math. 15. 3. Marc. 7. 6.
[b] Math. 15. 6. Marc. 7. 9.
[c] Marc. 7. 13.

inſertam voluminibus legis, non acceptam ab illis Senioribus, qui erant in populo tempore Moſis.

Quod ad Moſem pertinet, hunc paſſim fatetur Chriſtus multa populo præcepiſſe, mandaviſſe; ſed nunquam ait, ut temerè Ptolemeus contendit, hunc iſta per ſeſe, ſuapte ſponte, non Dei impulſu, præcepiſſe & mandaviſſe: contrà manifeſtè declarat, quæ à Moſe ſancita ſunt, hæc ab ipſo Deo ſancita eſſe & conſtituta, quanquam per Moſis organum, & illius *interventu*. Quod ûtique Ptolemeus intellexiſſet, ſi Evangelii verba accuratè expendiſſet, nec [a] *eſſet mentita iniquitas ſibi.* Exponat enim Ptolemeus, quam tandem legis partem *ab ipſo Deo profectam* putet, quæve dicat eſſe *ſincera Dei præcepta, & ab omni mali permixtione ſecreta. Pura* [b], inquit ille, *ſinceraque lex Dei, nec cum deteriore conjuncta, Decalogus eſt ipſe.* Bene. Si ergo ipſe Chriſtus doceat ab ipſo Moſe tradita eſſe præcepta Decalogi; an dicendus erit Moſes præcepta quæ conſtituit, *conſtituiſſe per ſeſe ac ſuapte ſponte*, non Dei impulſu? Atqui Chriſtus diſertè dicit præceptum honorandi patrem & matrem, quod certè pars Decalogi eſt, ab ipſo Moſe datum eſſe; quippè

[a] Pſ. 26. 12.

[b] Epiſ. ad Floram apud Epiphan. Hær. 33. Par. Pet. Edit. pag. 219.

hæc

hæc Chriſti verba ſunt: [a] *Moyſes enim dixit; Honora patrem tuum & matrem tuam; & qui maledixerit patri vel matri morte moriatur.* Et ne cui dubium eſſe poſſit ea quæ à Moſe decreta ſunt, Deo auctore decreta eſſe; præceptum honorandi patrem & matrem, quod Moſi apud Marcum attribuitur, apud Matthæum in ipſum Deum refunditur his verbis: [b] *Deus dixit: Honora patrem & matrem: & qui maledixerit patri vel matri, morte moriatur.* Uſque adeo certum eſt Chriſtum, dum quædam à Moſe profecta eſſe mandata ſignificat, non idcirco negare mandata eadem Deum ipſum habere auctorem.

Sed quid ego plura Evangelii loca hîc fruſtra colligo ad confutanda delira Ptolemei commenta, quæ in Evangelio Chriſtus uno verbo apertè proſcripſit? Ait Ptolemeus *pura & ſincera Dei mandata*, quæ in quinque voluminibus Moſis continentur, non eſſe *ſine mali permixtione*; mandatis illis quæ à Deo profecta ſunt, doctrinas & præcepta hominum, partim à Moſe, partim à Senioribus qui tum in populo erant, inſerta eſſe citra Dei voluntatem. Id ſi ita eſt, licet ſanè in libris Moſaïcæ legis delectum facere, & iis adimpletis præceptis, quæ Dei ſunt, reliqua, quæ *ho-*

[a] Marc. 7. 10. | [b] Math. 15. 3. & 4.

minum ſunt, quæ *mala*, quæ deteriora, præterire, abjicere, deſpicere. Atqui tamen Chriſtus de univerſa lege pronunciat: [a] *Nolite putare, quoniam veni ſolvere legem & Prophetas: non veni ſolvere legem, ſed adimplere. Amen quippe dico vobis, donec tranſeat cœlum & terra, iota unum aut unus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant.* Rurſum alibi: [b] *Facilius eſt cœlum & terram præterire, quàm de lege unum apicem cadere.* Certè ſi Pentateucho & legi admixta eſſent mandata hominum, pars illa ſaltem, quæ tota humana eſt, & legi ſuperaddita Deo non jubente, non foret cœlo & terra firmior: potuiſſet illa ſolvi nec adimpleri: potuiſſet à lege præteriri non modò iota unum & unus apex, ſed tota illa pars quam Moſes, quam Seniores per ſeſe & ſua ſponte, non impulſu divino inſeruerant. Conſtat ergo temerè ac ſtultè à Ptolemeo olim inventam fuiſſe illam legis veteris in tres partes diſtributionem, totamque legem ab uno pariter Legiſlatore eſſe profectam, ſolo videlicet Deo, qui quidem Moſe & aliis Prophetis, tanquam organis, quibus populum ſuum alloqueretur, ſapienter uſus eſt.

In Pentateucho Ptolemeus dixit divinis mandatis humana eſſe admixta: multò pejus Saturninus ſenſit de Prophetis. Ille

[a] Math. 5. 17. & 18. | [b] Luc. 16. 17.

enim, Theodoreto [a] teſte, *Prophetias alias quidem ab Angelis, quos mundi opifices fuiſſe* ſomniabat; *alias verò à Satana prolatas* docebat. Cujus impietatem atque inſaniam nihil neceſſe eſt nunc ſigillatim confutare. Quâ ratione refelli debeat, facilè Theologi intelligunt. Et verò manifeſtum eſt ex pluribus Evangelii & novi Teſtamenti locis, quàm abſurda ſint, quàm impia Saturnini ac diſcipulorum ejus deliria. Nunc ad Manichæos veniendum.

Manichæi ergo, ut docet ſanctus Auguſtinus in libro [b] de Hæreſibus ad Quodvultdeum, aiunt *Deum, qui legem per Moſem dedit, & in Hebræis Prophetis locutus eſt, non eſſe verum Deum, ſed unum ex principibus tenebrarum. Ipſiuſque Teſtamenti novi Scripturas tanquam infalſatas ita legunt, ut quòd volunt inde accipiant, quòd nolunt rejiciant.* Quam ipſorum inſaniam idem ſanctus Doctor multò diſtinctiùs aperit in prolixa, quàm miſit ad Hieronymum Epiſtola, ubi ſic loquitur [c]. « Manichæi plurima «
divinarum Scripturarum, quibus eorum «
nefarius error clariſſima ſententiarum perſ- «

[a] Theodoret. tom. 4. Hæret. fabul. lib. 1. cap. 3. Edit. Sirm. pag. 194.
Τῶν δὲ προφητειῶν, τὰς μὲν ὑπὸ τῶν κοσμοποιῶν ἀγγέλων ἔφησεν εἰρῆσθαι, τὰς δὲ ὑπὸ τοῦ Σατανᾶ......

[b] Hær. 46. nov. Edit. tom. 8. p. 16.

[c] Epiſt. 82. cap. 2. n. 6. nov. Edit. tom. 2. p. 191.

» picuitate convincitur, quia in alium ſen-
» ſum detorquere non poſſunt, falſa eſſe con-
» tendunt: ita tamen ut eandem falſitatem
» non ſcribentibus Apoſtolis tribuant, ſed
» neſcio quibus codicum corruptoribus.

Cenſebant ergo Manichæi, Apoſtolos quidem rectè ſcripſiſſe, & ad veritatis normam: ſed codices quibus illorum ſcripta continebantur, adulteratos poſtea fuiſſe & corruptos contendebant: neque hanc accuſationem falſi priùs illi intentarunt, quàm ſenſiſſent errores ſuos clariſſimâ ſententiarum perſpicuitate convinci; nec loca novi Teſtamenti, quæ ipſis objiciebantur, poſſe in alium ſenſum detorqueri.

Verùm hoc ipſo ſuſpecta debuit eſſe accuſatio, & explodi tanquam futilis & vana, præſertim cùm ſine teſte, ſine auctore ullo proferretur. Quid enim certum erit & inconcuſſum; ſi quoties veteres libri nobis adverſantur, toties licet eoſdem pro cujuſque libidine accuſare falſi, nulla ejuſdem criminationis probatione allata?

Igitur ſi Manichæos interrogaſſes, quamobrem quædam novi Teſtamenti loca reſpuerent: dicebant jure reſpui, utpote ex falſatis codicibus eruta. Si peteres, codices illi fuiſſent-ne falſati nuper & recèns: non audebant affirmare, ne antiquorum exemplarium auctoritate apertè mendacii

convincerentur. Si exigeres, ut declararent à quo, quando & ubi commiſſa fraus eſſet: reſpondebant commiſſam eſſe *à neſcio quibus codicum corruptoribus*: quinam illi corruptores fuerint, quo tempore, quo-ve loco vixerint, non aperiebant. Si denique inſtares, ut ſaltem indicarent, à quibuſnam, vel ipſi, vel ipſorum magiſtri accepiſſent commiſſam fuiſſe olim hanc fraudem; an aliquod factæ fraudis veſtigium extaret, ſive in antiquioribus exemplaribus, ſive in ipſo primigenio textu, ex quo Latini libri tranſlati ſunt: hærebant, perturbabantur, obmuteſcebant, ac demum ſilentio ſuo fateri cogebantur, non aliam ob cauſam ſacris Eccleſiæ Catholicæ codicibus notam falſi ab ipſis eſſe illatam, quàm quia iſti codices doctrinam continent, quæ Manichæorum deliria atque hæreſes omnino ſubvertat. Hoc autem quàm miſerabile ſit, quàm ineptum, vel ipſos ſenſiſſe Manichæos Auguſtinus teſtis eſt, cum ait eos [a] *notiſſima omnibus veritate ſuperatos confuſoſque diſceſſiſſe, quia nec pluribus, ſive antiquioribus exemplaribus, nec præcedentis linguæ auctoritate, unde Latini libri interpretati ſunt*, impactam codicibus noſtris falſi notam *probare aliquando potuerunt.*

Contemnenda eſt ergo tam Gnoſticorum,

[a] Ibid.

quàm Manichæorum impudens calumnia, quâ temerè auſi ſunt olim adulteratos dicere Sacros illos Libros, quos legit Eccleſia Catholica, ac ſanctè ſemper cuſtodivit.

CAPUT II.

Difficillimum fuiſſe Hæreticis Sacros codices, quos Eccceſia Catholica ſervabat, violare.

NOn diſputamus hoc in loco, utrum libri, quos Eccleſia Catholica in ſuum Canonem retulit, & ſuſcepit tanquam divinos, re ipsâ divini ſint. Quippe rem habemus cum viro religioſo, qui cùm non dubitet, quin & inſtituta à Chriſto Domino religio vera ſit, & vera ſint omnia quæ Apoſtoli Eccleſiæ tradiderunt; eâdem animi firmitate credit, libros quos Canonicos appellamus, Deo inſpirante ſcriptos eſſe; quemadmodum Eccleſiam Apoſtoli docuerunt. Unde quàm certò conſtat non potuiſſe Apoſtolos docere Eccleſiam falſa; tam manifeſtè patet libros, qui in Bibliis noſtris continentur, Deum ipſum auctorem habere, ejuſque nutu atque inſpiratione compoſitos fuiſſe, atque Eccleſiæ traditos. Eâ re ergo poſitâ, tanquam certâ & exploratâ, hoc unum nunc

probandum ſuſcipimus, Hæreticis, quamvis perfidis & fallacibus, difficillimum fuiſſe, illos codices ſacros, quos Eccleſia Catholica cuſtodiebat, violare.

Ac primùm illud pronunciare licet, cùm multa ſint veterum Scriptorum opera, quæ à remotiſſimis ſæculis ad noſtram hanc ætatem pervenerunt, nulla tamen eſſe, quorum tam indubitata ſit, tam explorata, quàm divinorum librorum incorrupta integritas. Enimvero quæcumque volumina profani Scriptores, Hiſtorici, Philoſophi, Oratores, Poëtæ poſteritati mandaverunt, illa conſervata ſunt eorum ſtudio & opera, apud quos erant in pretio, à quibus legebantur: legebantur autem ab eruditis quidem hominibus, ſed non admodum multis: neque in tanto apud illos erant pretio, ut religioni ducerent illa interdum ineptiæ, aut erroris, aut etiam mendacii arguere. Atqui volumina illa quanquam nonniſi paucorum manibus terebantur, quanquam putabantur non eſſe ſine vitiis: tamen nemo temerè ac ſine idonea probatione dixerit eſſe adulterata; ea legimus ut integra, ut ſincera: ſi quis autem codices alicubi corruptos eſſe aut ſuſpicetur, aut cenſeat; niſi hanc ſuam opinionem aut ſuſpicionem firmis argumentis adprobet, rejicitur, contemnitur. Uſque adeo apud

nos anteriorum ſæculorum traditio valet ad fidem faciendam.

Jam verò multò potior eſſe debet ſacrorum, quàm quorumlibet aliorum librorum conditio. Quippe de libris ſingulis tam profanis, quàm Eccleſiaſticis, affirmare poſſumus, quod de Cypriani litteris Auguſtinus.
" « Neque enim, inquit[a], ſic potuit integri-
" tas atque notitia litterarum unius quamli-
" bet illuſtris Epiſcopi cuſtodiri, quemadmo-
" dum ſcriptura Canonica, tot linguarum
" litteris, & ordine, & ſucceſſione celebratio-
" nis Eccleſiaſticæ cuſtoditur; contra quam
" tamen non defuerunt, qui ſub nominibus
" Apoſtolorum multa confingerent. Fruſtra
" quidem; quia illa ſic commendata, ſic ce-
" lebrata, ſic nota eſt: verùm quid poſſit ad-
" verſus ſcripturas non Canonica auctoritate
" fundatas, etiam hinc demonſtravit impiæ
" conatus audaciæ, quod & adverſus eas,
" quæ tantâ notitiæ mole firmatæ ſunt, ſeſe
" erigere non prætermiſit.

Hæc ergo prima ratio eſt, cur etiamſi cæteri libri ſuſpecti eſſent depravationis: Hæreticorum tamen fraudes Libros divinos in ſimilem ſuſpicionem adducere non poſſent; quia ſcilicet horum integritas multò majori, quàm reliquorum omnium librorum, notitiæ mole firmata eſt. Enimvero

[a] Ep. 93. aliàs 48. ad Vinc. Rogat. n.38. nov. Ed. p. 246.

libri divini jam tum ab initio naſcentis Eccleſiæ, ubique gentium lecti ſunt, ſcripti, commendati, atque in varias linguas converſi. Adeo ut nullæ eſſent ditiones, ſi barbaras quaſdam gentes exceperis, nullæ Provinciæ, nullæ civitates, nullus pagus qui Chriſtianos haberet, ubi non aſſiduè volverentur à Sacerdotibus, explicarentur populo, legerentur in conventibus, ſuſciperentur cum admiratione & reverentia. Quare ſi quis in eos falſariam manum immittere attentaſſet, non potuit non ſtatim ejus impoſtura retegi ab iis, quibus iſtorum librorum lectio erat familiaris : non potuit non revinci audacia ſincerorum exemplarium multitudine.

Alteram cauſam, cur præ cæteris integri eſſe debeant Libri Sacri, & ab omni corruptione puri, ex eodem Auguſtino diſcimus : nempe iis habitum honorem & reverentiam. « Ego enim, inquit [a] Auguſtinus ad Hieronymum ſcribens, fateor charitati tuæ, ſolis eis Scripturarum libris, qui jam Canonici appellantur, didici hunc timorem honoremque deferre, ut nullum eorum auctorem ſcribendo aliquid erraſſe firmiſſimè credam. At ſi aliquid in eis offendero litteris, quod videatur contrarium veritati : nihil aliud quàm mendoſum co-

[a] Ep. 82. aliàs 19. ad Hier. num. 3. nov. Edit. pag. 190.

» dicem, vel interpretem non aſſecutum eſſe
» quod dictum eſt, vel me minimè intelle-
» xiſſe non ambigam. Alios autem ita lego,
» ut quantâlibet ſanctitate doctrináque præ-
» polleant, non ideo verum putem, quia
» ipſi ita ſenſerunt; ſed quia mihi vel per
» auctores illos Canonicos, vel probabili ra-
» tione, quod à vero non abhorreat, per-
» ſuadere potuerunt. » Rurſum eadem aliis
verbis paulò poſt repetit. « Tantummodo
» ſcripturis Canonicis, inquit [a], hanc inge-
» nuam debeo ſervitutem, quâ eas ſolas ita
» ſequar, ut conſcriptores earum nihil in
» eis omnino erraſſe, nihil fallaciter poſuiſſe
» non dubitem. » Habita ergo Sacris Scrip-
turis reverentia, quantam certè nullis aliis
libris ulli unquam homines habuerunt, fe-
cit ut ſanctiùs ſervarentur & eorum inte-
gritati invigilaretur diligentiùs.

Quapropter etiamſi concedamus Hære-
ticos falſatores pro libidine exemplaria ſua
adulteraſſe: tamen non iis facile fuit has
depravationes in Catholicorum libros in-
ducere. Major erat Catholicorum erga li-
bros divinos reverentia, quàm ut ſcelus
iſtud prudentes volenteſque permitterent.
Quod ſi inſciis Catholicis, aliquot ipſorum
exemplaria corrumpere perfidi homines
attentaſſent: fraudem ſuam diù celare non

[a] Ibid. num. 24. pag. 199.

potuiſſent, propter earumdem Scripturarum celebritatem, notitiam & lectionem aſſiduam. Hæreticos ergo, qui Sacros codices falſare conati ſunt, iiſdem poſſumus compellare verbis, quibus Judæorum magiſtros à ſancto Juſtino compellatos fuiſſe ſuperiùs [a] vidimus : *Non decet*, inquit, *vos vaticinia ipſa auſu temerario vel adulterare, vel perperam exponere; nam vobis ipſis tantùm injuriam facietis, Deo autem nihil nocebitis.* Judæorum enim atque Hæreticorum perfidia, nec Deo, nec Eccleſiæ Catholicæ integritati obeſſe poteſt : ipſis verò Judæis atque Hæreticis magnam infamiæ notam inurit.

Caput III.

Sacrorum Librorum codices, quos legit Eccleſia, dici non poſſe ab Hæreticis depravatos.

PRæcipua cauſa, cur nemini liceat dubiam habere ſinceram librorum divinorum, qui in Eccleſia Catholica leguntur integritatem, ipſius Eccleſiæ definientis auctoritas. *Si quis* enim *libros ipſos integros, cum omnibus ſuis partibus, prout in Eccleſia Catholica legi conſueverunt, & in veteri*

[a] Parte 1. cap. 3. pag. 41.

vulgata Latina editione habentur, pro Sacris & Canonicis non ſuſceperit : anathema ſit. Ita ſancitum eſt [a] in ſacro-ſancta Synodo Tridentina. Quo in Canone anathemate feriuntur, non ſolùm antiquiores & recentiores Hæretici, qui nonnullos, ſeu veteris, ſeu novi Teſtamenti libros integros rejiciebant : ſed etiam illi omnes, qui aliquam eorumdem librorum partem, quæ in vulgata editione extet, *pro Sacra & Canonica ſuſcipere* detrectarent. Et quia plures Concilii Tridentini tempore Latinæ editiones circumferebantur, inter quas non parva intercedebat diverſitas : ne quis eſſet rixis & contentionibus locus, ne-ve Catholici in partes ſcinderentur incerti, de hac ipſa vulgata editione Latina pronunciavit ſancta Synodus, *libros integros cum omnibus ſuis partibus, prout in illa veteri vulgata Latina editione habentur, pro Sacris & Canonicis eſſe ſuſcipiendos.* Quâ quidem ſanctione nihil detractum eſt de auctoritate, quam Hebraïca & Græca Biblia anteà habuere : ſed nihil etiam huic additum. Contrà verò vulgatæ editioni Latinæ magnum auctoritatis pondus acceſſit : neque jam licet ullam ejus partem, ſaltem in iis quæ ad fidem vel mores ſpectant, aut corruptam dicere, aut ſuſpectam habere falſi.

[a] Seſſ. 4.

Quæ cùm ita ſint, non poſſum non mirari, quòd inter Scriptores Catholicos quidam reperiantur, qui ſuſpectum facere adhuc audeant celebrem illum Joannis verſum [a]: *Tres ſunt qui teſtimonium dant in cœlo: Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus: & hi tres unum ſunt.* Nam certè locus ille legi conſuevit ab Eccleſia Catholica in Bibliis, & habetur in veteri vulgatâ editione Latina. Atqui anathema dictum eſt ei, qui *libros Sacros integros cum omnibus ſuis partibus, prout in Eccleſia Catholica legi conſueverunt, & in veteri vulgata Latina editione habentur, pro Sacris & Canonicis non ſuſceperit.* Videant ergo, quâ ratione anathema illud fugere poſſint, qui nobiliſſimam primæ Joannis Epiſtolæ partem è ſacro Canone eraſam volunt.

Eſto, deſit in pluribus manuſcriptis codicibus: at cùm legatur nunc in Bibliis ferè omnibus, certum eſt hunc locum repertum eſſe in illis ſaltem manuſcriptis exemplaribus, unde Biblia primùm edita ſunt. Et verò conſtat etiamnum ſupereſſe in quibuſdam antiquioribus. Neque ullâ ratione tolerari poteſt, quòd quidam volunt [b], verba iſta, à margine, ubi primitus, interpretationis ergo, ſcripta fuerant, in contextum poſtea à temerariis Librariis tranſ.

[a] 1. Joan. 5. 7.

[b] Hiſt. crit. du N. Teſt. c. 18.

lata fuiſſe. Dicendum potiùs verba, quæ in ipſo contextu fuerant, poſtmodùm omiſſa eſſe imperitorum Amanuenſium oſcitantiâ, qui cùm ſcripſiſſent has primas ſeptimi verſiculi voces *tres ſunt qui teſtimonium dant*, oculorum lapſu, ut fit, reliquam verſiculi partem prætergreſſi, tranſilierunt ad verſum proximè ſequentem, ubi eædem voces recurrebant. Frequentiſſimè enim inter ſcribendum excidit iſtud mendi genus, præſertim cum duo verſus & periodi iiſdem inchoantur & terminantur vocibus. Atque iſtud ex eo confirmatur, quod iſte Joannis verſus, etſi non adeo frequenter laudatur à Patribus, tamen laudatur ab aliquibus, nempe à Cypriano [a] ſemel & iterum; bis etiam ab auctore librorum [b] de Trinitate qui habentur inter opera [c] Athanaſii; à Victore [d] Vitenſi; à Fulgentio [e]: atque apud Hieronymum [f] ab auctore Prologi in ſeptem Epiſtolas Canonicas: qui auctor conqueritur *ab infidelibus tranſlatoribus omiſſum eſſe hoc teſtimonium, in quo maximè & fides Catholica roboratur, & Patris & Filii & Spiritûs ſancti una divinitatis ſubſtantia comprobatur.*

cfr. Baumgarten. glaubenslehr. Vol. I. pag. 542 sq

edit. Balduini Paris 1569. 8o.

[a] Lib. de unit. Eccl. & Epiſt. ad Jubajan.
[b] Lib. 1. ſub fin. & lib. 7.
[c] Tom. 2. part. 2.
[d] Lib. 2. Perſ. Afric. p.m. 30.
[e] Lib. cont. Arian. Reſp. ad 10. object.
[f] Tom. 1.

Quod ex Canone ſuprà laudato conſectaneum fuit, ut vulgata editio Latina pro authentica haberetur, diſertè etiam eadem Synodus definivit: cujus hæc verba ſunt.[a] *Inſuper eadem ſacro-ſancta Synodus conſiderans non parum utilitatis accedere poſſe Eccleſiæ Dei, ſi ex omnibus Latinis editionibus, quæ circumferuntur, ſacrorum Librorum, quænam pro authentica habenda ſit, innoteſcat: ſtatuit & declarat, ut hæc ipſa vetus & vulgata editio, quæ longo tot ſæculorum uſu in ipſa Eccleſia probata eſt, in publicis lectionibus, diſputationibus, prædicationibus, & expoſitionibus pro authentica habeatur: & ut nemo illam rejicere quovis prætextu audeat vel præſumat.* Præſumant ergo Hæretici, apud quos Eccleſiæ definientis auctoritas nulla eſt; & audeant, rejectâ veteri vulgatâ Latinâ editione, male conceptos proprii ingenii fœtus illi ſuperbè anteponere: ſic ſuam iſti temeritatem impietatemque produnt. At eoſdem hac in parte imitari, quis jam Catholicus ſine ſcelere & ſtultitia poſſit? ſine ſcelere & ſtultitia dico: ſcelus enim eſt Eccleſiæ jubenti non parere: ſtultitia verò quàm maxima, cùm alicujus inſtrumenti exemplar habeas, quod legitimus judex authenticum eſſe declaravit; aliud in judicium producere, de quo non-

[a] Ibid. ſeſſ. 4.

dum ſtatutum eſt, ſit ne authenticum, an non ſit.

Jam verò ſi ipſa vetus vulgata editio Latina authentica eſt, ſi certum eſt libros integros cum omnibus ſuis partibus, prout in illa editione vulgata habentur, pro Sacris & Canonicis eſſe ſuſcipiendos, inde manifeſtè conſequens eſt, non fuiſſe à falſatoribus vitiatam illam veterem editionem vulgatam, ſaltem in iis quæ ad fidem vel mores pertineat: quippe ſi illa ſic paſſa eſſet impias adulterantium manus, ut vel adſcititias & perfidè inductas aliquot ſententias haberet regulæ fidei & morum minimè conſentaneas, vel eſſet alicubi legitimus ſenſus in pravum immutatus: pars illa certè, quæ adjecta foret & corrupta, non eſſet authentica, nec eſſet pro Sacra & Canonica ſuſcipienda. Definitum eſt tamen libros integros cum omnibus ſuis partibus pro Sacris & Canonicis eſſe ſuſcipiendos, editionemque vulgatam Latinam eſſe authenticam: ergo Eccleſia judicavit nullam in Librorum Sacrorum, quos habemus, partem ſic vitiatam fuiſſe & depravatam, ut vel ſpuriæ adjectæ eſſent ſententiæ, vel ſenſus alicubi eſſet corruptus.

CAPUT IV.

Librorum Divinorum ſinceram integritatem, non alio melius quam Eccleſiæ Catholicæ judicio cognoſci poſſe.

CElebre eſt & jure merito laudatum aureum illud ſancti Auguſtini dictum: *Ego verò Evangelio non crederem* [a], *niſi me Catholicæ Eccleſiæ commoveret auctoritas.* Nam licèt Evangelium & cæteri Sacræ Scripturæ libri, hoc ipſo quòd divinitus & Spiritu ſancto inſpirante ſcripti ſunt, firmiſſimam ex ſe habeant auctoritatem: illa tamen auctoritas iis quibus non eſt oſtenſa divinitus, nonniſi per Eccleſiæ judicium planè innoteſcit. Libros enim Sacros Deus Eccleſiæ per Apoſtolos alioſque ſanctiſſimos viros, ſingulis Fidelibus per Eccleſiam tradere voluit: quod quidem ſapientiſſimo divinæ Providentiæ conſilio inſtitutum fuiſſe nemo non ſentit. Nam cùm ab initio non defuerint perverſi homines, qui ſpurios libros obtrudere, veros adulterare, ſinceros in pravum ſenſum detorquere conarentur: erat ſanè providendus judex, qui libros veros à ſpuriis, integros ab adultera-

[a] Contra Epiſt. Fundam. cap. 5. tom. 8. nov. Edit. pag. 154.

tis, legitimum eorumdem ſenſum à falſo ſecerneret. Hujus autem rei judex quis magis idoneus eſſe potuit, quàm Eccleſia Catholica à Chriſto inſtituta, cui Spiritus ſanctus datus eſt cum ipſa in æternum permanſurus?

Si quis ergo ſuppoſititia Petri, Thomæ, Matthiæ Evangelia, ſi quis Pauli & Theclæ Acta, ejuſdem Pauli Anabaticum, Petri Apocalypſim, & cæteram Apocrypharum Scripturarum farraginem nobis nunc offerat; & eodem loco haberi velit atque Matthæi, Marci, Lucæ & Joannis Evangelia: contemnemus hominem profectò, & ſuppoſititios ejus libros procul amandabimus. Si autem interroget, cur Evangelium Petri repudiemus, Matthæi verò, aut Marci recipiamus: quid aliud reſpondere poſſumus, quàm illud adulterinum eſſe, hæc verò genuina: atque nos ita didiciſſe ab Eccleſia Catholica, ad quam judicium iſtud pertinet? Si inſtet ille & contendat metuendum eſſe, ne quemadmodum olim nomine Petri falsò confictum eſt Evangelium, ita & nomine Matthæi, Marci, Lucæ & Joannis pariter fuerint conficta: an inanem hunc metum ut excutiamus, negaturi ſumus inſcriptum nomine Petri extitiſſe olim Evangelium? minimè verò. Sed exploſâ hominis pertinaciâ, demonſtrabi-

mus nullum eſſe errandi periculum, ubi ducem ſequimur Eccleſiam : oſtendemus Eccleſiæ eſſe, certò ſtatuere ac definire, quaſnam ab Apoſtolis acceperit, vel non acceperit Scripturas. Hæc regula eſt, quâ injectam à perditis hominibus de divinorum Librorum veritate malè ſanam ſuſpicionem ex animis omnino evellamus.

Eandem regulam ſecuti, affirmamus ſine ullo errandi metu, libros illos, qui verè divini ſunt, nec vitiatos eſſe, nec corruptos. Non inficiamur multa olim tam Evangelii ſecundùm Lucam, quàm Epiſtolarum Pauli exemplaria à Marcione truncata fuiſſe & falſata. Fatemur Theodotum & præcipuos ejus aſſeclas fuiſſe Sacrarum Litterarum falſatores. At Hæreticorum perfidiam Eccleſiæ exemplaribus nihil nocuiſſe, ex ipſius Eccleſiæ ita decernentis auctoritate evincimus. Neque enim magis illa, cum ſinceros libros ab adulteratis ſecernit, falli poteſt, quàm cum veros à ſpuriis dijudicat.

Timeant ergo libris ſuis Heterodoxi homines : & de magiſtrorum ſuorum ſinceritate ac fide dubitent, qui cùm nihil antiquius habeant, quàm ut illam Sacrorum Librorum editionem, quam legit Eccleſia Catholica, in contemptum adducant, novas ipſi in dies editiones, dum emendare

nituntur, reipſa deteriores faciunt. Timeant etiam Catholici novis illis in linguam vulgarem interpretationibus, quas contra leges ſuas & ſtatuta editas Eccleſia proſcripſit. At ab omni metu liberi eſſe debent, cùm Libros Sacros legunt, quales ipſa Eccleſia legit & probat.

Hæc eſt enim communis veterum Patrum doctrina. Inſtar omnium ſit antiquiſ-
» ſimus Irenæus. « Non oportet [a], inquit,
» quærere apud alios veritatem, quam faci-
» le eſt ab Eccleſia ſumere; cùm Apoſtoli
» quaſi in depoſitorium dives pleniſſimè in
» ea contulerint omnia quæ ſint veritatis,
» uti omnis quicumque velit ſumat ex ea po-
» tum vitæ. Hæc eſt enim vitæ introitus: om-
» nes autem reliqui fures ſunt & latrones;
» propter quod oportet devitare quidem il-
» los: quæ autem ſunt Eccleſiæ cum ſumma
» diligentia diligere & apprehendere verita-
» tis traditionem.... Hoc enim [b] Eccleſiæ
» creditum eſt Dei munus.... In Eccleſia po-
» ſuit Deus Apoſtolos, Prophetas, Doctores,
» & univerſam reliquam operationem Spiri-
» tus: cujus non ſunt participes qui non con-
» currunt ad Eccleſiam.... Ubi enim Eccle-

[a] Iren. cont. Hær. lib. 3. cap. 4. nov. Edit. Pariſ. pag. 178. Oxon. 205. Hic & ſequentes loci ex his ſunt, qui Latinè tantùm habentur.

[b] Iren. lib. 3. nov. Edit. Pariſ. cap. 24. pag. 223. Oxon. cap. 40. pag. 266.

ſia, ibi Spiritus Dei : & ubi Spiritus Dei, illic Eccleſia & omnis gratia : Spiritus autem veritas. Quapropter qui non participant eum, neque à mamillis matris nutriuntur in vitam, neque percipiunt de corpore Chriſti procedentem nitidiſſimum fontem : ſed effodiunt ſibi lacus detritos, de foſſis terrenis & de cœno putridam bibunt aquam.

Ita Irenæus, qui poſtquam generatim declaravit in Eccleſia ſola haberi incorruptum omnis veritatis fontem, agit etiam de Scripturis Sacris, quibus ſermo divinus continetur. « Ubi Chariſmata Domini poſita ſunt [a], inquit, ibi diſcere oportet veritatem apud quos eſt ea, quæ eſt ab Apoſtolis, Eccleſiæ ſucceſſio, & id quod eſt ſanum & irreprobabile converſationis, & inadulteratum & incorruptibile ſermonis conſtat. » Pro conſtanti ergo & pro explorato habebat Irenæus, non poſſe fieri, ut qui legitur in Eccleſia ſermo divinus, adulteratus ſit & corruptus. Idipſum paulò poſt docet multò clariùs. Comparat Eccleſiam cum uxore Lothi, quæ in ſtatuam ſalis converſa eſt, & ait [b] « Eccleſiam, quæ eſt ſal terræ, ſubrelictam eſſe in confinio terræ

[a] Iren. lib. 4. nov. Edit. Pariſ. cap. 26. pag. 263. Oxon. c. 45. pag. 345.

[b] Ibid. nov. Edit. Pariſ. cap. 31. pag. 269. Oxonienſis cap. 51. pag. 355.

» patientem ea quæ ſunt humana : & dum
» auferuntur ab ea membra integra (Marty-
» res ſcilicet) perſeverare ſtatuam ſalis, quod
» eſt firmamentum fidei, firmans & præmit-
» tens Filios ad Patrem ipſorum.» Unde pau-
cis verbis interjectis ita concludit. « Omnis
» ſermo [a], ei (qui fidelis eſt & Catholicus)
» conſtabit, ſi & Scripturam diligenter lege-
» rit apud eos, qui in Eccleſia ſunt Preſby-
» teri, apud quos Apoſtolica eſt doctrina. »
Eandem rurſum ſententiam aliis poſtea ver-
» bis exprimit. « Character, inquit [b], corpo-
» ris Chriſti ſucceſſiones Epiſcoporum, qui-
» bus illi (Apoſtoli) eam, quæ in uno quo-
» que loco eſt, Eccleſiam tradiderunt, (&
» eam) quæ pervenit uſque ad nos cuſtodita
» ſine fictione Scripturarum tractatio ple-
» niſſima, neque additamentum, neque ab-
» lationem recipiens, & lectio ſine falſatio-
» ne, & ſecundùm Scripturas expoſitio legi-
» tima & diligens, & ſine periculo, & ſine
» blaſphemia.

Quòd docet Irenæus cuſtodiri in Eccle-
ſia *ſine fictione Scripturarum tractationem ple-
niſſimam, quæ neque additamentum, neque
ablationem recipiat, & lectionem ſine falſatio-
ne :* Hoc ipſum paſſim Tertullianus [c], Cle-

[a] Ibid. nov. Edit. Pariſ. cap. 32. pag. 270. Oxon. cap. 52. pag. 355.

[b] Ibid. nov. Ed. Pariſ. c. 33. p. 272. Oxon. c. 63. p. 360.

[c] De Præſcript. hær. n. 21.

mens [a] Alexandrinus, atque alii deinceps Patres confirmant. De divina igitur erga Eccleſiam providentia, deque ipſius Eccleſiæ auctoritate ſentit, ut par eſt, qui certiſſimam Librorum Canonicorum integritatem ſartam tectamque manere contendit, etiamſi ſacrilega veterum Hæreticorum in falſandis codicibus audacia notetur.

Caput V.

Fieri potuiſſe, ut libri aliquot divini perirent, & in his qui extant verſus aliquot deſiderentur. Fieri omnino non poſſe, ut libri, quos Eccleſia tanquam divinos recipit, corrupti ſint in iis, quæ ad fidem vel mores pertinent.

QUanquam mihi planè perſuaſum eſt fieri non poſſe, ut Eccleſia Catholica libros adulteratos approbet pro genuinis: non tamen idcirco negare velim aliquos ex his, qui divina olim inſpiratione ſcripti fuerant, jam periiſſe; aut illis cenſuræ notam inurere, qui exiſtimarent particulam aliquam eorum, qui in Eccleſiæ Catholicæ

& ſeq. Edit. Rigalt. pag. 238. Adv. Marc. lib. 4. à num. 2. uſque ad 7. Ed. Rigalt. p. 502.
[a] Strom. lib. 7. ſub finem.

Canonem relati ſunt, intercidiſſe; ſive oſcitantiâ Librariorum prætermiſſam, ſive impiâ perverſorum hominum fraude ſublatam.

Et verò Concilium Tridentinum cum definivit [a] *libros ipſos* quos ſingulos enumerat, *integros cum omnibus ſuis partibus prout in Eccleſia Catholica legi conſueverunt, & in veteri Vulgata Latina editione habentur, pro Sacris & Canonicis eſſe ſuſcipiendos*: non tamen negavit, & alios olim Libros divinos fuiſſe, qui jam non habentur, & illorum qui nunc ſuperſunt partes aliquas excidiſſe. Prius enim certum eſt & multis argumentis demonſtratur: poſterius non caret aliquâ ſimilitudine veri, nec poteſt dici apertè falſum. Ac primò in comperto eſt non omnia nunc haberi, quæ olim Deo inſpirante ſcripta fuerant. Nam ut nihil dicam de *libro bellorum Domini*, de *libro Juſtorum*, de *libro verborum Salomonis*, de *libro verborum Regum Iſraël*, de *libro verborum Regum Juda*, qui libri laudantur, vel in Pentateucho, vel in libro Joſue, vel in libris Regum, nec tamen extant: certum eſt Salomonem, *cui* [b] *dedit Deus ſapientiam & prudentiam multam nimis, & latitudinem cordis, quaſi arenam quæ eſt in littore maris*: certum eſt, inquam, ipſum *locutum* fuiſſe *tria*

[a] Seſſ. 4.
[b] 3. Reg. 4. 29.

millia parabolas [a]: ex quibus multæ quidem ſuperſunt in *Proverbiorum* libro, ſed quæ nec trium millium numerum adæquent, & ab illo abſint longiſſimè. Ejuſdem [b] fuerunt *carmina quinque & mille*: hæc autem carmina ubi ſunt? Demus enim *Canticum Canticorum* unum ex his eſſe, aut ſi ita placet, plura ex his complecti: ſaltem nemo dixerit hoc uno libro carmina quinque & mille contineri. Certum eſt præterea multos periiſſe Prophetarum libros, nempe *librum* Natan, *volumen* Gad, *libros* Ahiæ, *viſionem* Addo, *verba* Jehu, & *ſermones* Hozai, quæ in libris Paralipomenon [c] laudari nemo neſcit. Permiſit Deus ut perirent, ſive quia his humana curioſitas & malitia abutebatur, ſive quia iiſdem poterat ſine ullo detrimento privari Eccleſia Catholica.

Quod ſi ſcriptos olim inſtinctu divino plures libros, aut integros, aut magna ex parte periiſſe conſtat: profectò non eſt incredibile, in his etiam, quos Eccleſia tanquam Canonicos hodie ſuſcipit, deſiderari poſſe verſus aliquot, quos Deo ita permittente negligentia hominum vel malitia ſuſtulerit. Et verò Auguſtinus [d] teſtis eſt

[a] Ibid. 32.
[b] Ibid.
[c] 1. Paral. 29, 29. 2. Paral. 9, 29. 20, 34. 33, 19.
[d] L. 1. Retract. cap. 21. num. 3. tom. 1. nov. Edit. pag. 32.

ætate ſua illum Eccleſiaſtici verſum [a], *qui baptizatur à mortuo, & iterum tangit illum, quid proficit lavatio ejus?* ſic ſcriptum fuiſſe in plurimis codicibus Afris, ut deeſſent verba illa intermedia, *& iterum tangit illum.* Ita etiam verſum hunc celeberrimum, *tres ſunt qui teſtimonium dant in cœlo, Pater, Verbum & Spiritus ſanctus, & hi tres unum ſunt*, abeſſe à pluribus exemplaribus manuſcriptis, eruditi omnes norunt. Scilicet utrumque hunc locum cùm oſcitantes Librarii quidam ſcribendo præteriiſſent, Eccleſia accuratiores codices ſecuta reſtituit.

Sed quid dicam de illo Evangelii verſu [b], *Quod natum eſt ex carne, caro eſt, quia de carne natum eſt: & quod natum eſt ex ſpiritu, ſpiritus eſt, quia Deus ſpiritus eſt, & de Deo natus eſt:* ex quo detracta ſunt verba hæc, *quia ex carne natum eſt*, & iſta alia, *quia Deus ſpiritus eſt, & de Deo natum eſt?* Hæc autem verba extitiſſe olim in pluribus Eccleſiæ ſaltem Occidentalis codicibus, atque ex his detracta fuiſſe Arianorum fraude Ambroſius diſertè [c] affirmat, ut ſuperiùs [d] vidimus. Porro in nullis jam Sacrorum Bibliorum exemplaribus extant: extabant tamen ante Arianorum tempora, ut Ter-

[a] Eccleſ. 34. 30.
[b] Joan. 3. 6.
[c] Tom. 2. nov. Edit. lib. 3. de Spiritu ſancto, cap. 10. p. 676.
[d] Part. 1. cap. 13. p. 112.

tullianus [a] teſtis eſt, & Nemeſianus à Thubunis [b] in Synodo quæ Carthagine habita eſt anno 256. & alii. Quæ verba idcirco fortaſſe non ſunt reſtituta in vulgata editione Latina; quia non ſatis apertè conſtabat in textu Græco olim extitiſſe: quanquam certum eſt perdiù lecta fuiſſe in veteri Itala interpretatione, ex qua Arianorum fraude ſublata ſunt.

Juſtinus verò Martyr contendit [c] *multos & integros prorſus locos illarum* (Scripturarum) *ex tranſlatione eorum, qui cum Ptolemæo fuerunt, Seniorum ſublatos eſſe à Judæorum magiſtris.* Quatuor autem ex his locis rogatus à Tryphone appellat.

Primus hic eſt. « Ex verbis, inquit [d] "
ſanctiſſimus Martyr, quæ Eſdras de le- "
ge & conſtitutione Paſchæ commemora- "
vit, hunc locum abſtulerunt. *Et dixit Eſ-* "
dras populo: Hoc Paſcha ſalvator noſter & "
perfugium noſtrum. Ac ſi in animum veſtrum "

[a] Lib. de carne Chriſti, cap. 18.

[b] Cap. 5.

[c] Juſt. dial. cum Tryph. Edit. Comm. pag. 231. Sonnii 297.

Καὶ ὅτι πολλὰς γραφὰς τέλεον περιεῖλον ἀπὸ τῶν ἐξηγήσεων τῶν γεγενημένων ὑπὸ τῶν παρὰ Πτολεμαίῳ γεγενημένων πρεσβυτέρων, ἐξ ὧν διαῤῥήδην οὗτος αὐτὸς ὁ σταυρωθεὶς, ὅτι Θεὸς, καὶ ἄνθρωπος, καὶ σταυρούμενος, καὶ ἀποθνήσκων κεκηρυγμένος ἀποδείκνυται, εἰδέναι ὑμᾶς βούλομαι.

[d] Juſtin. ibid.

Ἀπὸ μὲν οὖν τῶν ἐξηγήσεων ὧν ἐξηγήσατο Ἔσδρας εἰς τὸν νόμον τὸν περὶ τοῦ πάσχα τὴν ἐξήγησιν ταύτην ἀφείλοντο· καὶ εἶπεν Ἔσδρας τῷ λαῷ· τοῦτο τὸ πάσχα ὁ σωτὴρ ἡμῶν, καὶ ἡ καταφυγὴ ἡμῶν, καὶ ἐὰν διανοηθῆτε, καὶ ἀναβῇ ὑμῶν ἐπὶ τὴν καρδίαν,

" *induxeritis, & in cor veſtrum aſcenderit, quod*
" *humiliaturi ſumus eum in ſigno, & poſtea ſperaturi in eum: non deſolabitur locus iſte in omne tempus; dicit Deus virtutum. Si in eum non crediderítis, neque audieritis annunciationem ejus, dericulum eritis Gentibus.*" Quibus verbis nemo non videt contineri inſigne vaticinium, quo prædicitur non modò Salvatorem à Judæis paſſurum eſſe, ſed etiam urbem Hieroſolymam, ſi Judæi non crederent in Chriſtum, eſſe ſubvertendam, & Gentes in locum Judæorum eſſe ſucceſſuras. Quare non mirum eſt Judæorum magiſtros, cùm ſentirent cauſam ſuam prophetiâ adeo manifeſtâ omnino jugulari, illam è Libris Sacris eraſiſſe. Inſignem hunc locum, qui nec in Bibliis Hebraïcis, nec in Græcis, nec in Latinis jam reperitur, extitiſſe in capite ſexto libri primi ait [a] Fridericus Sylburgius: nec ſine fundamento. Eſdras enim in fine capitis ſexti libri primi ea commemorat, quæ ad Paſcha pertinent: Juſtinus verò apertè ſignificat prophetiam hanc ex eo loco reſectam fuiſſe, ubi Eſdras agit de lege Paſchatis. Neque tamen Judæorum malitia obtinere potuerat, ut iſtud

ὅτι μέλλομεν αὐτὸν ταπεινοῦν ἐν σημείῳ, καὶ μετὰ ταῦτα ἐλπίζομεν ἐπ' αὐτόν, οὐ μὴ ἐρημωθῇ ὁ τόπος οὗτος εἰς τὸν ἅπαντα χρόνον· λέγει ὁ Θεὸς τῶν δυνάμεων· ἐὰν δὲ μὴ πιστεύσητε αὐτῷ, μηδὲ εἰσακούσητε τοῦ κηρύγματος αὐτοῦ, ἔσεσθε ἐπίχαρμα τοῖς ἔθνεσι.

[a] Ibid. Not. in Juſt. pag. 419.

vaticinium in omnibus Græcæ ſeptuaginta Seniorum interpretationis exemplaribus deleretur; unde enim illud habuiſſet Juſtinus? unde Lactantius, qui iſtud ipſum ſubſequenti ſæculo adhuc [a] legebat? At idem in nullis nunc Bibliis extat. Quod cùm in Editione Latina non ſit reſtitutum, argumentum eſt locum hunc ſaltem in Bibliis aliquot Hebraïcis, jam tum olim defuiſſe.

Secundus apud Juſtinum locus iſte eſt [b]:
« Ex Hieremiæ reſponſis, inquit, hæc re- «
ciderunt [c] : *Ego ut agnus, qui ad ſacrifican-* «
dum abducitur. Super me cogitaverunt cogita- «
tionem dicentes; Venite, mittamus lignum in «
panem ejus, & eradamus eum è terra viven- «
tium, & nomen ejus ne memoretur amplius. «
Tamen ætate Juſtini [d], ut ipſe teſtis eſt, *reſectio iſta ex Hieremia adhuc in quibuſdam exemplaribus, quæ in Judæorum aſſervabantur Synagogis, reperiebatur: non enim ita diu erat, cum hæc verba reciderant.* Cùm ergo recens fraus eſſet, & confeſtim detecta, hæc fortaſſe cauſa fuit, cur ex quatuor locis, quos ſanctiſſimus Martyr & Philoſo-

[a] Divin. Inſtit. lib. 4. cap. 18. Edit. Rom. pag. 106.

[b] Ibid. Dial. cum Tryhph. Edit. Comm. pag. 232. Sonn. pag. 298.

[c] Hierem. 11. 19.

[d] Juſtin. dial. cum Tryph. Edit. Comm. pag. 232. Sonn. pag. 298.

... αὐτὴ ἡ περικοπὴ ἡ ἐκ τῶν λόγων τοῦ Ἱερεμίου ἔτι ἐστὶν ἐγγεγραμμένη ἔν τισιν ἀντιγράφοις τῶν ἐν συναγωγαῖς Ἰουδαίων· πρὸ γὰρ ὀλίγου χρόνου ταῦτα ἐξέκοψαν.

phus à Judæis ex Græca ſeptuaginta Seniorum interpretatione eraſos eſſe conqueritur, hic ſolus in illa nunc habeatur. Quanquam & fortaſſe idcirco accidit iſtum præ cæteris locum in Græca interpretatione conſervatum eſſe; quia in Textu Hebraïco, ut & in Latina editione, ſolus legebatur.

Tertius ex eodem Hieremia deſumptus erat: ſic enim loquitur idem Juſtinus. « Ex
» Hieremiæ ſimiliter dictis [a], iſta reſecuerunt.
» *Recordatus eſt Dominus Deus mortuorum ſuo-*
» *rum ex Iſraële, qui obdormierunt in terra ag-*
» *geris : & deſcendit ad eos, ut evangelizaret,*
» *& læto eis ſignificaret nuncio ſalutare ſuum.* »
Quo in Hieremiæ capite hæc verba fuerint, Juſtinus non indicat, neque facile eſt divinare, cùm jam non occurrant in Sacro textu.

De quarto loco hæc idem Juſtinus habet. « Ex Pſalmo nonageſimo-quinto, quem
» David cecinit [b], inquit, perpauca hæc ab-
» ſtulerunt, *à ligno* : cùm enim ad verbum ita

[a] Juſtin. ibid.
Καὶ ἀπὸ τῶν λόγων τοῦ αὐτοῦ Ἱερεμίου ὁμοίως ταῦτα περιέκοψαν. ἐμνήσθη δὲ κύριος ὁ Θεὸς ἀπὸ Ἰσραὴλ τῶν νεκρῶν αὐτοῦ τῶν κεκοιμημένων εἰς γῆν χώματος, καὶ κατέβη πρὸς αὐτοὺς εὐαγγελίσασθαι αὐτοῖς τὸ σωτήριον αὐτοῦ.

[b] Juſtin. ibid.
Καὶ ἀπὸ τοῦ ἐνενηκοστοῦ πέμπτου ψαλμοῦ τῶν διὰ Δαβὶδ λεχθέντων λόγων, λέξεις βραχείας ἀφείλοντο ταύτας, ἀπὸ τοῦ ξύλου. εἰρημένου γὰρ τοῦ λόγου, εἴπατε ἐν τοῖς ἔθνεσιν, ὁ κύριος ἐβασίλευσεν ἀπὸ τοῦ ξύλου, ἀφῆκαν, εἴπατε ἐν τοῖς ἔθνεσιν, ὁ κύριος ἐβασίλευσεν.

fuiſſet dictum [a]: *Dicite in gentibus, Dominus* «
regnavit à ligno : reliquerunt, *dicite in genti-* «
bus, Dominus regnavit. » Has autem vocu- «
las *à ligno* in noſtris Bibliis jam non haberi perſpicuum eſt. Tamen illas ante Juſtini tempora in Pſalterio extitiſſe diſcimus ex Barnabæ Epiſtola. Ad hunc enim profectò locum Barnabas alludit, cum ait [b], *regnum Jeſu eſt in ligno.* Eumdem verſum cum iiſdem voculis *à ligno* poſt Juſtini tempora recitarunt [c] Tertullianus, ignotus Auctor Tractatus [d] *de montibus Sina & Sion*, Auguſtinus [e], Leo [f] Magnus, Gregorius [g] Magnus & alii. Caſſiodorus verò, *à ligno*, in- «
quit [h], alii quidem non habent Tranſlato- «
res : ſed nobis ſufficit, quod ſeptuaginta «
Interpretum auctoritate firmatum eſt. » Et «
verò eadem verba etiamnum reperiuntur in antiquis Pſalteriis Copthorum, Gothorum & Vaticano. Eadem recitat Eccleſia Catholica in Hymno *Vexilla Regis*, quem à Venantio Fortunato compoſitum omnes norunt, ubi Davidem reipſa ſic ceciniſſe affirmatur his verſiculis,

Impleta ſunt, quæ concinit
David fideli carmine

[a] Pſ. 95. 10.
[b] Ep. Barn. n. 8. Ed. Oxon.
[c] Adv. Jud c. 10. & 3. contr. Marcion. cap. 19.
[d] Inter Opera S. Cypriani.
[e] Enarr. in Pſ. 95. num. 11.
[f] Serm. 4. de Paſſ.
[g] Lib. in Ezech. hom. 6. cap. 13.
[h] In Pſ. 95. v. 10.

Dicens, In nationibus
Regnavit à ligno Deus.

Jam verò cur neque hic locus, neque alii ſuprà laudati, reſtituti ſint, non eſt hujus loci diſquirere. Fortaſſe quæ Judæi de ſuis, atque Ariani de aliquot Eccleſiæ codicibus malitiosè eraſerunt loca, illa etiam aberant ab aliis Eccleſiæ codicibus, quos perfidæ Judæorum & Hæreticorum manus nunquam attigiſſent; atque adeo non erant indubitata, & idcirco neglecta. Ut ut eſt, iſtud unum hoc in capite demonſtrandum ſuſcepimus, pluribus ſanctis Patribus fuiſſe olim perſuaſum, etiam in his libris, quos Eccleſia Catholica ſuſcipit & conſervat, aliquot verſus deſiderari poſſe malitiâ hominum ſublatos, nec cenſurâ notandos eſſe, ſi qui nunc idem ſentiant.

Neque enim ullum inde in Eccleſia ſuboritur incommodum. Ultrò quidem fatemur, in illis quæ ex Libris Sacris detracta eſſe veteres Patres conqueruntur, contineri doctrinam ſanam, utilem, imò & neceſſariam: ſed iſta doctrina non idcirco periit: quippe quæ vel in his Sacræ Scripturæ locis, quæ adhuc habemus, reperitur; vel ſaltem ſcripta eſt in cordibus Fidelium, & in Eccleſia Traditionis ope perſeverat. Unde ſanctus Ambroſius Arianos

ita compellat [a]: *Litteras quidem potuiſtis abolere, ſed fidem non potuiſtis auferre. Plus vos illa litura prodebat, plus vos illa litura damnabat. Neque enim vos poteratis oblinire veritatem, ſed illa litura de libro vitæ nomina veſtra radebat.*

Ubi ſedulò obſervandum eſt Judæos & Hæreticos; etſi non ſemel tentaverunt de de Litteris Sacris loca illa delere, quibus hæretica ipſorum aſſertio damnabatur, tamen vix dici poſſe, ſemel aut iterum perfeciſſe, ut hæc ſibi inviſa loca de Catholicorum libris omnino delerent; neque id unquam effeciſſe, niſi in iis locis, quæ non liquidò conſtat fuiſſe genuina, atque ex Hebraïco vel Græco fonte derivata. Divina quippe providentia, atque Eccleſiæ Catholicæ vigilantia obſtitit, ne impiæ ipſis ſuccederet conatus audaciæ. Hoc unum ergo dicimus, etiamſi permiſiſſet Deus, hoc ipſis ſcelus ut interdum ſuccederet, nihil tamen detrimenti inde paſſuram fuiſſe veritatem, quæ nec in uno Sacrarum Litterarum loco expreſſa eſt, & præterea continuatâ traditionis ſerie conſervatur in Eccleſia, atque in cordibus Fidelium perpetuò ſcribitur.

Non ita ſe res haberet, ſi perverſitate

[a] Tom. 2. nov. Edit. lib. 3. de Spiritu ſancto, cap. 10. num. 60. pag. 677.

hominum factum fuiſſet, ut prava aliqua Hæreticorum dogmata in illis Codicibus ſacris, quos legit Eccleſia, inſerta eſſent & admixta. Id enim ſi contigiſſet, & adulteratos hoc modo libros Eccleſia pro veris haberet: tunc neceſſe foret, ut corruptis doctrinæ inſtrumentis ipſa etiam ſacra doctrina corrumperetur. At promiſſa divina non ſinunt, ut id olim eveniſſe, aut aliquando eventurum eſſe, vel leviter ſuſpicemur. Suſpicionem autem hujuſmodi ſi quis invehi dicat ab iis, qui putant veteres Hæreticos Sacrarum Litterarum corruptores fuiſſe & depravatores: temerè facit procul dubio, neque ſatis animadvertit hac ſua criminatione non tam notari adverſarios ſuos, quàm ipſos ſanctos Patres, qui unanimi ferè conſenſu hanc Hæreticis perfidiam objiciunt.

CAPUT VI.

In confeſſo eſſe debere apud Catholicos, Eccleſiam quidem potuiſſe, ſi ita Deo placuiſſet, omni Sacrarum Litterarum ſubſidio carere: non potuiſſe autem ſpurios libros pro veris, depravatos pro ſinceris admittere.

CONſtans eſt & recepta apud Eccleſiaſticos Scriptores opinio, doctrinam Sacram, quam revelatione accepimus, potuiſſe, ſi ita omnipotenti Deo placuiſſet, conſervari ſine litteris: imò & reipſa multis ſæculis ita conſervatam fuiſſe conſtat. Nam cùm in confeſſo eſſe debeat apud omnes, veram Religionem nullo unquam tempore ab orbe condito inter homines omnino defeciſſe: neceſſariò dicendum eſt, illam ab Adamo uſque ad diluvium, à diluvio uſque ad Moſem ſine ullo librorum ſubſidio integram perſtitiſſe. Videtur enim certum nullos Libros Sacros fuiſſe Moſaïcis antiquiores.

Nam quamvis laudatus eſt ab ipſo Moſe [a] *liber bellorum Domini*: tamen librum hunc nonniſi temporibus ipſius Moſis, & poſt tranſitum maris rubri ſcriptum fuiſſe,

[a] Num. 21. 14.

ſive ab ipſo Moſe, ſive ab alio aliquo Iſraëlita manifeſtum eſt, ſiquidem iſta in eo legebatur prophetia [a]: *ſicut fecit* (Dominus) *in mari rubro, ſic faciet in torrentibus Arnon.*

Quòd autem Beatus Judas teſtatur in Epiſtola Canonica, Enochum, qui ſeptimus ab Adamo fuit, [b] *prophetaſſe dicentem: Ecce venit Dominus in ſanctis millibus ſuis*, non probat ſcriptum fuiſſe aliquem Librum Sacrum ante Moſis tempora: hanc enim Enochi prophetiam mandatam fuiſſe litteris, aut ſi litteris mandata fuit, mandatam fuiſſe ab ipſo Enocho, nec docet Beatus Judas, nec ulla ratio evincit: cenſent autem plurimi Interpretes tam antiqui quàm recentiores, illam ab Apoſtolo, vel revelatione cognitam, vel traditione acceptam.

Nihil ergo prohibet, quominus dicamus Moſem primum omnium ea, quæ ad Religionem pertinent, litteris mandaſſe; atque adeo veram religionem uſque ad ipſius tempora ſine litteris perſtitiſſe. Conſervabatur autem tum continuatâ Patrum traditione, tum etiam revelatione divinâ, qua primis illis temporibus pios viros identidem potitos & illuſtratos fuiſſe, ab ipſo Moſe diſcimus.

[a] Ibid. | [b] Jud. 14.

Quod ſi tam Synagogam quàm Chriſti Eccleſiam Deus Optimus Maximus Sacris Litteris inſtructam voluit : tamen certum eſt etiam poſt adventum Chriſti, à quo divina myſteria multò uberiùs, quàm antea, percepimus, apud barbaras gentes multas fidem Chriſtianam & propagatam fuiſſe & aliquandiu cuſtoditam ſine ullis litteris. Hoc enim diſertè affirmat illorum temporum æqualis ſanctus Irenæus Lugdunenſis, cujus hæc verba ſunt. « Quid autem [a], inquit, ſi neque Apoſtoli quidem ſcripturas reliquiſſent nobis, nonne oportebat ordinem ſequi Traditionis, quam tradiderunt iis quibus committebant Eccleſias ? Cui ordinationi aſſentiunt multæ gentes Barbarorum eorum, qui in Chriſtum credunt, ſine charta vel atramento ſcriptam habentes per ſpiritum in cordibus ſuis ſalutem, & veterem traditionem diligenter cuſtodientes, in unum Deum credentes fabricatorem cœli & terræ & omnium quæ in eis ſunt, per Chriſtum Jeſum Dei Filium.... Hanc fidem qui ſine litteris crediderunt, quantum ad ſermonem noſtrum barbari ſunt, quantum autem ad ſententiam & conſuetudinem &

[a] Iren. cont. Hær. lib. 3. cap. 4. nov. Edit. Pariſ. pag. 178. Oxon. pag. 205. Hic locus ex his eſt, qui non habentur Græcè.

» converſationem propter fidem perquàm
» ſapientiſſimi ſunt, & placent Deo conver-
» ſantes in omni juſtitia, caſtitate & juſtitia.

Cenſuit ergo Beatus Martyr atque Apoſtolicis temporibus vicinus, cenſuit fieri potuiſſe, ut *nullas Apoſtoli ſcripturas relinquerent nobis.* Teſtatus eſt *multas* ætate ſua *gentes Barbaras ſine charta vel atramento ſcriptam habuiſſe per ſpiritum in cordibus ſuis ſalutem, & veterem traditionem diligenter cuſtodiviſſe ſine litteris.* Quod Spiritûs ſancti gratiâ & inſpiratione perfecit Deus inter illas gentes Barbaras: hoc utique inter Græcos, hoc inter Romanos ſimiliter efficere potuiſſet. Noluit tamen: Apoſtoli enim, quemadmodum antea Prophetæ [a], *Evangelium quod præconiaverant, poſtea per Dei voluntatem in ſcripturis nobis tradiderunt; fundamentum & columnam fidei noſtræ futurum.* Suæ ergo Eccleſiæ Deus à temporibus Moſis præter veterem Patrum traditionem firmiſſimum etiam Sacrarum Litterarum præſidium conceſſit: quod ſummæ fuit erga homines benignitatis & ſingularis providentiæ. Nam cùm lege Moſaïcâ plura imponerentur præcepta, plures Sacri ritus ac cæremoniæ inducerentur; Evangelio autem arcana Dei myſteria retegerentur apertiùs, homineſque ad perfectam magis

[a] Iren. l. 3. c. 1.

magiſque cumulatam virtutem vocarentur & perducerentur; cùm lege veteri & nova contineretur quoddam pacti genus Deum inter & homines: decebat utriuſque legis haberi inſtrumenta, & beneficio litterarum certam magis & accuratam eorum memoriam conſervari: quæ hominibus Deus vel per ſe vel per ſervos ſuos Prophetas eſſet locutus; præſertim cùm teſte Apoſtolo,[a] *omnis Scriptura divinitus inſpirata utilis ſit ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in juſtitia.* Verùm cavendum eſt, ne quia gemino & traditionis, & divinorum Librorum præſidio, tam Synagogam, quàm Eccleſiam Chriſti munitam fuiſſe cognovimus, idcircò exiſtimemus non potuiſſe omninò utramque firmam ac ſtabilem permanere abſque litteris. Poterat utique Deus, ſi voluiſſet, facere ut neque Moſes, neque Prophetæ, neque Apoſtoli ſcripturas nobis relinquerent. Poterat ſine iſto litterarum adjumento Eccleſiam ſuam *ædificare ſuper petram*, atque abundantiori Spiritûs ſancti illuſtratione, & repetitis ſæpius revelationibus providere, ne *portæ inferi prævalerent adverſus eam.*

At quanquam Chriſti Eccleſia ſtare potuit, etiam divinis Litteris deſtituta: firma tamen & integra ſtare non poſſet, ſi vel

[a] 2. Timoth. 3. 20.

falſas Litteras pro divinis, vel adulteratas pro ſinceris admitteret. Cujus diſcriminis hæc ratio eſt. Eccleſia ſtat, quandiu eſt *firmamentum fidei* & *columna veritatis* : atqui etiamſi periiſſent omnes Sacrarum Litterarum codices, aut nulli unquam ſcripti eſſent, tamen Eccleſia eſſe poſſet *firmamentum fidei & columna veritatis*. Poſſet enim Chriſtus & ipſa Traditione, & uberiori gratiæ ſuæ auxilio divinorum Librorum defectum abundè ſupplere : poſſet abſque eorum ope ſic regere Eccleſiam ſuam, ut illa nec unquam deficeret à fide, nec aberraret à vero. Contrà verò ſi Eccleſia ſpurios ac mendaciis refertos libros tanquam divinos ſuſciperet; ſi adulteratos & inquinatos fabulis haberet pro genuinis & ſinceris: mendaciis illis fabuliſque firmum deberet præbere aſſenſum, fabulas enim illas exiſtimaret divinâ revelatione acceptas : firmâ autem fide credendum eſt quidquid Deo aſpirante & revelante ſcriptum eſſe non dubitatur. In errorem ergo incideret Eccleſia, fideſque ejus deficeret. Contingere autem omnino non poſſe, ut erret Eccleſia, fabulas doceat, & à recta fide deſciſcat, omnes Catholici ſatis intelligunt, & ultrò confitentur. Non debent ergo metuere, ne aliquando Eccleſia, aut libros apocryphos in Sacrum Canonem re-

ferat, aut corruptos atque hæreſis veneno infectos, filiis ſuis mater optima legendos offerat.

Quod dico fieri omnino non poſſe, ut corruptos libros pro ſinceris Eccleſia Catholica approbet; non ſic intelligo, ut velim libros illos qui Canonici ſunt & authentici, carere omni mendo, etiam leviſſimo. Iſtud quidem piè volunt nonnulli Doctores; ſed vereor, ut ſatis verè. Certè non ita exiſtimarunt ſummi Pontifices, qui abſoluto jam & promulgato Tridentino Concilio [a], *ipſam veterem ac vulgatam editionem Latinam*, quamvis authenticam, tamen *à mendis veterum Librariorum, necnon pravarum emendationum erroribus, ſuæ priſtinæ integritati ac puritati, quoad ejus fieri potuit, repurgatam reſtitui curarunt.* Neque verò ullum eſt aut Eccleſiæ aut ſummorum Pontificum Decretum, quo declaretur illam ſic eſſe purgatam, ut ne unum quidem mendum ſuperſit, quod impoſterum auctoritate Eccleſiaſtica emendari poſſit: quanquam ea cautio ſapientiſſimè adhibita eſt [b], *ut nemo hanc* (Vulgatam nempè) *ſanctarum Scripturarum editionem typis mandare præſumat, niſi habito prius exemplari in Typographia Vaticana excuſo; cujus exemplaris forma, ne minima quidem particula de Textu*

[a] Præfixa Bibliis Præfat. | [b] Clem. Pap. VIII. Decret.

mutata, addita, vel ab eo detracta, niſi aliquid occurrat, quod Typographicæ incuriæ manifeſtè adſcribendum ſit, inviolabiliter obſervetur. At cum dicitur in illis etiam Sacrorum Librorum exemplaribus, quæ Eccleſia approbat, menda aliqua ſupereſſe poſſe leviſſima, abſit ut putentur illa menda eſſe hujuſmodi, quæ ullum in rebus fidei & morum errorem inducant. Hoc Catholicos credere, hoc ſuſpicari nefas eſt.

CAPUT VII.

Pleroſque ſanctos Patres, Hæreticorum in falſandis libris perfidiam reprehendiſſe; neque tamen exiſtimaſſe ſacros Eccleſiæ Catholicæ codices in ſuſpicionem falſi venire poſſe.

FUit ſemper Catholicorum ea pietas, ut ſanctos Patres quantùm fieri poſſet, excuſarent à nævis, qui illis interdum falsò tribuuntur: ſi quando autem eorum unus aut alter incommodè locutus ſit, vel etiam pro humanæ fragilitatis conditione aberraverit à vero, ſaltem oſtenderent iſtis cæteros, id eſt, paucis multos adverſari: neque ſibi perſuaderent unquam, veteres Eccleſiæ Doctores uno conſenſu errorem aliquem in fide admittere potuiſſe.

Et vero cùm religio Chriſtiana tota nitatur revelatione divina, quam non ſolùm ſcriptam in Libris Sacris, ſed etiam Apoſtolica traditione acceptam Eccleſia conſervat: qui poſſunt magis idonei hujus traditionis teſtes proferri, quàm qui ſingulis retroactis ſæculis floruerunt inter Catholicos pii & eruditi Scriptores? Hos teſtes audit Eccleſia, hos conſulit, ſi quando de Sacrorum Librorum vel Apoſtolicæ traditionis ſenſu dubitatur. Nam etſi ultrò fatentur Catholici ſingulos Patres, utpote homines, fuiſſe errori obnoxios, & labi potuiſſe: tamen ubi conſpirant plurimi & teſtantur veritatem aliquam ad fidem Catholicam pertinere, non dubitamus quin ſic reipſa ſenſerit Eccleſia, cum iſta ſcribebant. Quod autem ſemel probavit Eccleſia, de eo dubitare nefas eſſe ducimus: memores promiſſorum Chriſti, qui Diſcipulis olim ſpopondit, fore ut Spiritus ſanctus cum ipſis [a] *maneret in æternum*, & ipſis [b] *ſuggereret omnia quæcumque dixerat*, nec [c] unquam *portæ inferi prævalerent adverſus Eccleſiam.* Hæc Domini promiſſa cum recolunt Catholici omnia optimæ matris Decreta ſine ullo errandi metu ſuſcipiunt & venerantur.

[a] Joan. 14. 16.
[b] Ibid. 26.
[c] Matth. 16. 18.

Quoties autem propter exortas, necdum definitas controverſias, quid ſentire debeamus, incertum eſt; Eccleſiæ quidem judicium expectamus, interea verò recurrimus non ſolùm ad Libros Sacros, ſed etiam ad ſanctos Patres, ut ab iis diſcamus, quid veterum temporum Eccleſia ſenſerit. Nam cùm una ſit eademque ſemper Eccleſia quæ ab uno eodemque Spiritu ſancto ſemper regitur: quod illa ſemel ſancivit, ſemel credidit, ſemper verum eſt & certum. Contrà Hæretici cùm nec ipſam Eccleſiam judicem habere velint, multò magis ſanctorum Patrum auctoritatem repudiant. His prava affingunt dogmata: horum conſenſum parvi faciunt; neque iſtud mirum: qui enim profanis novitatibus adhærent, ab iis & venerandam antiquitatem contemni neceſſe eſt. Sed in hac præſenti quæſtione rem non habemus cum hujuſmodi hominibus, ſed cum viro Catholico, qui veteribus Eccleſiæ Doctoribus nihil detractum velit, nihil de ipſorum auctoritate imminutum.

Timet is, ne ſuſpecti reddantur Libri Sacri & Pyrrhoniſmus in religionem Chriſtianam invehatur, ſi Hæretici Sacrorum Librorum codices aliquot adulteraviſſe dicantur. Quo inani metu ut tandem liberetur, peto an exiſtimet fieri potuiſſe, ut

celeberrimi olim Patres magno conſenſu, vel Pyrrhoniſmo faverint, vel Sacrorum Librorum fidem ſuſpectam fecerint. Abhorret, ſat ſcio, à tam atroci tamque injuſta calumnia : & probè intelligit tantum crimen univerſis ferè Patribus imponi non poſſe, quin ipſi Eccleſiæ Catholicæ quodam modo imponatur. Atqui tamen aliquot Sacrorum Librorum codices olim ab Hæreticis adulteratos fuiſſe, jam tum à primis naſcentis Eccleſiæ temporibus teſtati ſunt magno conſenſu celeberrimi Patres: Dionyſius Corinthius in Græcia, Irenæus Lugdunenſis in Gallia, Tertullianus Romæ, Origenes in Oriente. Quibus quarto, quinto & ſexto ſæculo adſtipulati ſunt clariſſima Eccleſiæ lumina, inter Græcos Euſebius, Athanaſianæ Synopſis Auctor, Cyrillus Hieroſolymitanus, Chryſoſtomus, Epiphanius, Theodoretus & Socrates : inter Latinos autem Ambroſius, Hieronymus, Auguſtinus, Leo Magnus, Salvianus & Gelaſius Pontifex : quos poſtmodùm ſecuti ſunt innumeri omnium ætatum Scriptores. Nec aliud in Hiſtoria Eccleſiaſtica reperiri poſſe puto, quod majori Patrum conſenſu traditum ſit, quàm iſtud Hæreticorum Sacras Litteras, quantum in ſe erat, adulterantium crimen. Quare ſi quiſquis veteres Hæreticos iſtius flagitii reos facit,

cenſendus eſt Libros Sacros ſuſpectos facere, hæc tanta impietas, tamque execranda erit in ipſos Patres refundenda. Nam ſive iſta hæreticæ perfidiæ reprehenſio primis temporibus facta ſit, ſive nunc renovetur, eadem eſt prorſus, eademque infert Religioni Chriſtianæ vel commoda, vel incommoda. Si ab Hæreticis olim falſatos fuiſſe aliquot Sacrarum Litterarum codices ætate ſuâ Patres ſic potuerunt affirmare, ut ſinceram Sacrarum Litterarum integritatem non facerent idcirco ſuſpectam; idem & nunc hodie præſtari poteſt: è contrario ſi non poſſit nunc falſi crimen iiſdem Hæreticis imponi, quin convellatur firmiſſima Sacrarum Litterarum auctoritas, ab illo flagitio non fuiſſent immunes Patres, ex quorum libris hæc accuſatio deprompta eſt. Igitur adverſariorum eſt videre, malint-ne hanc univerſis ferè Patribus inferre calumniam, ut illos dicant ſuſpecta feciſſe Sacra Biblia; an vanam illam deponere formidinem, quâ metuunt, ne ſuſpecti fiant Sacri Libri, ſi ſemel concedatur plures ex Hæreticis Sacrorum codicum fuiſſe falſatores.

Hoc verò qui metuit Pyrrhoniſmi ſuſpicionem aſpergit, non Patribus ſolis, ſed etiam ipſi Diſcipulo, quem diligebat Jeſus. Nam quod illi reipſa contigiſſe affirmant,

ut quoſdam Sacrorum Librorum codices Hæretici falſaverint, hoc ipſe Joannes ne fieret, timebat, cum ſic locutus eſt: *Conteſſor* [a] *omni audienti verba Prophetiæ libri hujus: ſi quis appoſuerit ad hæc, apponet Deus ſuper illum plagas ſcriptas in libro iſto. Et ſi quis diminuerit de verbis libri Prophetiæ hujus, auferet Deus partem ejus de libro vitæ & de Civitate ſancta, & de his quæ ſcripta ſunt in libro iſto.* Hæc enim *propter* [b] *infalſatores dixit, non propter eos qui ſimpliciter quod ſentiunt dicunt, in nullo prophetiâ mutilatâ vel vitiatâ.*

Si ergo ſuſpectam facit Sacrorum Librorum ſinceritatem, & Pyrrhoniſmum in religionem inducit, quiſquis ait veteres Hæreticos à Libris Sacris perfidas manus non abſtinuiſſe: dicendus erit Joannes timuiſſe, ne Pyrrhoniſmus in religionem Chriſtianam aliquando induceretur, & Prophetiæ ſuæ liber ſuſpectus fieret; timuit enim certè ne quis aliquando vel apponeret ad verba libri hujus, vel de his diminueret. Quod ſi tam vani timoris ſuſpicicio cadere non poſſit in eum, qui noverat inſtitutam à Chriſto Eccleſiam deficere non poſſe, & fundatam eſſe ſupra firmam petram: ergo nec ſancti Patres, nec qui illo-

[a] Apocalypſ. cap. 22. v. 18. & 19.

[b] Hinc. tom. 1. pag. 447.

rum doctrinam ſequuntur, impia Pyrrhonis commenta invehunt, nec de firmiſſima divinorum Librorum auctoritate quidquam detrahunt, cum affirmant plurimos ex Hæreticis falſarios fuiſſe, & ſuos divinorum Librorum codices variis additamentis, detractionibus & immutationibus corrupiſſe.

Caput VIII.

Hæreticorum in falſandis Sacris Libris perfidiam ſuſpectos facere ipſorum Hæreticorum codices, non illos quos legit Eccleſia Catholica.

Mirum ſanè videri debet viros ingenioſos in animum ſuum induxiſſe, veteres Hæreticos non poſſe accuſari tanquam Sacrorum Codicum falſatores, quin Sacri Libri, quos legit Eccleſia, ſuſpecti reddantur. Quæ enim eſt hujus antecedentis cum conſequente connexio? Quos enimvero Sacrarum Litterarum codices Hæretici dicuntur variis additamentis, detractionibus & immutationibus corrupiſſe? Eos ſcilicet, qui in ipſorum erant poteſtate, quos habebant præ manibus, quos à diſcipulis ſuis legi & evolvi volebant. Hos quidem

quidem Hæreticorum perfidia ſuſpectos reddit; horum fidem incertam facit; ſed quis inde colligat, codices illos, quos ſanctè ſemper Eccleſia Catholica cuſtodivit, in partem quoque ſuſpicionis venire debere? Suſpicio falſi ad illos dumtaxat codices pertinet, qui in Falſatorum manibus fuerunt, non ad alios.

Atque iſtud ut planè intelligatur, ponamus certum eſſe & exploratum, quod in Synodo Rhemenſi coram Innocentio ſecundo ſummo Pontifice celebrata recitaſſe dicitur [a] Epiſcopus Catalaunenſis; nempè « dum ipſe in Eccleſia B. Medardi, Abbatis « officio fungeretur, quemdam Gerronem nomine ex Monachis ſuis in ultimo confeſſionis « articulo ſe falſarium fuiſſe confeſſum; & inter cætera quæ per diverſas Eccleſias frequentando conſcripſerat, Eccleſiam B. Audoëni & Eccleſiam B. Auguſtini de Cantuaria adulterinis privilegiis ſub Apoſtolico nomine ſe muniiſſe lamentabiliter pœnitendo « aſſeruit. Quin & ob mercedem iniquitatis « quædam ſe pretioſa ornamenta recepiſſe « confeſſus eſt, & ad B. Medardi Eccleſiam « detuliſſe. » Si quis ergo ex eo quod Gerro ille *falſarius fuit*, & ipſe *Eccleſias B. Audoëni ac B. Auguſtini de Cantuaria adulterinis privilegiis ſub Apoſtolico nomine à ſe mu-*

[a] Lettr. crit. pag. 131. 132.

nitas fuiſſe lamentabiliter pœnitendo aſſeruit: ſi quis, inquam, inde colligat cæterarum Eccleſiarum privilegia ſuſpecta eſſe debere, ridendus eſſet ſanè; nam etſi fortaſſe fatendum eſt impudentiſſimum Gerronis facinus ſuſpecta facere nonnulla ex privilegiis, quæ in B. Audoëni & B. Auguſtini de Cantuaria Eccleſiis aſſervantur: non tamen idcirco conceditur ſuſpicionis notam cæterarum Eccleſiarum privilegiis eſſe inferendam. Sed hoc unum inde colligi poteſt, certam quidem non deberi fidem inſtrumentis illis, quæ impoſtor habuit in ſua poteſtate. Propter ſceleratam autem unius hominis perfidiam, inſtrumentorum, quæ ille nec attigiſſet unquam, nec vidiſſet, auctoritatem elevare, hoc injuſti eſſet hominis & ratione deſtituti. Verùm ſi id reſponſi genus aut argumenti ſine cujuſquam reprehenſione uſurpari poteſt, ad defendendam genuinorum Diplomatum fidem; peto, quare id ipſum mihi non liceat hodie uſurpare ad defendendam Sacrorum Codicum auctoritatem?

Eſto: nonnulli Hæreſiarchæ antiqui ſuos Sacrorum Librorum codices, additamentis, detractionibus, immutationibus vitiaverint: cur impia hæc ſceleſtorum hominum perfidia & improbitas noſtris codicibus noceat? Eccleſia Catholica codices

quos legit, non mutuata eſt, non accepit à falſariis illis: ſed cùm ipſa omnibus Hæreticorum ſectis ſit antiquior, priùs ipſa Divinos Libros habuit, quàm exiſterent Marciones, Apelles, Theodoti, & cœteræ peſtes, quæ perjuras manus ab Evangelio & aliis divinis ſcriptis non abſtinuerunt. Imò cùm Hæreſiarchæ priuſquàm in errorem dilaberentur, & ab Eccleſia deſciſcerent, ipſi pars Eccleſiæ fuerint, & in illa inſtituti; ab Eccleſia utique primos ſuos Librorum Sacrorum codices habuiſſe neceſſe eſt. Integros quidem, inviolatos, & quales ab Apoſtolis & Prophetis ſcripti fuerunt, acceperant: ſed acceptos ipſi poſtmodùm, jamque extra Eccleſiam poſiti violaverunt. Verùm cur audax ipſorum facinus & perfidia infeciſſe dicatur ſacrum illud depoſitum, quod ſanctè ſibi creditum, ſanctè cuſtodivit Eccleſia & illibatum hactenus cuſtodit.

Poterant ergo & debebant veteres Hæretici magiſtrorum ſuorum codicibus diffidere, cùm ſcirent ex iis plures audaciſſimæ in adulterandis Sacris Litteris perfidiæ accuſatos fuiſſe & convictos. Sed ejuſmodi diffidentia nonniſi ſtultè poterat Catholicorum mentes inceſſere, cùm magiſtram habeant Eccleſiam, quæ à Spiritu ſancto regitur, quæ Sacrorum Librorum

corruptores ſemper exoſa eſt, evomuit è ſinu, & tanquam peſtes abhorruit. Diffidant ſanè Hæretici omnes codicibus, quos ipſorum Antiſtites emendari à ſe mentiuntur, reipsâ depravant: diffidant novis magiſtrorum ſuorum in linguam vulgarem interpretationibus, quas utplurimùm fraudulentas eſſe conſtat & infideles. At Catholici dum inſtrumentis illis fidem abnegant, quæ ſibi hæretica aut ſuſpecta manus porrigit: iidem ſuſcipere debent ſine metu, quæcumque ipſis pia mater tradit Eccleſia. Repudiamus Hæreticorum libros, quia complures Hæreticos Divinorum Librorum falſatores fuiſſe novimus: Eccleſiæ autem codicibus planè credimus, quia ſcimus Eccleſiam iſtud Hæreticorum ſcelus ſemper fuiſſe deteſtatam: atque eò magis Scripturæ Sacræ integritati conſervandæ invigilaſſe, quò majorem Hæreticorum in ea adulteranda licentiam eſſe pervideret.

CAPUT IX.

Quoties differunt ab invicem Catholicorum Hæreticorumque exemplaria, illa ſincera, hæc corrupta eſſe cenſenda.

HUjus judicii rationem geminam profert Tertullianus, quem toto hoc in capite loquentem & diſputantem inducemus. Hoc enim argumentum nemo tractavit uberiùs, nemo eloquentiùs explanavit. Ille igitur poſtquam in opere eximio *de Præſcriptionibus Hæreticorum* docuit, eos qui ſunt Catholici, [a] *in ea regula incedere, quam Eccleſia ab Apoſtolis, Apoſtoli à Chriſto, Chriſtus à Deo tradidit*; inde colligit cauſam nullam eſſe potuiſſe, cur Catholici Sacros Libros adulterarent: contrà verò Hæreticis cauſam non defuiſſe, cur iſtud ſcelus perpetrarent. Sed ipſum Tertullianum audiamus.

» Ad quos (Hæreticos nempe) meritò «
dicendum eſt, [b] inquit: Qui eſtis? Quando, «
& unde veniſtis? Quid in meo agitis, non «
mei? Quo denique, Marcion, jure meam «
ſylvam cædis? Quâ licentiâ, Valentine, «

[a] De Præſcript. Hær. cap. 37. Edit. Rigalt. pag. 245.

[b] Ibid.

» fontes meos tranſvertis ? Quâ poteſtate, » Apelles, limites meos commoves ? Mea eſt » poſſeſſio. Quid hîc cœteri ad voluntatem ve- » ſtram ſeminatis & paſcitis ? Mea eſt poſſeſſio, » olim poſſideo, prior poſſideo, habeo origines » firmas, ab ipſis auctoribus quorum fuit res. » Ego ſum hæres Apoſtolorum. Sicut cave- » runt teſtamento, ſicut fidei commiſerunt, » ſicut adjuraverunt, ita teneo. Vos certè » exhæredaverunt ſemper, & abdicaverunt, » ut extraneos, ut inimicos. Unde autem ex- » tranei & inimici Apoſtolis Hæretici, niſi ex » diverſitate doctrinæ, quam unuſquiſque de » ſuo arbitrio adversùs Apoſtolos, aut protu- » lit, aut recepit ? »

Atque ubi hoc poſuit Catholicos inter & Hæreticos diſcrimen, quòd illi acceptam perpetuâ traditionis ſucceſſione doctrinam Apoſtolicam fideliter retineant, hi novâ ſuperinductâ veterem repudient: inde ſic » concludit. » Illic igitur, inquit [a], & Scrip- » turarum & expoſitionum adulteratio depu- » tanda eſt, ubi diverſitas doctrinæ inveni- » tur. Quibus fuit propoſitum aliter docendi, » eos neceſſitas coëgit aliter diſponendi in- » ſtrumenta doctrinæ; aliàs enim non potuiſ- » ſent aliter docere, niſi aliter haberent per » quæ docerent. Sicut illis non potuiſſet ſuc- » cedere corruptela doctrinæ ſine corrup-

[a] Ibid. cap. 38. pag. 248.

tela inſtrumentorum ejus : ita & nobis & à « nobis integritas doctrinæ non competiſſet « ſine integritate eorum, per quæ doctrina « tractatur. Etenim quid contrarium nobis in « noſtris? quid de proprio intulimus, ut ali- « quid contrarium ei quod eſſet in Scripturis « deprehenſum, detractione, vel adjectione, « vel tranſmutatione remediaremus? Quod « ſumus, hoc ſunt Scripturæ ab initio ſuo : « ex illis ſumus, antequàm aliter fuit, ante- « quàm à vobis interpolarentur. «

Cùm ergò Eccleſiæ Catholicæ nunquàm propoſitum fuerit aliud docere, quàm quod ab ipſis Apoſtolis acceperat : nullo pacto credibile eſt illam tradita ſibi ab Apoſtolis inſtrumenta doctrinæ adulterare voluiſſe. At Hæreticos, *quibus propoſitum fuit aliter docendi, neceſſitas coëgit aliter diſponendi inſtrumenta doctrinæ. Aliàs enim non potuiſſent aliter docere, niſi aliter haberent per quæ docerent.* Catholici cùm *nihil de proprio intulerint*, ſed tranſmiſſam ab Apoſtolis doctrinam ſanctè cuſtodiant; nihil etiam in Scripturis Apoſtolicis deprehendunt ſibi contrarium; atque adeò non opus habent *adjectionis, detractionis & tranſmutationis remedio*, ut Scripturas doctrinæ ſuæ accommodent. Sed *quod ſumus* Catholici, *hoc ſunt Scripturæ ab initio ſuo : ex illis ſumus, antequàm aliter fuit, antequàm ab Hæreticis in-*

terpolarentur. Hæretici autem, quia receſſerunt ab ea quam acceperant à Patribus doctrina, vetera etiam doctrinæ inſtrumenta immutare conati ſunt. *Illis enim non potuiſſet ſuccedere corruptela doctrinæ, ſine corruptela inſtrumentorum ejus.*

Alteram rationem affert Tertullianus, cur quoties occurrit inter Catholicorum & Hæreticorum exemplaria diverſitas, illorum genuina, horum corrupta vir prudens cenſere debeat: alteram, inquam, hanc rationem affert, quòd Catholici *ſint à principio & primi*, Hæretici *ſint poſteri & adverſi.* » » Cùm autem, inquit [a], omnis interpolatio » poſterior credenda ſit, veniens utique ex » cauſa æmulationis, quæ neque prior, neque » domeſtica unquam eſt ejus quod æmula» tur, tam incredibile eſt ſapienti cuique, ut » nos adulterum ſtylum intuliſſe videamur » Scripturis, qui ſumus à principio & primi, » quàm illos non intuliſſe, qui ſunt & poſteri » & adverſi.

Deinde addit non eodem modo ab omnibus Hæreticis eſſe depravatas Scripturas, ſed ab aliis ſolâ falsâ interpretatione, ab » aliis ſtylo adultero eſſe corruptas. » Alius » manu Scripturas, inquit [b], alius ſenſus ex» poſitione intervertit. Neque enim ſi Va-

[a] De Præſcript. Hær. cap. 38. pag. 248.

[b] Ibid.

lentinus integro inſtrumento uti videtur, «
non callidiore ingenio, quàm Marcion, «
manus intulit veritati: Marcion enim exertè «
& palam machærâ, non ſtylo uſus eſt; quo- «
niam ad materiam ſuam cædem Scriptura- «
rum confecit. Valentinus autem pepercit; «
quoniam non ad materiam Scripturas, ſed «
materiam ad Scripturas excogitavit: & «
tamen plus abſtulit, & plus adjecit, aufe- «
rens proprietates ſingulorum quoque ver- «
borum, & adjiciens diſpoſitiones non com- «
parentium rerum. «

Igitur & Valentinum, & Marcionem, & Hæreticos omnes, quia ab Eccleſiæ Catholicæ & Apoſtolicæ doctrina deſciverunt, neceſſe fuit Scripturarum eſſe corruptores: non eodem tamen modo omnes: ſed quidam, maximè ex veteribus, textum ipſum truncaverunt & adulteraverunt: cœteri ſenſum pravâ interpretatione interverterunt. Quorum omnium ſeu interpolationes, ſeu perverſæ expoſitiones ſuâ ipsâ novitate refelluntur.

Hoc ipſum argumentum idem Tertullianus fuſiùs proſequitur adversùs Marcionem. » Ego, inquit[a], (Evangelium) meum «
dico verum, Marcion ſuum. Ego Marcio- «
nis affirmo adulteratum, Marcion meum. «
Quis inter nos determinabit, niſi temporis «

[a] Lib. 4. cap. 4. Edit. Rigalt. pag. 504.

» ratio, ei præſcribens auctoritatem, quod
» antiquius reperietur; & ei præjudicans vi-
» tiationem, quod poſterius revincetur? In
» quantum enim falſum corruptio eſt veri,
» in tantum præcedat neceſſe eſt veritas fal-
» ſum. Prior erit res paſſione, & materia
» æmulatione. Alioquin quàm abſurdum, ut
» ſi noſtrum antiquius probaverimus, Mar-
» cionis verò poſterius: & noſtrum antè vi-
» deatur falſum, quàm habuerit de veritate
» materiam; & Marcionis antè credatur æmu-
» lationem à noſtro expertum, quàm eſt edi-
» tum: & poſtremò id verius exiſtimetur
» quod eſt ſerius, poſt tot ac tanta jam opera
» atque documenta Chriſtianæ Religionis
» ſæculo edita, quæ edi utique non potuiſ-
» ſent ſine Evangelii veritate, id eſt ante
» Evangelii veritatem?

Deinde venit ad Evangelium Lucæ, quod Marcion corruperat; & oſtendit illud quale legebatur in Eccleſia Catholica eſſe ipſo
» Marcione antiquius. » Quod ergo pertinet,
» inquit [a], ad Evangelium Lucæ... adeo an-
» tiquius Marcione eſt, quod eſt ſecundùm
» nos, ut & illi aliquando Marcion credide-
» rit.... Quid nunc ſi negaverint Marcioni-
» tæ?... Certè *Antitheſes* non modò fatentur
» eſſe Marcionis, ſed & præferunt. Ex his
» mihi probatio ſufficit. Si enim id Evange-

[a] Ibid.

lium quod Lucæ refertur penes nos . . . . ip- «
ſum eſt, quod Marcion per *Antitheſes* ar- «
guit, ut interpolatum . . . Utique non po- «
tuiſſet arguere, niſi quod invenerat: nemo «
poſt futura reprehendit, quæ ignorat futu- «
ra; emendatio culpam non antecedit. Emen- «
dator ſanè Evangelii à Tiberianis uſque ad «
Antoniniana tempora everſi, Marcion ſo- «
lus & primus obvenit, expectatus tamdiu «
à Chriſto pœnitente jam, quòd Apoſtolos «
præmiſiſſe properaſſet ſine præſidio Marcio- «
nis. Niſi quod humanæ temeritatis, non «
divinæ auctoritatis negotium eſt hæreſis, «
quæ ſic ſemper emendat Evangelia, dum «
vitiat . . . . Itaque dum emendat, utrumque «
confirmat; & noſtrum anterius, id emen- «
dans quod invenit; & id poſterius, quod «
de noſtri emendatione conſtituens ſuum & «
novum fecit. «

In [a] ſumma, ſi conſtat id verius quod «
prius, id prius quod & ab initio, id ab ini- «
tio quod ab Apoſtolis; pariter utique con- «
ſtabit, id eſſe ab Apoſtolis traditum, quod «
apud Eccleſias Apoſtolorum fuerit ſacro- «
ſanctum. Videamus, quod lac à Paulo Co- «
rinthii hauſerint; ad quam regulam Galatæ «
ſint recorrecti; quid legant Philippenſes, «
Theſſalonicenſes, Epheſii; quid etiam Ro- «
mani de proximo ſonent, quibus Evange- «

[a] Ibid. cap. 5. pag. 505.

» lium Petrus & Paulus ſanguine quoque ſuo » reliquerunt. Habemus & Joannis alumnas » Eccleſias.... Dico itaque apud illas, nec » ſolas jam Apoſtolicas, ſed apud univerſas, » quæ illis de ſocietate Sacramenti confœde- » rantur, id Evangelium Lucæ ab initio edi- » tionis ſuæ ſtare, quod cùm maximè tue- » mur: Marcionis verò, pleriſque nec no- » tum; nullis autem notum, ut non eo dam- » natum. Habet planè & illud Eccleſias, ſed » ſuas; tam poſteras, quàm adulteras; qua- » rum ſi cenſum requiras, faciliùs apoſtati- » cum invenias quàm Apoſtolicum; Mar- » cione ſcilicet conditore, vel aliquo de Mar- » cionis examine. Faciunt favos & Veſpæ, fa- » ciunt Eccleſias & Marcionitæ.

» Eadem [a] auctoritas Eccleſiarum Apoſto- » licarum, cœteris quoque patrocinabitur » Evangeliis, quæ proinde per illas & ſecun- » dùm illas habemus.... Igitur dum conſtat » hæc quoque apud Eccleſias fuiſſe, cur non » hæc quoque Marcion attigit, aut emen- » danda, ſi adulterata, aut agnoſcenda, ſi » integra?.... In quantum ergo emendaſ- » ſet quæ fuiſſent emendanda, ſi fuiſſent » emendanda, in tantum confirmavit non » fuiſſe corrupta, quæ non putavit emen- » danda. Denique emendavit, quod cor- » ruptum exiſtimavit. Sed non hoc meritò,

[a] Ibid.

quia non fuit corruptum. Si enim Apo- «
ſtolica (Joannis & Matthæi Evangelia) «
integra decucurrerunt; Lucæ autem, quod «
eſt ſecundùm nos, adeò congruit regulæ «
eorum, ut cum illis apud Eccleſias maneat, «
jam & Lucæ conſtat integrum decucurriſſe «
uſque ad ſacrilegium Marcionis. Denique «
ubi manus illi Marcion intulit, tunc diver- «
ſum & æmulum factum eſt Apoſtolicis. Igi- «
tur dabo conſilium Diſcipulis ejus, ut aut «
& illa convertant, licèt ſerò, ad formam «
ſui, quò cum Apoſtolis convenire videan- «
tur; nam & quotidie reformant illud; «
prout à nobis quotidie revincuntur: aut «
erubeſcant de magiſtro utrobique traducto, «
cùm Evangelii veritatem nunc ex conſcien- «
tia tramittit, nunc ex impudentia evertit. «

His ferè compendiis utimur, cùm de «
Evangelii fide adversùs Hæreticos experi- «
mur, defendentibus & temporum ordinem «
poſteritati falſariorum præſcribentem, & «
auctoritatem Eccleſiarum traditioni Apo- «
ſtolorum patrocinantem: quia veritas fal- «
ſum præcedat neceſſe eſt; & ab eis proce- «
dat, à quibus tradita eſt. «

Hactenus Tertullianus, cujus verba hîc multa exſcripſimus; quia his complexus eſt rationes ferè omnes, propter quas Librorum Sacrorum exemplaria, quæ Eccleſia Catholica conſervat, non poſſint eſſe ſuſ-

pecta: quamvis certum ſit Hæreticos olim adulteras manus in ſacros codices immiſiſſe.

Secundæ Partis Concluſio.

POtuiſſem plura hoc in loco congerere, ut Sacrorum illorum codicum, quibus utitur Eccleſia, integritatem ſartam tectamque eſſe oſtenderem, ſed pauca hæc ſufficiant ad confutandum novum Petri Cuſtantii paradoxum, quo cenſet ſuſpectos fore Divinorum Librorum codices omnes, ſi quidam ex illis dicantur ab Hæreticis adulterati. Quod qui ait, idem contendat neceſſe eſt, monetam omnem ab eo ſuſpectam habendam eſſe, qui aliquot exiſtere fateatur adulterinæ monetæ fabricatores. Sed quid ego hujuſmodi comparationem induco? Certum eſt illius, qui codicibus Sacris omnibus ſuſpicionem falſi propter Hæreticorum quorumdam falſatorum perfidiam aſpergere velit, opinionem multò potiori jure eſſe rejiciendam, quàm ejus qui nummos omnes dubios & incertos eſſe idcirco contenderet, quia quidam ſunt adulterini. Quippe leges ac regulæ, quibus adulterina moneta à vera dijudicatur, non ita certæ ſunt, ut qui in hac arte maximè verſati ſunt, non poſſint falli interdum ac fucatâ veri ſpecie decipi. Contrà verò Ec-

cleſia Catholica, cujus eſt Sacras Litteras ſinceras ab adulteratis ſecernere, in hoc ſuo judicio falli omnino non poteſt; ducem enim ſequitur Deum ipſum, qui quemadmodum non ſinit falſam & mendacem doctrinam ab Eccleſia admitti, ita etiam providentiâ ſuâ cavet, ne falſa ab eadem Eccleſia ſuſcipiantur doctrinæ inſtrumenta. Quare quàm certò conſtat Deum nec in Scripturarum judicio errare, nec promiſſis deeſſe poſſe, quibus ſpopondit ſe cum Eccleſia permanſurum *uſque ad conſummationem ſæculi*; tam manifeſtè liquet depravatos Sacrarum Litterarum codices non poſſe ab Eccleſia Catholica tanquam genuinos & ſinceros approbari. Se ſe ergo ad quaſlibet artes convertant Hæretici; Catholicis inſidientur variis dolis, & ipſarum Scripturarum corruptione: poterunt quidem improvidos homines quoſdam ſeducere: ſed nunquam iis nocebunt, qui præceptorum Chriſti memores ab Eccleſiæ unitate non recedent, & piæ matris dictis dociles obtemperabunt.

LIBER SECUNDUS.

De veteribus Hæreticis Librorum Patrum aliorumve Eccleſiaſticorum codicum Corruptoribus.

CUM certum ſit falſarios veteres Hæreticos, ne ab ipſis quidem Sacrarum Litterarum codicibus abſtinuiſſe: minimè mirum videri debet eos non pepercisse reliquis Scriptis Eccleſiaſticis. Aliter ſentire videtur Cuſtantius, qui niſi exiſtimaret nulla, aut ferè nulla, ſanctorum Patrum opera olim per fraudem depravata fuiſſe, crimini non verteret, quod iſtud ego de quibuſdam veterum Patrum lucubrationibus affirmaverim. Suſpicione falſi laborabunt omnia Patrum opera, ut ipſe quidem cenſet, ſi ſemel concedatur aliquot ex illis fuiſſe pravis Falſariorum artibus adulterata. Et quia nemo ſine ſummo ſcelere dicere poteſt ſuſpectos eſſe omnes Patrum codices; certóque conſtat religioſum virum tanti ſceleris nec reum, nec ſuſpectum eſſe poſſe: neceſſe eſt, ut colligam eum in illa eſſe opinione, ut nulla,

nulla; aut ferè nulla, Patrum opera perfidè olim immutata fuerint aut corrupta. Quod quia videtur Cuſtantius in animum præpoperè ac falsò induxiſſe, demonſtraturus ſum, veterum Patrum loca non pauca fuiſſe olim ſubdolè adulterata; At quibus iſtud conficio argumentis, iiſdem aperiam, quinam hujus perfidiæ fuerint auctores. Certum eſt enim Sanctorum Patrum libros ab Hæreticis potiſſimùm fuiſſe adulteratos: quamquam Rivetus aliique Heterodoxi homines, totius facti invidiam in Monachos, atque adeo in Catholicos ſolos rejicere conati ſunt. Nam ut de cœteris taceam; Andreas Rivetus in Tractatu *de Patrum auctoritate*, quem quatuor *Critici ſacri* libris præfixit: » Quid à multis retrò ſæculis, inquit[a], non auſa eſt Monachorum audacia, qui cùm ferè ſoli in cryptis ſuis Sanctorum Patrum labores, nondum Typographicâ arte inventâ; aut poſſiderent, aut deſcriberent, tantam ſibi licentiam uſurparunt, ut vix jam reperiatur codex aliquis, qui manus eorum impuras effugerit. De quo jure docti viri, renaſcentibus in Europa Linguarum & Scientiarum ſtudiis, ſæpe conqueſti, limâ judicii adhibitâ, medicam manum deformatis operibus adhibere conati ſunt.

[a] Cap. 12. pag. 80.

Idem Scriptor Kimedoncium pariter
» Hæreticum ſic inducit [a] loquentem. » Te-
» ſtes appello paſſim tot Monaſteriorum per
» Papatum Bibliothecas, in quarum quibuſ-
» dam ipſemet vidi Monachos impudenter
» admodùm falſarias manus intuliſſe Scripto-
» ribus Eccleſiaſticis, integras ſententias &
» paginas totas oblitterando, imò integris
» ternionibus & libris exciſis auctores indignè
» caſtrando.

Alio rursùm in loco idem Rivetus laudat Thomam Jameſium Oxonienſem Bibliothecarium, qui, ut Rivetus quidem aſ-
» ſerit [b], » oſtendit quantâ licentiâ olim ex-
» ſcriptores Monachi in Veterum ſcriptis cor-
» rumpendis graſſati fuerint.

Hæc adversùm Monachos Heterodoxi homines: qui multò prudentiùs facerent & veriùs, ſi criminationem, quam temerè Catholicis obtrudunt, in ſui ſimiles viros veteres Hæreticos rejicerent. Neque enim argumenta deſunt, quibus evincatur, iſtos impuras manus intuliſſe, non modò in Codices Sacros, ut jam demonſtravimus, ſed etiam in genuina Patrum opera, aliaque monumenta Eccleſiaſtica, ut modò demonſtraturi ſumus.

[a] Ibid. pag. 82. & 83. | [b] Crit. ſacr. l. 4. c. 29. p. 494.

PARS PRIMA.

Eccleſiaſtica Scripta non pauca à veteribus Hæreticis olim adulterata fuiſſe.

ECcleſiaſticorum Scriptorum nomine intelligo Scripta omnia, quæ quocumque modo ad Eccleſiam pertinent: hoc eſt, non ſolùm Sanctorum Patrum libros, quibus Eccleſiæ traditio ſcripta habetur, aut Concilia ac Summorum Pontificum litteras & decreta, quibus Eccleſiaſtica judicia continentur: ſed ipſorum etiam Hæreticorum libros, quos Eccleſia configit & damnat. Porrò in his monumentis nullum ferè genus eſt, quod aliqua ſaltem ex parte non fuerit olim expertum perfidas falſariorum manus.

CAPUT PRIMUM.

Ab ipſis Patribus reprehenſam fuiſſe veterum Hæreticorum in falſandis anteriorum Patrum operibus perfidiam.

SAnctorum Patrum auctoritas multò minor eſſe ſolet apud Hæreticos, quàm apud Catholicos. Hi enim cùm abhorreant

ab omni novitate doctrinæ, & retinere ament quæ Chriſtus & Apoſtoli jam tum ab initio Eccleſiæ tradita reliquerunt; venerantur Sanctos Patres, quos ſuâ ſingulos ætate pios ac fideles Apoſtolicæ traditionis teſtes fuiſſe credunt. Contrà verò Hæretici non poſſunt non odiſſe eos quorum teſtimonia adverſari ſibi intelligunt.

Quia tamen volebant imperitæ multitudini fucum facere; » Exemplar patris ſui » (Diaboli) inquit [a] Rufinus, atque artem » magiſtri ſui ſecuti Hæretici, quoſcumque » veterum nobilium Tractatorum invene- » runt de his, quæ ad gloriam Dei perti- » nent, plenè & fideliter diſputaſſe; ita ut » ex lectione eorum unuſquiſque Fidelium » proficere poſſit & inſtrui: non pepercerunt » ſcriptis eorum venenatum virus infunde- » re, ſive interpolando quæ dixerant, ſive » quæ non dixerant inſerendo: quò faciliùs » videlicet ſub nomine doctiſſimi cujuſque & » nobilis inter Scriptores Eccleſiaſticos viri, » hæreſis ſuæ aſtrueretur aſſertio, ex eo quòd » ſenſiſſe etiam aliqui de clariſſimis & Catho- » licis viderentur ». Hæretici ergo, quanquam pro innata ſibi ſuperbia Sanctos Patres plerumque deſpiciunt; putant tamen ſua non parvi intereſſe, aliquem inter nobiliſſimos Scriptores Eccleſiaſticos cauſæ

[a] Apud Hieronym. tom. 5. nov. Edit. pag. 250.

ſuæ patronum invenire : hocque ut aſſequantur, veteres Patrum codices adulterare non ſemel aggreſſi ſunt.

Jam verò iſtud ſcelus exequi viris audacibus non adeo difficile fuit duplicem ob cauſam. Prima eſt quòd inter Hæreticos quidam olim fuerint Amanuenſes Librarii, iique peritiſſimi, qui cùm multa Patrum opera exſcripſerint, facilè ea adulterare potuerunt. Juvat hîc referre, quæ ſanctus Epiphanius habet de Hierace quodam, ſive Hieraca, qui vixit olim in oppido Ægypti Leontone. Ille, inquit[a] Epiphanius, » humanioribus litteris imprimis eruditus, ac «
Græcorum diſciplinis, præſertimque Me- «
dicinâ & aliis artibus imbutus, ad quas «
Ægyptiorum quoque doctrinam adjunxe- «
rat: ac neſcio an & Aſtronomiæ ac Magi- «
carum artium ſcientiam attigerit. Fuit certè «
variis artibus inſtructus, atque explicandi «
peritus.... Sed Ægyptiorum linguam po- «
tiſſimùm calluit; utpote genere Ægyptius. «
Nec verò linguæ Græcæ ſcientia eſt medio- «

[a] Epiph. adverſ. Hær. lib. 2. Hær. 67. Pariſ. Pet. Edit. p. 709. & ſeq.

Οὗτος (Ἱέρακας) ἐν τῇ Λεοντῷ, τῇ κατ' Αἴγυπτον ὑπῆρχεν, ἐν παιδείᾳ οὐ μικρᾷ ὑπάρξας, Ἑλληνικῇ δέ τε πάντων λόγων ἐπιτηδεύμασιν ἀσκηθεὶς, ἰατροσοφιστικῇ τε καὶ τοῖς ἄλλοις, τοῖς τῶν Αἰγυπτίων καὶ Ἑλλήνων μαθήμασιν ἀκριβῶς ἐπιστάς. τάχα δὲ καὶ Ἀστρονομίας, καὶ Μαγείας ὁ ἀνὴρ παρήψατο. ἐμπειρότατος γὰρ ὑπῆρχε πολλῶν λόγων, καὶ ἐν ἐξηγήσει.... πάνυ δὲ τὴν τῶν Αἰγυπτίων ἐπιστάμενος γλῶσσαν. Αἰγύπτιος γὰρ ὁ ἀνὴρ ἦν, ἀλλὰ καὶ τῇ τῶν Ἑλλήνων τετραμμένος

» criter perpolitus, vir acutiſſimo in omnibus
» ingenio.... vitæ genere & inſtituto planè
» admirabilis fuit, & ad alliciendos animos
» imprimis efficax. Quare plerique ex Ægyp-
» tiis Monachis in illius errores adducti ſunt.
» .....Negat is omnino reſurgere carnem,
» idque animæ ſoli tribuit, proindeque ſpi-
» ritalem eſſe reſurrectionem aſſerit.... Item
» nuptias repudiat, quas veteris Teſtamenti
» proprias fuiſſe docet.... Puerulos ante co-
» gnitionis uſum mortuos à propoſita ſpe re-
» jicit.... Spiritum Sanctum Melchiſedecum
» eſſe ſibi perſuadet.... Præcipuum opinio-
» nis ſuæ firmamentum ex libro quodam,
» qui *Anabaticus Iſaïæ* inſcriptus eſt, accer-
» ſit.... Iſte extremâ ſenectute mortuus eſt,
» ac Græcâ Ægyptiacáque linguâ quamplu-
» rima ſcripſit. Inter cœtera, commentarios

ὁ μικρῶς, ὀξὺς κατὰ πάντα τρόπον.

Ibid pag 710.

Ἦν δὲ ὁ ἀνὴρ ἐκπληκτὸς τῇ αὐτοῦ ἀσκήσει, καὶ δυνάμενος πεῖσαι ψυχάς· αὐτίκα πολλοὶ τῶν ἀσκητῶν τῶν Αἰγυπτίων αὐτῷ συναπήχθησαν.

Ibid pag. 709.

Βούλεται γὰρ καὶ οὗτος τὴν σάρκα μὴ ἀνίστασθαι τὸ παράπαν, ἀλλὰ τὴν ψυχὴν μονωτάτην, πνευματικὴν δὲ τὴν ἀνάστασιν φάσκει....

Ibid pag 710.

Οὐ παραδέχεται οὗτος γάμον, φάσκων εἶναι τοῦτο παλαιᾶς διαθήκης....

Ibid. pag. 711.

Οὐ δέχεται δὲ τοὺς παῖδας τοὺς τελευτῶντας πρὸ γνώσεως, ἀλλ᾽ ἀποβάλλει αὐτοὺς τῆς νομιζομένης ἐλπίδος..... Φάσκει δὲ οὗτος... περὶ ἁγίου πνεύματος, ὅτι αὐτός ἐστιν ὁ Μελχισεδὲκ, ... βούλεται δὲ τὴν τελείαν αὐτοῦ σύστασιν ποιεῖσθαι ἀπὸ τοῦ ἀναβατικοῦ Ἡσαΐου....

Ibid. pag. 712.

Οὗτος δὲ γηραλέος ἐτελεύτα. συνεγράψατο δὲ Ἑλληνικῶς τε καὶ Αἰγυπτιακῶς, ἐξηγησάμενος

& lucubrationes *de opere ſex dierum*, quibus fabulas nonnullas & vaniſſimas allegorias commentus eſt: Pſalmos quoſdam novitios à ſe conditos adjecit.... Auctores nonnulli ſunt ultra annos nonaginta vixiſſe, & ad extremum vitæ tempus libros Antiquarii more ſcripſiſſe. Librarius enim, & quidem peritus fuit, nec oculus ei caligavit.

Hactenus Epiphanius de Hieraca: qui cùm tam diuturnam in libris exſcribendis operam poſuerit, & peritiſſimus Librarius habitus fuerit: nonne facilè potuit pro cœterorum Hæreticorum more eorum ſententias Patrum, quorum lucubrationes deſcribebat, depravare, & ad opinionum ſuarum commenta accommodare?

Alteram cauſam, cur Hæretici S. Patrum opera faciliùs adulterare potuerint, exponit ipſe S. Auguſtinus. » Neque enim, ut ait [a] ſanctus Doctor, ſic potuit integritas atque notitia litterarum unius quamlibèt illuſtris Epiſcopi cuſtodiri: quemadmodum Scriptura canonica, tot linguarum litteris & ordine & ſucceſſione celebrationis Ec-

καὶ συντάξας τῦ Ἑξαημέρου μύθους τινὰς πλασάμενος, καὶ κομπώδεις ἀλληγορίας εἰς ἄλλα ἢ πόσα ἀπὸ τῆς γραφῆς συνέταξε. ψαλμούς τε πολλοὺς νεωτερικοὺς ἐπλάσατο.... Φασὶ δέ τινες περὶ αὐτοῦ, ὅτι ὑπὲρ ἐνενήκοντα ἔτη βιώσας, ἕως τῆς ἡμέρας ἧς ἐτελεύτα ἐκαλλιγράφει. καλλιγράφος γὰρ ἦν, ἔμενε γὰρ αὐτοῦ συνεστὼς ὁ ὀφθαλμός.

[a] Epiſt. 93. aliàs 48. ad Vincent. Rogatian. num. 38. nov. Edit. tom. 2. pag. 246.

» cleſiaſticæ cuſtoditur; contra quam tamen
» non defuerunt, qui ſub nominibus Apoſto-
» lorum multa confingerent, fruſtra quidem,
» quia illa ſic commendata, ſic celebrata, ſic
» nota eſt. Verùm quid poſſit adversùs litte-
» ras non canonicâ auctoritate fundatas,
» etiam hinc demonſtravit impiæ conatus au-
» daciæ, quod & adversùs eas, quæ tantæ
» notitiæ mole firmatæ ſunt, ſeſe erigere non
» prætermiſit.

Quod Divus Auguſtinus fieri potuiſſe ab Hæreticis docuit, ſanctus Anaſtaſius Sinaïta docet re ipsâ factum eſſe ab impuro illo Severo, qui ſede Antiochena, quam prius nefariè occupaverat, pulſus ſub Juſtino Imperatore Alexandriam aufugit, atque Ægypto contagionem ſui erroris aſperſit.
» Ille enim [a], inquit Anaſtaſius, « quaſi ar-
» biter quidam judexque ſanctorum Patrum
» confidens, adductis eorum teſtimoniis,
» quotquot depravare potuit, ea verè Pa-
» trum eſſe confeſſus eſt: quorum autem li-
» bri aut ob regionum diſtantiam, aut quòd
» alterius linguæ forent, rariùs extarent,

[a] Anaſt. Sinaït. viæ dux. Edit. Ingolſ. cap 6. pag. 92. .... καὶ προκαθέζεται (ὁ Σευῆρος) δικαστὴς, καὶ κριτὴς τῶν ἁγίων πατέρων καὶ διδασκάλων, καὶ παραγαγὼν τὰς τύπων χρήσεις, ὅσας μὲν ἠδυνήθη παρεμηνεῦσαι, ταύτας ὡμολόγησε τῶν πατέρων ἀληθῶς εἶναι, ὅπου δὲ πάλιν χρήσεων αἱ βίβλοι σπανίως εὑρίσκονται, ἢ διὰ τὸ ἀπομήκοθεν τῆς αὐτῶν χώρας, ἢ διὰ τὸ ἑτερογλώσσους εἶναι, ταύτας παρεγράψατο, λέγων ψευδεῖς καὶ νόθους ὑπάρχειν.

ea circumſcripſit, falſa cenſens & adulte- «
rina. «

Idem Eccleſiaſticus Scriptor [a] teſtatur,
« narraſſe ſibi Catholicos, poſt tempora «
Eulogii Papæ (Patriarchæ Alexandrini) «
hîc fuiſſe Præfectum Auguſtalem Severia- «
num, qui ſatis diu quatuordecim Calligra- «
phos ſeu Librarios ejuſdem ſecum ſenten- «
tiæ habuerit, ac aluerit, quibus id negotii «
dabat, ut Patrum libros falſarent ac de- «
pravarent. «

Similem Hæreticorum improbitatem & perfidiam redarguit quoque Iſidorus Hiſpalenſis. « Tanta eſt Hæreticorum callidi- «
tas [b], inquit, ut falſa veris, malaque bonis «
permiſceant, ſalutaribuſque rebus plerum- «
que erroris ſui virus interſerant, quò faci- «
liùs poſſint pravitatem perverſi dogmatis «
ſub ſpecie perſuadere veritatis. Plerumque «
ſub nomine Catholicorum Doctorum Hæ- «
retici ſua dicta conſcribunt. Nonnunquam «
etiam blaſphemias ſuas latenti dolo in li- «
bris noſtrorum Doctorum inſerunt, doctri- «
namque veram adulterando corrumpunt; «

[a] Ibid. pag. 198.
Διηγοῦντο τοίνυν ἡμῖν οἱ τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας ἐν Ἀλεξανδρείᾳ· ὅτι μετὰ τοὺς χρόνους τοῦ μακαρίου Εὐλογίου τοῦ Πάπα, γέγονέν τις Αὐγουστάλιος ἐνταῦτα Σευηριανός. καὶ ἐπὶ ἱκανοὺς χρόνους ἔχε ΙΔ καλλιγράφους σύμφρονας αὐτοῦ, κατ' ἐπιτροπὴν αὐτοῦ καθεζομένους, καὶ φαλσεύοντας τὰς βίβλους τῶν δογμάτων τῶν πατέρων. . . .

[b] Lib. 3. Sentent. cap. 12. Edit. Sonn. part. 2. pag. 92. Edit. Colon. pag. 462.

» ſcilicet vel adjiciendo quæ impia ſunt, vel
» auferendo quæ pia ſunt. Cautè meditan-
» da cautoque ſenſu probanda quæ legun-
» tur, ut juxta Apoſtolica monita, & tenea-
» mus quæ recta ſunt, & reſpuamus quæ con-
» traria veritati exiſtunt : ſicque bonis in-
» ſtruamur ut à malis illæſi permaneamus.

Hoc ipſum confirmat Lucas Tudenſis in Hiſpania Epiſcopus, in iis libris quos ſæculo decimo tertio adversùs Albigenſes
» ſcripſit. « Tanta eſt,[a] inquit, arrogantium
» quorumdam Doctorum proterva loquaci-
» tas, ut in ſuis doctrinis nonnunquam ver-
» bis ſanctorum Patrum detrahendo, voce
» blaſphemiæ dicant; *malè dixit Auguſtinus*,
» *malè ſenſit Gregorius*, & ſic de cæteris, cum
» aliquid inveniunt in eorum libris quod for-
» taſſis non intelligunt, aut vitio Scriptoris,
» vel certè Hæreticorum arte depravatum;
» qui ſanctorum Patrum libris, ut veram do-
» ctrinam corrumpant & ſuadeant falſita-
» tem, interſerunt prava ».... Tum appellato illo ipſo ſancti Iſidori loco, quem mo-
» dò laudavimus, addit. « Hæc à beato Iſi-
» doro dicta conſideret Lector : & Patribus
» ſanctis non malè tribuat, quod dolis Hæ-
» reticorum vel Scriptorum vitio eſt corrup-
» tum. Exhibeat Patribus authenticis reve-
» rentiam & fidem, ne unde tendit in ortum,

[a] Lib. 2. cap. 8. max. Bibliot. Patr. tom. 25. pag. 221.

inde corruat in occaſum.

Eadem fermè idem Auctor repetit libro ſequenti. » Superiùs dictum eſt [a], inquit, qualiter Hæretici nituntur omnimodo pervertere Catholicam fidem, ſanctorum Patrum adulterando doctrinam, in eorum libris adjiciendo falſa, vel reſecando vera....

At Rufinus perfidas Falſariorum manus ſuis etiam libris ita metuebat, ut illas abſterrere graviſſimâ adjuratione adhibitâ conatus ſit. « Ut autem ſcias [b], inquit Apronianum compellans, & quòd falſaturi hæc eſſent, & prævidimus & prædiximus: vide quid in ſequentibus junxerimus: [c] *Illud ſanè: Omnem qui hos libros, vel deſcripturus eſt vel lecturus, in conſpectu Dei Patris & Filii & Spiritus ſancti conteſtor atque convenio, per futuri regni fidem, per reſurrectionis ex mortuis Sacramentum, ſic non illum locum æterna hæreditate poſſideat ubi eſt fletus & ſtridor dentium, & ubi ignis eorum non extinguetur, & vermis eorum non morietur: ne addat aliquid huic Scripturæ, ne auferat, ne inſerat, ne immutet.* Et tamen poſt iſta omnia [d], pergit ille, tam horrifica, tamque horribilia adjurationum ſacramenta, falſare hæc ac

[a] Lib. 3. cap. 1. ibid. p. 240.

[b] Lib. 1. Invect. tom. 4. S. Hieron. nov. Editionis; pag. 366.

[c] Ex Prol. Ruf. in lib. Origenis περὶ ἀρχῶν: apud Hier. tom. 5. pag. 255. nov. Edit.

[d] Ibid. tom. 4. pag. 366.

» corrumpere non timuerunt illi, qui ſe di-
» cunt credere reſurrectionem carnis futu-
» ram. Qui vel hoc ipſum ſi crederent, quod
» Deus eſt: nunquam hæc tam criminoſa &
» nefanda committerent.

Ex his quæ hactenus diximus conſtat non modò Rufinum quarto ſæculo, ſed etiam Auguſtinum quinto, Anaſtaſium Sinaïtam ac Iſidorum Hiſpalenſem ſeptimo, & Lucam Tudenſem decimo tertio, in ea fuiſſe opinione, ut Hæretici nonnulla veterum Patrum opera detractionibus & adjectionibus pravis adulteraverint. Verùm iſtud multò erit certius, poſtquam appellaverimus illa ipſa ſanctorum Patrum opera, quæ ab Hæreticis depravata fuiſſe, veteres Patres tradiderunt. Nam quamvis hoc libro recentiorum etiam quorumdam Scriptorum magni nominis teſtimonia adducturus ſum: ſæpiùs tamen teſtes appellabo Patres ipſos. Eorum enim qui præceſſerant opera nonnulla ab Hæreticis conſultò adulterata, illi qui ſubinde ſubſecuti ſunt Patres teſtantur. Hæc autem teſtimonia quo tandem argumento refelli poſſunt? Nam vel ſpuria ſunt, & per fraudem inſerta operibus Patrum: vel ſincera ac genuina. Si contendant ſuppoſititia eſſe & dolo malo in libros Patrum inducta: litem mihi adjudicant; ſic enim fatentur aliqua ſaltem

Patrum opera fuiſſe malitiosè corrupta: ſi fateantur vera eſſe & genuina, rurſum cauſam obtineo; nam & teſtimonia clara ſunt, nec ambigua, & illa crimen falſi Hæreticis exprobrant.

CAPUT II.

Sincera S. Andreæ Apoſtoli Acta fuiſſe olim ab Hæreticis miſerè fœdata & corrupta.

EXtant nunc apud Lipomanum [a], Surium, [b] Andream du Sauſſay, alioſque ſcripta in formam Epiſtolæ Acta quædam S. Andreæ Apoſtoli, quæ martyrii ejus hiſtoriam continent, & inſcriptionem hanc præfixam habent: *Paſſio S. Andreæ Apoſtoli per Presbyteros & Diaconos Eccleſiarum Achaïæ ſcripta.* Quæ Epiſtola vere-ne à Preſbyteris & Diaconis Achaïæ ſtatim poſt Andreæ mortem ſcripta ſit, ut titulus præfert, an temporibus multò poſterioribus, diſputatur inter eruditos viros: nec facile eſt litem hanc certò definire. Nam licèt hujuſmodi Epiſtola à nullo Eccleſiaſtico ſcriptore laudetur ante octavum ſæculum: nihil tamen illa complectitur, quod iis contradicat, quæ antiquiores Patres de S.

[a] Die 30. Nov. | [b] Lib. de glor. S. Andr. Apoſt.

Andreæ obitu & martyrio ſcripta reliquerunt. Non equidem refragabor ſatis firma eſſe argumenta, quibus plures eruditi viri oſtendere conati ſunt Epiſtolam, qualis nunc legitur, non eſſe ſæculo octavo aut ſeptimo antiquiorem: faciléque iis aſſentirer, ſi modò non contenderent, illam omni ex parte falſam eſſe & ſuppoſititiam.

Crediderim potiùs, Epiſtolam ideo inſcriptam eſſe nomine Preſbyterorum & Diaconorum Achaïæ; quia quæ in ea habentur, pleraque deſumpta ſunt ex vetuſtioribus S. Andreæ Actis, quæ reipſa primitùs à diſcipulis ejuſdem Apoſtoli ſcripta, ab Hæreticis poſtea miſerè fœdata & corrupta; deinde ſtudio & curâ alicujus Catholici Scriptoris circa finem ſeptimi ſæculi aut initium octavi expurgata ſunt ab erroribus & fabulis, quibus perfidiâ Hæreticorum fuerant referta.

Conjecturam hanc noſtram plurima argumenta ſuffulciunt & adjuvant. Primò in illis Actis leguntur omnia, quæ Veteres olim ſcripta reliquerunt de S. Andreæ prædicatione & martyrio. Deinde ex Philaſtrio Brixienſi Epiſcopo, quem quarto ſæculo floruiſſe omnes norunt, diſcimus res geſtas Andreæ Apoſtoli ab ejus diſcipulis reipſa ſcriptas eſſe: ſed illi libro Hæreticos *addidiſſe, & ex eo tuliſſe, quæ voluerunt.*

Ipſum Philaſtrium audiamus. « Scripturæ abſconditæ[a], inquit, ideſt Apocrypha, & « legi debent morum causâ à perfectis, non « ab omnibus legi debent, qui non intelli- « gentes, multa addiderunt & tulerunt, quæ « voluerunt Hæretici. Nam Manichæi, Apo- « crypha beati Andreæ Apoſtoli, id eſt actus, « quos fecit veniens de Ponto in Græciam, « quos conſcripſerunt tum diſcipuli ſequen- « tes Apoſtolum. Unde & habent Manichæi « & alii tales Andreæ beati & Joannis Actus « Evangeliſtæ, Beati & Petri ſimiliter Apo- « ſtoli, & Pauli pariter Apoſtoli, in quibus, « quia ſigna fecerunt magna & prodigia, ut « & pecudes & canes & beſtiæ loquerentur, « etiam animas hominum tales, velut ca- « num & pecudum ſimiles imputaverunt eſſe « Hæretici perditi. » Ita Philaſtrius: apud « quem etſi verba aliquot deſiderari videntur & oſcitantiâ Librariorum prætermiſſa: tamen ex hoc ipſo loco intelligimus ſanctiſſimo Epiſcopo fuiſſe perſuaſum, 1°. Acta Andreæ primitus ſcripta fuiſſe ab illis diſcipulis qui Beatum Apoſtolum ſequebantur. 2°. Illa complexa fuiſſe earum rerum narrationem, quas veniens de Ponto in Græciam Andreas, atque in ipſa Græcia geſſerat. 3°. Illa eadem Acta fuiſſe poſtea à Manichæis aliiſque Hæreticis adulterata

[a] Lib. de Hæreſ. num. 40. tom. 5. mag. Bibl. Patr. p. 711.

& variis referta mendaciis fabuliſque ; atque idcirco rejecta à Catholicis, tanquam Apocrypha.

Quæ hîc Philaſtrius tradit non pugnant cum iis, quæ cæteri Scriptores Eccleſiaſtici de iiſdem Andreæ Actis habent. Euſebius quidem docet [a] ætate ſua extitiſſe *ab Hæreticis evulgatos Andreæ & Joannis, aliorumque Apoſtolorum Actus. Quos quidem libros nullus unquam, qui continuata ab Apoſtolis ſucceſſione docuit in ſcriptis ſuis commemorare dignatus eſt.* Non eſſe commemoratos à Scriptoribus Catholicis Andreæ Actus quis miretur, cùm ſtatim ab antiquiſſimis Hæreticis corrupti fuerint, & multis erroribus atque ineptis fabulis fœdati? Hæreticis illis Epiphanius annumerat [b] non modò illos, qui falsò ſe *Apoſtolicos* dicebant; & *Origenianos*; ſed etiam his multò antiquiores Catharos & Encratitas, qui [c] *inter primarias Scripturas habebant Andreæ & Joannis Acta, necnon Thomæ, & Apocry-*

[a] Euſeb. Eccl. Hiſt. lib. 3. cap. 25. Valeſ. 2. edit. p. 78.
Ἱν' εἰδέναι ἔχοιμεν αὐτάς τε ταύτας (βίβλους) καὶ τὰς ὀνόματι τῶν ἀποστόλων πρὸς τῶν αἱρετικῶν προφερομένας . . . . . ἢ ὡς ἀνδρέου, καὶ ἰωάννου, καὶ τῶν ἄλλων ἀποστόλων πράξεις· ὧν οὐδὲν οὐδαμῶς ἐν συγγράμματι τῶν κατὰ διαδοχὰς ἐκκλησιαστικῶν τις ἀνὴρ εἰς μνήμην ἀγαγεῖν ἠξίωσεν . . . .

[b] Hær. 47. 61. 63.

[c] Epiph. adv. Hær. lib. 2. hær. 47. Pariſ. Pet. Edit. pag. 400.
Κέχρηνται δὲ (Ἐγκρατῖται) γραφαῖς πρωτοτύπως ταῖς λεγομέναις Ἀνδρέου καὶ Ἰωάννου πράξεσι, καὶ Θωμᾶ, καὶ ἀποκρύφοις τισὶ...

phos

phos alios libros. Iiſdem Actis uſos fuiſſe Marcionitas, atque alios primi aut ſecundi ſæculi Hæreticos Auguſtinus apertè inſinuat, in illo opere quod ſcripſit *contra Adverſarium Legis & Prophetarum*; quem adverſarium fuiſſe ait, aut *Marcionitam*, aut aliquem ex hæreticis qui mundum ab ipſo Deo omnipotente conditum negabant. In illo ergo opere ſic loquitur Auguſtinus : « Sanè de Apocryphis, [a] inquit, iſte poſuit teſtimonia quæ ſub nominibus Apoſtolorum Andreæ Joanniſque conſcripta ſunt. Quæ ſi illorum eſſent, recepta eſſent ab Eccleſiâ, quæ ab illorum temporibus per Epiſcoporum ſucceſſiones certiſſimas uſque ad noſtra & deinceps tempora perſeverat, & immolat Deo in corpore Chriſti ſacrificium laudis, ex quo Deus Deorum locutus vocavit terram à ſolis ortu uſque ad occaſum. . . » Cùm ergo Epiphanius, Auguſtinus aliique Andreæ Acta vocant apocrypha : item cum negant eſſe ab Eccleſia recepta, aut affirmant laudari ab Hæreticis, manifeſtè conſentiunt cum Philaſtrio : ſi quæ autem alia iſte adjecit, ſunt illa quidem prætermiſſa ab Epiphanio & Auguſtino, ſed non impugnata.

Neque aliud judicandum de Concilio [b]

[a] Lib. 1. cap. 20. num. 39 tom. 8. nov. Ed. pag. 570.

[b] Ann. 494. Conc. tom. 4. pag. 1264. Edit. ann. 1671.

Romano ſub Gelaſio ſummo Pontifice : ubi *Actus nomine Andreæ Apoſtoli*, *Apocryphi* declarantur. Jam verò Innocentius primus in Epiſtola ad Exuperium Toloſanum Epiſcopum pariter docet Acta Andreæ repudianda eſſe & damnanda. « Cætera autem [a], ait, quæ ſub nomine Matthiæ, ſive Jacobi minoris, vel ſub nomine Petri & Joannis, quæ à quodam Leucio ſcripta ſunt, vel ſub nomine Andreæ quæ à Xenocharide & Leonida Philoſophis, vel ſub nomine Thomæ, & ſi quæ ſunt alia, non ſolùm repudianda, verùm etiam noveris eſſe damnanda. » Quare damnanda ? Nempe quia, ut Philaſtrius docet, *multa addiderunt & tulerunt*, *quæ voluerunt Hæretici.*

Hoc quidem in loco, ſi nullus eſt Librariorum error, declarat Innocentius Actorum Andreæ auctores eſſe Xenocharidem & Leonidam Philoſophos. Verùm hac in re Philaſtrio non adverſatur. Nam etſi genuina Andreæ Acta ſcripta olim fuiſſent ab ejus diſcipulis, cùm tamen hæc non extarent ampliùs pura & integra ; ſed qualia ab Hæreticis corrupta fuerant ; potuerunt quæ tum habebantur, dici ſcripta ab his qui corruptionis & depravationis erant auctores. Auctores autem illos Innocentius ait fuiſſe Xenocharidem & Leonidam Phi-

[a] Epiſt. ad Exuper. cap. 7. Conc. tom. 2. p. 1256.

loſophos, ſed mendum vitio Librariorum obrepiſſe ſuſpicor, legendumque.... *vel ſub nomine Petri & Joannis, vel quæ à quodam Leucio ſcripta ſunt ſub nomine Andreæ, vel quæ à Xenocharide & Leonida Philoſophis ſub nomine Thomæ, &c*.... Ita ut Thomæ quidem Acta Xenocharidi & Leonidæ, Andreæ verò Leucio tribuantur. Certum enim eſt Acta Andreæ, qualia ab Hæreticis proferebantur, ab aliis Scriptoribus Eccleſiaſticis attribui, non Xenocharidi & Leonidæ, ſed Leucio. Quem quidem Leucium plurimorum Apocryphorum librorum fuiſſe auctorem Concilium Romanum ſub Gelaſio celebratum docet his verbis: *Libri omnes, quos fecit Leucius Diſcipulus Diaboli, apocryphi.*

In iis autem apocryphis libris, quos fecit Leucius, numeranda eſſe corrupta Andreæ Acta diſertè ait Auctor libri *de fide adverſus Manichæos*, qui liber inter Auguſtini opera [a] habetur: ſed quem Sirmondus noſter ex Corbeienſi aliiſque codicibus didicit non eſſe Auguſtini [b]; « ſed hominis & moribus illi & doctrinâ, vitæque ſocietate conjunctiſſimi, Evodii Epiſcopi Uzalenſis, cujus notæ ſunt Epiſtolæ aliquot inter Auguſtinianas. » Evodius ergo de corruptis An-

[a] Tom. 8. nov. Ed. in Append. pag. 26.

[b] Sirm. oper. tom. 4. nov. Edit. pag. 402.

» dreæ Actibus hæc habet. « Adtendite, in-
» quit [a], in Actibus Leucii, quos ſub nomine
» Apoſtolorum ſcribit, qualia ſint quæ acci-
» pitis de Maximilla uxore Egetis. » Deinde profert indignas pudicis auribus & Chriſtianâ veritate fabulas, quibus Actus Andreæ Leucius referſerat : quaſque inutile eſt hîc recitare.

Hoc unum neceſſe eſt obſervare, Apocrypha illa Andreæ Acta, quæ jam tum ſecundo aut tertio ſæculo ab Hæreticis producta extabant adhuc quarto & quinto ſæculo, à veteribus Scriptoribus attributa eſſe Hæreticis, & nominatim *Leucio Diaboli diſcipulo*, & fortaſſe Xenocharidi & Leonidæ Philoſophis. An autem Hæreticis idcirco tribuantur, quia hæc illi de integro fabricaverant, an potius quia genuina Andreæ Acta depravaverant, multa addendo & auferendo, nemo veterum definivit præter Philaſtrium; qui teſtatur Actus Andreæ primitùs ſcriptos ab ejus diſcipulis, deinde à Manichæis aliiſque hæreticis multis additamentis & detractionibus fuiſſe adulteratos. Sanctiſſimo autem Brixienſi Epiſcopo cur fides hoc in loco abjudicanda ſit, non video. Si quis tamen eum erraſſe contendat : nemo idcirco negaverit

[a] Lib. de Fide adv. Manich. cap. 38. Tom. 8. Aug. nov. Edit. in Append. pag. 33.

hanc ejus fuiſſe opinionem. Putabat ergo Philaſtrius poſſe abſque ullo doctrinæ Catholicæ detrimento crimen falſi objici Hæreticis.

Caput III.

Nulla reprehenſione dignos eſſe Catholicos Doctores, qui cenſent librum Paſtoris *olim ab Hæreticis falſatum fuiſſe.*

VIx ullum eſt monumentum Eccleſiaſticum, poſt canonicas Scripturas, quod apud antiquiores Patres majori in pretio fuiſſe videatur, quàm liber ille qui appellatur *Paſtor.* Cujus libri auctorem Hermam fuiſſe conſentiunt omnes. Hermam autem illum ipſum eſſe Pauli diſcipulum, de quo mentio fit in poſtremo capite [a] Epiſtolæ ad Romanos, exiſtimaverunt [b] Origenes, [c] Euſebius atque [d] Hieronymus: unde factum putamus, ut multi ex antiquioribus Patribus Hermæ librum divinitùs inſpiratum, & tantùm non Canonicum eſſe cenſerent.

Certè Irenæus citans *mandatum primum*

[a] v. 14.
[b] In Comment. in hunc Pauli locum.
[c] Hiſt. Eccl. lib. 3. cap. 3.
[d] 3. In Catal.

quod habetur in ſecundo libro, totum opus
» *Scripturæ* nomine appellat his verbis : « Be-
» nè ergo [a], inquit, Scriptura dicit, *Primò*
» *omnium crede, quoniam unus eſt Deus, qui om-*
» *nia conſtituit & conſummavit, & fecit ex eo*
» *quod non erat, ut eſſent omnia, omnium ca-*
» *pax .... & qui à nemine capiatur.* » Neque
alia videtur fuiſſe opinio Clementis Ale-
» xandrini, cum ſic locutus eſt [b] : « Divinè
» ergo poteſtas illa quæ Hermæ loquitur in
» revelatione, *viſiones*, inquit, & *revelatio-*
» *nes*, &c. » Origenes Clementis diſcipulus
eadem, quæ Magiſter, ſenſit : ejus enim
» hæc verba ſunt [c]. « Puto quod Hermas iſte
» (de quo Paulus in fine Epiſt. ad Rom.) ſit
» Scriptor libelli illius, qui *Paſtor* appella-
» tur : quæ Scriptura valde mihi utilis vi-
» detur, &, ut puto, divinitùs inſpirata. »
Athanaſius [d] autem, Hieronymus & Rufi-
nus Paſtoris librum eodem loco ponunt,
atque ejuſdem auctoritatis ſibi videri affir-

[a] Iren. cont. Hær. lib. 4. nov. Edit. Pariſ. cap. 20. pag. 255. Oxon. cap. 37. pag. 330.
Καλῶς οὖν εἶπεν ἡ γραφὴ, ἡ λέγουσα, Πρῶτον πάντων πίστευσον, ὅτι εἷς ἐστὶν ὁ Θεὸς, ὁ τὰ πάντα κτίσας, καὶ καταρτίσας, καὶ ποιήσας ἐκ τοῦ μὴ ὄντος εἰς τὸ εἶναι τὰ πάντα. Reliqua non habentur Græcè.

[b] Clem. Alex. Strom. lib. 1. in fine. Edit. Morelli p. 356.
Θείως τοίνυν ἡ δύναμις ἡ τῷ Ἑρμᾷ κατὰ ἀποκάλυψιν λαλοῦσα, τὰ ὁράματά, φησι, καὶ τὰ ἀποκαλύμματα....

[c] In comment. in Epiſt. Pauli ad Rom. cap. 16. tom. 2. Edit. Pariſ. 1604. pag. 411.

[d] In Epiſt. Feſtali. tom. 1. part. 2. nov. Edit. p. 363.

mant, *ac Sapientiam Salomonis, Sapientiam filii Sicrach, libros Eſther, Judith, Tobiæ & Machabæorum.* Nihil neceſſe eſt univerſa hîc loca congerere quibus veteres Patres librum hunc eſſe [a] *utiliſſimum, neceſſarium* [b] *iis præſertim qui primis fidei elementis imbuendi ſunt, in quibuſdam Eccleſiis pervulgatum* [c], *& publicè lectum, à pluribus Eccleſiaſticis Scriptoribus laudatum fuiſſe* teſtantur.

Hieronymus quidem docet librum illum celebrem apud Græcos [d], *apud Latinos pene ignotum* fuiſſe. *Pene*, ait, non *omnino*; nam certum eſt librum *Paſtoris* longè ante Hieronymi tempora citatum fuiſſe ſemel & iterum à Tertulliano: primò quidem [e] non ſine aliquo æſtimationis & reverentiæ teſtimonio, cùm adhuc Catholicus eſſet: deinde non ſine probro [f], cùm jam tranſiviſſet ad Montani partes.

At ille ipſe Liber quem ſecundo, tertio & quarto ſæculo ſancti Patres tanti faciebant, ut publicè legeretur in nonnullis Eccleſiis, & dubitarent quidam, annon in Sacrum Canonem adſciſci deberet; ille, inquam, Liber, jam pluribus nævis ſqualet, à quibus immunem olim fuiſſe credibile

[a] Ath. l. de Incar. Verbi.
[b] Euſeb. Hiſt. Eccl. lib. 3. cap. 3.
[c] Hier. in Catal.
[d] Ibid.
[e] Lib. de Oratione. num. 12.
[f] Lib. de Pudicitia num. 10.

eſt. Nam & ſtatim libro primo [a] ſic loqui-
» tur : « Juravit Dominator ille per gloriam
» ſuam ſuper electos ſuos, præfinitâ iſtâ die,
» etiam nunc ſi peccaverit aliquis, non ha-
» biturum illum ſalutem. Pœnitentiæ enim
» juſtorum habent fines : impleti ſunt dies
» pœnitentiæ omnibus ſanctis, gentibus au-
» tem pœnitentia uſque in noviſſimo die. »
Quibus verbis docere videtur Gentilibus quidem, qui nondum ſacro fonte tincti ſunt, pœnitentiam concedi & delictorum remiſſionem, ſi peccaverint : peccantibus verò poſt ſuſceptum baptiſma, nullum eſſe pœnitentiæ aut veniæ locum. Hoc ipſum apertiùs ingeminat libro ſecundo [b], ubi ait, *ſervis Dei pœnitentia una eſt*, & paulò
» poſt : « Dixi illi (nempe Angelo qui habi-
» tu Paſtorali apparuerat) etiam nunc, Do-
» mine, audivi à quibuſdam Doctoribus,
» quod alia pœnitentia non eſt, niſi illa cum
» in aquam deſcendimus & accipimus remiſ-
» ſionem peccatorum, ulteriùs non peccare,
» ſed in caſtitate permanere. Et ait mihi :
» Rectè audiſti.... Et ideo dico tibi quod
» poſt vocationem illam magnam & ſan-
» ctam, ſi quis tentatus fuerit à Diabolo &
» peccaverit, unam pœnitentiam habebit ;
» ſi autem ſubinde peccet, & pœnitentiam

[a] Viſion. 2. max. Biblioth. Patr. tom. 2. pag. 25.

[b] Mand. 4. ibid. pag. 29. & 30.

agit, non proderit homini talia agenti, «
difficile enim vivet Deo. «

Quæ eadem rurſum ſæpiùs confirmat libro [a] tertio. Multa præterea in eodem opere occurrunt, quæ variis [b] Origenianorum, [c] Arianorum, [d] Pelagianorum, aliorumque Hæreticorum erroribus favere videntur. Atque hæc procul dubio in cauſa fuerunt, cur liber *Paſtoris* à Gelaſio Papa in Concilio Romano tanquam *apocryphus* rejectus fuerit.

Verùm qui tam multis nunc ſcatet nævis *Paſtoris* libellus, iis olim caruiſſe videtur. Ita cenſet Labbeus noſter, cùm ait [e] *ſe iis non accedere qui ſuppoſititium putant opuſculum illud tripartitum, quod modò extat, licèt inſertæ ſint à malè feriatis quibuſdam Interpolatoribus hæreſes ac fabellæ.*

Neque ſolus ita judicavit Labbeus: idem de Libro hoc judicium tulerunt alii eruditi viri, quorum verba hîc non refero. Omnium inſtar erit Cenſura huic opuſculo præfixa in magna Bibliotheca [f] Patrum, atque ex *Indice* librorum expurgandorum Joan. Mariæ Braſſichenſis mag. S. Palatii repetita, ubi hæc leguntur: « Dubitan- «
dum nullo pacto eſt libellum hunc, *Paſto-* «

[a] Similitud. 6. 8. & 9.
[b] L. 3. Simil. 6.
[c] L. 3. Simil. 5.
[d] L. 3. Simil. 8.
[e] Tom. 1. Diſſert. in Bellarm.
[f] Tom. 2. pag. 24.

" *ris*, ut modò ſcriptus habetur, ab Herma
" Pauli diſcipulo non eſſe conſcriptum, cùm
" & hæreſibus & fabulis ſit oppletus.... Ve-
" riſimile eſt ab Hæreticis fuiſſe deprava-
" tum.

Equidem ſcio Joannem Baptiſtam Cotelerium virum eruditum, Patres Natalem Alexandrum & Nicolaum le Noury aliam iniiſſe viam, & conatos eſſe ea loca explicare, quibus Novatianorum Pelagianorumque hæreſi prælusiſſe Hermas videtur; ſed pace eorum dixerim contrariam ſententiam potiorem eſſe & firmioribus argumentis ſubnixam. Nam ut cætera prætermittam; cùm Tertullianus novi ſui Paracleti errores palam jam tueretur, partium Catholicarum defenſores ipſi inter alia objecerant Hermæ auctoritatem, qui Mœchis pœnitentibus pacem & veniam ſpondebat. Quid ad hæc Tertullianus? An quemadmodum olim [a] Catholicus fecerat, Hermæ verba benignè interpretatur, aut contendit ſuæ illa opinioni patrocinari? Minimè. An ſaltem Hermæ teſtimonium contrariis ejuſdem Scriptoris teſtimoniis refellit, & ea in adverſarios regerit loca, quibus tam ſæpè & tam clarè pronunciatur: *Unam eſſe pœnitentiam, eamque non aliam niſi illam cum in aquam deſcendimus, & acci-*

[a] Lib. de Oration. num. 12. Edit. Rigalt. pag. 154.

pimus remiſſionem peccatorum? His certè erat locus; de his tamen altum apud Tertullianum ſilentium; nuſquam ait Hermam favere ſibi: imò apertè fatetur & declarat eum cauſæ ſuæ adverſari; atque iſtud ipſum quàm moleſtè tulerit, quàm impatienter, non diſſimulat. Nam qui *Paſtoris* librum laudaverat Catholicus, in eumdem Hæreticorum more acerbè invehitur. Virulentam ejus & plenam fellis orationem recitare hîc juvat. Sic igitur per ironiam compellat Catholicæ doctrinæ defenſorem, Zephyrinum puto ſummum Pontificem, cujus Edictum ipſius libri initio impotens animi Hæreticus contumeliosè irridet, & conculcat impudenter: ſic, inquam, illum compellat. « Si qua te carnis vacillatio[a], animi advocatio, oculi evagatio de tenore decuſſerit, Deus bonus eſt; ſuis, non Ethnicis, ſinum ſubjicit; ſecunda te pœnitentia excipiet; eris iterum de Mœcho Chriſtianus. Hæc tu mihi, benigniſſime Dei interpres. Sed crederem tibi, ſi Scriptura Paſtoris, quæ ſola Mœchos amat, divino inſtrumento meruiſſet incidi; ſi non ab omni Concilio Eccleſiarum etiam veſtrarum inter apocrypha & falſa judicaretur, adultera & ipſa, & inde patrona ſociorum; à qua & aliàs initiaris; cui ille

[a] Lib. de Pudicit. num. 10. Edit. Rigalt, pag. 727.

» ſi fortè patrocinabitur Paſtor, quem in
» calice depingis, proſtitutorem & ipſum
» Chriſtiani Sacramenti, meritò & ebrietatis
» idolum, & Mœchiæ aſylum poſt calicem
» ſubſecuturæ, de quo nihil libentiùs bibas,
» quàm ovem pœnitentiæ ſecundæ. At ego
» ejus Paſtoris Scripturas haurio, qui non
» poteſt frangi. Hunc mihi ſtatim Joannes
» offert, &c.

Quæ verba quis legere poteſt, nec ſibi perſuadere, ætate Tertulliani alia omnino fuiſſe in libro Paſtoris, quàm quæ nunc in eo leguntur? Si Tertulliano fides eſt, tunc *Scriptura Paſtoris* dicebat, ſi qua te carnis vacillatio de tenore decuſſerit, & te peccati pœniteat, Deus bonus eſt: neque Ethnicis tantùm ad ſacrum lavacrum confugientibus, ſed ſuis etiam pœnitentibus ſinum ſubjicit: ſecunda illos poſt baptiſmum pœnitentia excipit: & qui ſalutifero fonte priùs initiati fuerunt, iterum poſſunt quodam modo initiari laborioſæ lacrymis pœnitentiæ. Hæc tunc continebatur doctrina in libro Paſtoris. At nunc in eo libro legimus: *Alia pœnitentia non eſt niſi illa, cum in aquam deſcendimus & accipimus remiſſionem peccatorum .... Impleti ſunt dies pœnitentiæ omnibus ſanctis:* id eſt iis quos baptiſmus ſanctos fecit & Deo conſecratos: *Gentibus autem pœnitentia uſque in noviſſimo die, &c....*

Deinde cùm teſtentur laudatiſſimi Patres, librum hunc non modò compoſitum ab Herma Pauli Apoſtoli diſcipulo, ſed etiam utiliſſimum fuiſſe, magnæ auctoritatis & publicè lectum in quibuſdam Eccleſiis: cur à Gelaſio Papa & Concilio Romano inter apocryphos relatus eſt, ſi nemo jam tum huic hæreſis venenum aſperſiſſet?

Interpolatus eſt ergo & corruptus liber *Paſtoris*, qualis nunc habetur. A quibus autem interpolatus & corruptus, niſi ab iis quorum intererat, nempe à Montaniſtis, Novatianis & alii Hæreticis, qui lapſis poſt baptiſmum denegabant pœnitentiam? Neque verò difficile fuit librum illum adulterare, præſertim apud Latinos, quibus minùs cognitus erat, Hieronymo teſte.

Similiter dici poteſt eodem in libro inſerta eſſe ab Arianis, quæ ipſorum hæreſi favere videntur. Quippe diſcimus ex [a] Athanaſio & Theodoreto [b] veteres Arianos in libro *Paſtoris* non aliud reperiſſe, quod opponerent Catholicis, niſi primum hoc mandatum, [c] *primùm omnium crede, quod unus eſt Deus, qui omnia creavit &c.* Sed hoc ipſorum argumentum quàm leve fuerit &

[a] Apolog. I. pro Syn. Nic. Decretis.

[b] Hiſt. Eccl. l. I. cap. 8.

[c] Lib. 2. Paſt. mand. I.

infirmum planè demonſtrat [a] Athanaſius. Quare cùm jam in eodem libro nonnulla occurrant, quæ Arianorum hæreſim multò magis adjuvent, quàm iſtud primum mandatum; credibile eſt quoque hæc ipſa poſtmodum ab Arianis eſſe ſuperaddita.

Liber autem ille ſi corruptus fuit, ut veriſimile eſt, corruptus fuit ante Gelaſii tempora; nec tamen corruptus ante finem ſæculi quarti, cùm ea de re taceant hujus ævi Patres, qui librum *Paſtoris* non ſemel laudarunt. Si quis verò negare pergat librum hunc ab Hæreticis olim corruptum fuiſſe, tamen idem fateatur, neceſſe eſt, aliter ſenſiſſe multos eruditos viros, nec quemquam iſtud ipſis crimini vertiſſe.

Caput IV.

Libros Recognitionum *olim à S. Clemente ſcriptos, ab Ebionæis primum, deinde etiam ab Arianis fuiſſe corruptos: adulteratos pariter fuiſſe, tàm Canones qui vulgò* Apoſtolorum *dicuntur, quàm libros* Conſtitutionum *Clementi Romano attributos.*

NOn habentur nunc Græcè, ſed tantum Latinè [b] *Recognitionum* libri de-

[a] Ibid. ut ſuprà.

[b] Coteler. Patr. prim. ſæc.

cem; quos ſancto Clementi Romano Petri Apoſtoli diſcipulo olim attributos, Rufinus Aquileienſis Preſbyter, S. Hieronymi æqualis & æmulus ex Græco ſermone in Latinum convertit. Hos quidem libros multi [a] ex Patribus non *Recognitiones* ut Rufinus, ſed περιόδους, ideſt [b] *circuitus*, vel *itinerarium Petri*, aliiſque nominibus appellant. Eoſdem jam tum quarto ſæculo S. Clementi Romano attributos fuiſſe intelligimus ex [c] Epiphanio, Hieronymo [d], Rufino [e], Paulino [f] Nolano, Auctore [g] operis imperfecti in Mathæum editi inter opera S. Chryſoſtomi & aliis.

At libri iſti quem Auctorem reipſa habeant, quo tempore ſcripti ſint, non ita certum eſt. Exiſtimat Joannes Baptiſta Cotelerius vir eruditus, & in his libris apprime verſatus, [h] *Pſeudepigraphos eſſe & Apocryphos, nec niſi ſecundo ſæculo compoſitos*: atque iſtud *colligi ex veterum teſtimoniis ac judiciis recentiorum.* Non equidem diffiteor judicia recentiorum multa ejus opinioni

tom. 1. pag. 390.

Mag. Bibliot. Patr. tom. 2. pag. 376. &c.

[a] Orig. Ath. Epiph. Hieronym. &c.

[b] Gelaſ. in Conc. Rom.

[c] Hær. 30. n. 15.

[d] Lib. 1. in Epiſt. ad Gal. cap. 1. v. 18.

[e] De adult. lib. Orig.

Et explan. Orig, in Epiſt. ad Rom. in fine.

[f] Ep. 47. ad Rufin.

[g] Cap. 10. v. 41. & alibi paſſim.

[h] Patr. 1. ſæc. not. in lib. Recogn. pag. 344.

favere : ſed quibus illa veterum teſtimoniis innitantur, mihi latet.

Videtur quidem Euſebius affirmare *Recognitionum* libros ætate ſuâ recentes fuiſſe & nuper compoſitos : ſic enim loquitur [a] :
» « Librum verò qui Actus Petri dicitur, &
» Evangelium ejus nomine inſcriptum, ejus
» quoque Prædicationis & Revelationis li-
» bros, pro Catholicis ſcriptis nunquam ha-
» bitos eſſe conſtat, quandoquidem nec ve-
» tuſtiorum quiſquam, nec recentiorum Ec-
» cleſiæ Scriptorum, deſumpto ex his libris
» teſtimonio uſus eſt. » Rurſum idem poſtquam honorificam de Clementis ad Corinthios epiſtolâ mentionem fecit, iſta addit :
» » Quidam porro alia etiam prolixa & co-
» pioſa ſub ejus nomine heri ac nudius ter-
» tius in lucem protulerunt ; putà Petri &
» Appionis diſputationes, quarum apud An-
» tiquos nulla omnino extat mentio ; neque
» enim ſincera rectæ fidei ab Apoſtolis tra-

[a] Euſ. Hiſt. Eccl. lib. 3. cap. 3. Valeſii 2. Edit. pag. 57.
Τό γε μὴν τῶν ἐπικεκλημένων αὐτοῦ (Πέτρου) πράξεων, καὶ τὸ κατ' αὐτὸν ὠνομασμένον εὐαγγέλιον, τό τε λεγόμενον αὐτοῦ κήρυγμα, καὶ τὴν καλουμένην ἀποκάλυψιν, οὐδ' ὅλως ἐν καθολικοῖς ἴσμεν παραδεδομένα· ὅτι μήτε ἀρχαίων, μήτε τῶν καθ' ἡμᾶς τις ἐκκλησιαστικὸς συγγραφεὺς, ταῖς ἐξ αὐτῶν συνεχρήσατο μαρτυρίαις.

Idem ibid. cap. 38. pag. 88.
Ἤδη δὲ καὶ ἕτερα πολυεπῆ καὶ μακρὰ συγγράμματα, ὡς τοῦ αὐτοῦ, χθὲς καὶ πρώην τινὲς προήγαγον; πέτρου δὴ καὶ ἀπίωνος διαλόγους περιέχοντα· ὧν οὐδ' ὅλως μνήμη τις παρὰ τοῖς παλαιοῖς φέρεται. οὐδὲ γὰρ καθαρὸν τῆς ἀποστολικῆς ὀρθοδοξίας ἀποσώζει τὸν χαρακτῆρα....

ditæ

ditæ nota in illis expreſſa reperitur.

Sed primò non omnino certum eſt, hæc duo Euſebii loca referri debere ad libros *Recognitionum* & *Periodos* Petri: ſi quis enim contendat Actus Petri, Apocalypſim ejus, atque adeo ejus prædicationis & revelationis libros, item Petri & Appionis diſputationes, diverſa eſſe opera ab ejuſdem Petri *Periodis* & libris *Recognitionum*, quo ille argumento confutabitur? Deinde ſi concedatur his nominibus deſignatos etiam fuiſſe libros *Recognitionum*, jam dicendum erit Euſebium hac in occaſione falſum fuiſſe & hallucinatum. Ait enim *libros illos heri ac nudius tertius in lucem eſſe prolatos: nullam omnino illorum apud antiquos extare mentionem: nec vetuſtiorum quemquam, nec recentiorum Eccleſiæ Scriptorum deſumpto ex his libris teſtimonio uſum eſſe.* Atqui tamen conſtat, apud Origenem περιόδους Petri laudari non ſemel, & Clementi Romano attribui. Sic enim loquitur Origenes, « Et verò [a] Clemens Romanus Petri Apoſtoli « diſcipulus, his conſentanea.... in perio- « dis ſeu circuitionibus locutus eſt.... » Ruſ- « ſumque alio in opere hos eoſdem libros appellat [b]: leguntur que hodie in ipſis *Reco-*

[a] Origen. Philocalia cap. 23. Edition. Cantabrig. pag. 81. Καὶ Κλήμης δὲ ὁ Ῥωμαῖος Πέτρου ἀποστόλου μαθητὴς, συνῳδὰ τούτοις.... εἰπὼν ἐν ταῖς περιόδοις....

[b] Ad Math. cap. 26. 6.

gnitionum libris loca duo, quæ ex his Origenes protulerat: prior quidem in libro [a] decimo, alter verò in libro ſeptimo [b]. Unde manifeſtè colligitur *Recognitionum* libros jam extitiſſe ætate Origenis, & ſub nomine Clementis Romani vulgatos fuiſſe. Cùm ergo Euſebius in citatis locis, vel non agat de *Recognitionum* libris, vel manifeſtè erret, non poteſt hujus teſtimonio comprobari *Recognitionum* libros eſſe Pſeudepigraphos.

Scio equidem certiſſimis argumentis demonſtrari poſſe, eoſdem libros quarto ſæculo & ſequentibus rejectos fuiſſe inter apocryphos. Nam & Auctor Synopſis apud Athanaſium [c] numerat *Periodos Petri* inter eos *novi Teſtamenti libros quibus contradicitur.* Et Concilium Romanum ſub Gelaſio *Apocryphum* eſſe ait *Itinerarium Petri, quod appellatur S. Clementis libri decem.* Cui cenſuræ poſtea ſubſcripſiſſe reperiuntur plures Eccleſiaſtici Scriptores. Sed licèt *Recognitionum* libri re ipsâ Apocryphi ſint, & magno conſenſu rejiciantur ex Sacrorum Librorum canone; tamen non poteſt inde certò colligi, illos omnino ſpurios eſſe, pſeudepigraphos, nec à Clemente Romano ſcriptos.

Nam ſi Euſebium exceperis, ex cujus ver-

[a] num. 10.
[b] num. 38.
[c] Num. 76. tom. 2. nov. Ed. pag. 202.

bis nihil certi hac in cauſa colligi poſſe ſuprà demonſtravi : ne unum quidem repereris Scriptorem Eccleſiaſticum, præter recentiores quoſdam, qui neget hos decem libros re ipsâ à Clemente ſcriptos eſſe : imò ſinguli ferè iſtud diſertè affirmant, atque inter alios Origenes, Athanaſius, aut quiſquis alius eſt Auctor Synopſis quæ inter ejus opera recenſetur, Epiphanius, Hieronymus, Rufinus, Paulinus, Auctor operis imperfecti in Mathæum, quod habetur inter opera Chryſoſtomi, Gennadius, Beda, Photius, Hincmarus, aliique paſſim.

Illud autem obſervari debet, tertio jam tum ſæculo non unam eandemque fuiſſe doctorum hominum opinionem de libris quibuſdam Clementi Romano attributis; aliis ipſos genuinos, aliis ſpurios, aliis mixtos ſive interpolatos eſſe judicantibus. Id ſaltem diſertè teſtatur Origenes de libro qui inſcribebatur *Prædicatio Petri*, ſive iſte liber idem fuerit cum *Itinerario Petri*, ſive ab eo diverſus. Origenem audiamus. « Longè melius eſt, inquit [a], ipſius Heracleonis « dicta in medium apponere, quæ ab eo li- « bro ſumpſit, qui *Prædicatio Petri* inſcrip- «

[a] Origen. Commentar. in Joan. tom. 14. Huëtianæ Edition. tom. 2. pag. 211. Πολὺ δὲ ἐστὶ νῦν παρατίθεσθαι τοῦ Ἡρακλέωνος τὰ ῥητὰ, ἀπὸ τοῦ ἐπιγεγραμμένου πέτρου κηρύγματος παραλαμβανόμενα, καὶ ἵστασθαι πρὸς αὐτὸ ἐξετάζοντας καὶ

» tus eſt; inſiſtereque etiam ad ea, diſqui-
» rentes ſit nec-ne genuinus liber, an nothus,
» an mixtus: quam ob cauſam libentes hæc
» differimus; tantùm illud notantes, librum
» hunc docere....» Ita Origenes: in cujus verbis videtur à Librariis particula negans prætermiſſa; neque enim hoc in loco diſquirit ſit-ne liber *Prædicationis Petri* genuinus, an ſpurius, an mixtus ſive interpolatus: ſed quæſtionem in aliud tempus differt: utrùm autem poſtea illam reipſa tractaverit, neſcimus. At non promitteret ſe aliquando id diſquiſiturum, niſi ea quæſtio jam tum mota eſſet atque agitata inter Criticos & eruditos viros.

Verùm ſive ipſe Clemens, ut pluribus Antiquis viſum eſt; ſive quis alius ſecundi aut tertii ſæculi Scriptor, ut recentioribus placet, libros illos compoſuerit; jure ac meritò nunc rejiciuntur inter Apocryphos; quippe qui ab Hæreticis adulterati & miſerè depravati fuerunt. Atque iſtud poſterius ita certum eſt & exploratum, ut ne Cotelerius quidem neget, qui totum opus
» Clementi abjudicat. « Accedit ad nominis
» varietatem [a], inquit, multò majoris mo-
» menti diverſitas textûs ac perverſio: variè

περὶ τοῦ βιβλίου, πότερόν ποτε γνήσιόν ἐστιν, ἢ νόθον, ἢ μικτόν· διόπερ ἑκόντες ὑπερτιθέμεθα, ταῦτα μόνον ἐπισημειούμενοι φέρειν αὐτόν.....

[a] Patr. 1. Sæcul. tom. 2. not. in Lib. Recog. p. 343.

quippe & miſeris modis diſtractus, diviſus, interpolatus, auctus, minutus atque in compendium redactus fuit, nec non per Hæreticos corruptus, inſertis multis erroribus, quorum partem tollere labor extitit cùm Rufini interpretis, tùm illius qui Epitomen fecit. » Et paulo poſt.[a] « Depravatas fuiſſe Clementinas Recognitiones per Hæreticos Ebionitas, Arianos & Eunomianos, diſcimus ab Epiphanio, Rufino, Photio. » Rurſum alio in loco : « Nec dubium, inquit[b], quin ad illa pertineant, quæ Rufinus abſtulit, de ingenito Deo genitoque diſſerta, de Filio creato, de aliis nonnullis periculoſa, obſcura, intruſa, Eunomiana, quæque veteres Ebionitica cenſuerunt, Ariana & addititia. «

Sed ipſos veteres quos laudavit Cotelerius, audiamus. Rufinus ergo in præfatione, quam his libris præfixit, Gaudentium Epiſcopum, ut quidam volunt, Novarienſem, vel ut aliis placet, Brixienſem ſic compellat. « Puto quòd non te lateat[c] Clementis hujus in Græco, ejuſdem operis ἀναγνώσεων, hoc eſt *Recognitionum*, duas editiones haberi; & duo corpora eſſe librorum, in aliquantis quidem diverſa, in multis tamen ejuſdem narrationis. Denique

[a] Ibid. pag. 344.
[b] Ibid. pag. 364.
[c] Magn. Bibl. Patr. tom. 1. pag. 385.

» pars ultima hujus operis, in qua de trans-
» formatione Simonis refertur, in uno cor-
» pore habetur, in alio penitus non habetur.
» Sunt autem & quædam in utroque corpo-
» re de ingenito Deo genitoque diſſerta, &
» de aliis nonnullis, quæ, ut nihil amplius
» dicam, exceſſerunt intelligentiam noſtram.
» Hæc ergo ego, tanquam quæ ſupra vires
» meas eſſent, aliis reſervare malui, quàm
» minus plena proferre. In cæteris autem,
» quantùm potuimus, operam dedimus, non
» ſolùm à ſententiis, ſed ne à ſermonibus
» quidem ſatis elocutionibuſque diſcedere.
» Quæ res quamvis minùs ornatum, magis
» tamen fidele narrationis reddit eloquium.

Ita Rufinus, apud quem hæc maximè obſervanda ſunt; nempe ipſius jam ætate *Recognitionum duas editiones fuiſſe in Græco, & duo corpora librorum: fuiſſe quædam in utroque corpore de ingenito Deo genitoque diſſerta & de aliis nonnullis, quæ, ut nihil amplius dicam*, inquit, *exceſſerunt intelligentiam noſtram.*

Quod tacuit hoc in loco, apertè expreſſit in opere *de adulteratione librorum Origenis*, ubi affirmat *Recognitiones* Clementis ab Eunomio, aut ejus diſcipulis corruptas fuiſſe & interpolatas. « Clemens Apoſtolo-
» rum diſcipulus, inquit [a], qui Romanæ Ec-

[a] De adult. lib. Orig. circa init. apud Hier. tom. 5. N. Ed. p. 250.

cleſiæ poſt Apoſtolos & Epiſcopus & Martyr præfuit, libros edidit, qui Græcè appellantur ἀναγνωρισμὸς, id eſt, *recognitio*: in quibus cùm ex perſona Petri Apoſtoli doctrina quaſi verè Apoſtolica in quamplurimis exponatur, in aliquibus ita Eunomii dogma ſcribitur, ut nihil aliud quàm ipſe Eunomius diſputare credatur, Filium Dei creatum ex nullis extantibus aſſeverans. Tum deinde etiam illud adulterii inſeritur genus, ut naturam Diaboli cæterorumque Dæmonum, non propóſiti voluntatiſque malitia, ſed excepta ac ſeparata creaturæ produxerit qualitas, qui utique in cæteris omnem rationabilem creaturam docuerat liberi arbitrii facultate fuiſſe donatam. Sunt etiam alia nonnulla libris ejus inſerta, quæ Eccleſiaſtica regula omnino non recipit. Quid quæſo de his ſentiendum eſt, quod Apoſtolicus vir, imò pene Apoſtolus, non ea ſcribit quæ Apoſtoli ſcribunt? cui Paulus Apoſtolus teſtimonium dedit, dicens: *cum Clemente & adjutoribus meis cæteris, quorum nomina ſunt in libro vitæ*, & ſcribat hoc quod libris vitæ contrarium eſt? An id potiùs credendum eſt, quód ſupra diximus, quòd perverſi homines ad aſſertionem dogmatum ſuorum, ſub virorum ſanctorum nomine tanquam faciliùs credenda, inſeruerunt ea, quæ illi nec ſenſiſſe,

nec ſcripſiſſe credendi ſunt ?

Neque facilè aïenti Ruffino crederem, ſi hæc ſolus adſeveraret, nec alius haberetur ejuſdem rei teſtis. Quippe eadem fere quæ Ruffinus, ipſe Photius docet : « Lecta ſunt, inquit [a], Clementis Romani duo volumina librorum, quorum aliud, &c...., alterum verò dedicationem & allocutionem, velut in forma Epiſtolæ, habet ad Jacobum fratrem Domini. In hoc continentur Acta, quæ dicuntur Petri Apoſtoli, & cum Simone Mago diſputationes, adhucque *Recognitio* Clementis ejuſque patris, ac aliorum fratrum. Quare in quibuſdam codicibus inſcriptio præfigitur *Clementis Romani Recognitio.* In nonnullis autem, ut diximus, Epiſtola præponitur tanquam ad Jacobum fratrem Domini. Atque hæc quidem non eadem, neque veluti ab eodem

[a] Phot. Edit. Hoeſchelii p. 155. & ſeq.

Ἀνεγνώσθη Κλήμεντος τοῦ ῥώμης τεύχη βιβλίων δύο· ὧν τὸ μὲν ἐπιγράφεται διαταγαὶ τῶν ἀποστόλων διὰ Κλήμεντος .... ὃ δὲ τὴν προσφώνησιν, ὡς ἐν ἐπιστολῆς εἴδει, πρὸς ἰάκωβον τὸν ἀδελφόθεον ποιεῖται. ἐν ᾧ αἵ τε λεγόμεναι τοῦ ἀποστόλου Πέτρου πράξεις, καὶ αἱ πρὸς σίμωνα τὸν μάγον διαλέξεις καὶ ἔτι ὁ ἀναγνωρισμὸς Κλήμεντος καὶ τοῦ πατρὸς καὶ τῶν ἄλλων ἀδελφῶν. διὸ καὶ ἔν τισι τῶν βιβλίων ἡ ἐπιγραφὴ, Κλήμεντος τοῦ ῥωμαίου ἀναγνωρισμὸς ἐπιγράφεται : ἐν τισι δὲ, ὡς ἔφημεν, ἐπιστολὴ προτάττεται, ὡς πρὸς τὸν ἀδελφόθεον Ἰάκωβον. καὶ αὕτη δὲ, οὐχ ἡ αὐτὴ, οὐδὲ ὡς ἀπὸ τοῦ αὐτοῦ προσώπου προενηνεγμένη· ἀλλ' ἐπὶ μὲν τινων βιβλίων ὡς ἀπὸ πέτρου τοῦ ἀποστόλου πρὸς ἰάκωβον ἐπεσταλμένη, ἐφ' ἑτέρων δὲ, ὡς ἀπὸ Κλήμεντος πρὸς ἰάκωβον, ἄλλη καὶ ἄλλη, καθὼς προείπομεν. καὶ ἡ μὲν δηλοῖ, πέτρον τὰς οἰκείας συγγράψαι πράξεις, καὶ πρὸς ἰά[illegible] ταύ-

homine profecta, ſed in quibuſdam qui- «
dem libris, quaſi à Petro Apoſtolo ad Ja- «
cobum miſſa; in aliis autem, ut à Clemen- «
te ad Jacobum, alia atque alia, quemad- «
modum jam diximus. Et illa quidem de- «
clarat, Petrum propria geſta conſcripſiſſe, «
ac poſtulanti Jacobo ea miſiſſe: hæc verò «
refert Clementem eadem geſta juſſu Petri «
ſcripſiſſe; ac poſtquam ille ad vitam im- «
mortalem commigraſſet, tranſmiſiſſe ad «
Jacobum. Itaque conjecturâ deprehende- «
re licet, Actuûm Petri duas editiones fa- «
ctas fuiſſe; ſed cùm temporis longinqui- «
tate altera periiſſet, illam Clementis ſupe- «
raſſe. In omnibus enim codicibus, quos «
vidimus, iiſque non paucis; poſt diverſas «
illas Epiſtolas atque inſcriptiones, idem «
omnino ſine variatione opus invenimus in- «
cipiens ſic, *Ego Clemens*; & quæ ordine «
deinceps leguntur. Refertum eſt autem «
hoc opus innumeris abſurdè dictis, ple- «
numque blaſphemiæ in Filium, juxta Arii «
opinionem.... «

τας ἀποστεῖλαι· ἡ δὲ διαλαμβάνει, ὡς Κλήμης ταύτας κατὰ πρόσταγμα πέτρου συγγράψειε, κἀκείνου πρὸς τὴν ἀγήρω μεταστάντος, ἀποστείλοι Κλήμης πρὸς ἰάκωβον. ἔστιν οὖν εἰκασμῷ διαλαβεῖν, ὡς δύο μὲν εἴησαν τῶν Πέτρου πράξεων ἐκδόσεις γεγενημέναι· τῷ δὲ χρόνῳ, τῆς ἑτέρας διαῤῥυείσης, ἐπικρατήσει ἡ τοῦ Κλήμεντος. ἐν πᾶσι γὰρ τοῖς βιβλίοις, ἃ εἴδομεν, καίτοι οὐκ ὀλίγων ὄντων, μετὰ τὰς διαφόρους ἐκείνας ἐπιστολὰς καὶ ἐπιγραφὰς, τὴν αὐτὴν εὕρομεν ἀπαραλλάκτως πραγματείαν ἀρχομένην· ἐγὼ Κλήμης, καὶ τὰ ἑξῆς ἐνταττόμενα. μυρίων δὲ ἀτοπημάτων ἡ πραγματεία

Conjicit Photius & exiſtimat *Recognitionum* duplicem olim fuiſſe editionem, aliam ab ipſo Petro Apoſtolorum Principe, alteram à Clemente Petri diſcipulo factam, & tamen fatetur hos libros *refertos eſſe innumeris abſurdè dictis & plenos blaſphemiæ in Filium, juxta Arii opinionem.* Profectò non exiſtimabat hæc dicta abſurdè & per *blaſphemiam*, ab ipſo Petro aut ab ejus diſcipulo ſcripta fuiſſe. Cenſuit ergo cum Rufino libros *Recognitionum* olim ab Arianis corruptos fuiſſe & depravatos.

Neque Eunomius & Ariani ſoli ſunt, qui in illos libros impuras manus injecerunt. Idem crimen Epiphanius Ebionæis exprobrat[a]. « Utuntur autem (Ebionæi) inquit, » & aliis quibuſdam libris, nempe iis qui vocantur *circuitus Petri*, à Clemente conſcripti : atque ea quidem, quæ in illis continentur, corruperunt; pauca autem vera reliquerunt : quemadmodum eos ipſe Clemens redarguit, per Epiſtolas circulares, quæ ab eo ſcriptæ in ſanctis Eccleſiis leguntur.

γέμει αὕτη, καὶ εἰς τὸν υἱὸν βλασφημίας κατὰ τὴν Ἀρείου δόξαν ἐστὶν ἀνάπλεως ...

[a] Epiph. adverſ. Hær. lib. 1. Hær. 30. Pariſ. Petav. Edit. pag. 139.

Χρῶνται δὲ καὶ ἄλλαις τισὶ βίβλοις, δῆθεν ταῖς περιόδοις καλουμέναις Πέτρου, ταῖς διὰ Κλήμεντος γραφείσαις, νοθεύσαντες μὲν τὰ ἐν αὐταῖς, ὀλίγα δὲ ἀληθινὰ ἐάσαντες, ὡς αὐτὸς Κλήμης αὐτοὺς κατὰ πάντα ἐλέγχει, ἀφ᾽ ὧν ἔγραψεν ἐπιστολῶν ἐγκυκλίων τῶν ἐν ταῖς ἁγίαις ἐκκλησίαις ἀναγινωσκομένων, ὅτι ἄλλον ἔχει χαρακτῆρα ἡ ἑαυτοῦ πίστις καὶ ὁ λόγος παρὰ τὰ ὑπὸ

Quia alium habet characterem fides illius «
ac oratio ab iis quæ ſub nomine ejus iſti in «
circuitibus ſuppoſuerunt. Ille enim virgini- «
tatem docet; at iſti repudiant. Ille Eliam, «
Davidem, Sampſonem, omneſque Pro- «
phetas commendat, quos iſti deteſtantur. «
Itaque in circuitibus omnia ad ſuum inſti- «
tutum accommodarunt, ac de Petro mul- «
ta mendacia confinxerunt; quaſi is quoti- «
die caſtimoniæ causâ laverit, ſicut & iſti «
faciunt. Eundem etiam aïunt abſtinuiſſe «
ab animatis & carnibus, ut ipſi ſolent, & «
ab omni alio cibo, qui carne conſtet: «
quandoquidem & ipſe Ebion & Ebionitæ «
omnino ab iis abſtinent. «

Non negat ergo Epiphanius *circuitus Petri olim à Clemente conſcriptos:* ſed ait libros illos non ita multò poſt ab Ebionæis corruptos fuiſſe, & ita corruptos, ut in iis pauca vera relinquerentur; atque ea de re conqueſtum eſſe Clementem in Epiſtolis, quæ ab eo ſcriptæ in ſanctis Eccleſiis leguntur. Ebionæorum perfidiam cumularunt

τούτων εἰς ὄνομα αὐτοῦ ἐν ταῖς περιόδοις νενοθευμένα: αὐτὸς γὰρ παρθενίαν διδάσκει, καὶ αὐτοὶ οὐ δέχονται. αὐτὸς γὰρ ἐγκωμιάζει Ηλίαν, καὶ Δαβίδ, καὶ Σαμψών, καὶ πάντας τοὺς προφήτας, οὓς οὗτοι βδελύττονται. ἐν ταῖς οὖν περιόδοις τὸ πᾶν εἰς ἑαυτοὺς μετήνεγκαν καταψευσάμενοι Πέτρου κατὰ πολλοὺς τρόπους, ὡς αὐτοῦ καθ' ἡμέραν βαπτιζομένου ἁγνισμοῦ ἕνεκεν, καθάπερ καὶ οὗτοι. ἐμψύχωντε τὸ αὐτὸν ἀπέχεσθαι καὶ κρεῶν, ὡς καὶ οὗτοι, καὶ πάσης ἄλλης ἐδωδῆς τῆς ἀπὸ σαρκῶν πεποιημένης λέγουσιν, ἐπειδήπερ καὶ αὐτὸς Ἐβίων καὶ Ἐβιωνῖται παντελῶς ἀπέχονται τούτων.

Ariani & Eunomiani, cum Eunomii dogma de ingenito Deo genitoque, Ariique blaſphemias in Filium Dei iiſdem libris inſeruerunt, ut Rufinus & Photius teſtantur. Atque hæc cauſa eſt, cur Eccleſia Catholica tam miſerè depravatos ab Hæreticis libros illos rejecerit, tanquam Apocryphos.

Igitur ſive *Recognitionum* libri ab ipſo Clemente primitus ſcripti ſint, ut plerique Patres antiqui docent; ſive *ſæculo tantùm ſecundo compoſiti à viro docto quidem juxtà ac diſerto, ſed Philoſopho magis & Philologo quàm Theologo*, ut Cotelerio videtur: iſtud ſemper certum manet & indubitatum; hos libros, non ita multò poſtquam editi ſunt, variè & miſeris modis diſtractos, interpolatos & ab Hæreticis fuiſſe corruptos.

Idem planè ſentiendum de veteribus illis Canonibus, qui vulgò Apoſtolorum dicuntur; quoſque pariter à ſancto Clemente primùm eſſe collectos nonnulli olim exiſtimarunt. Porro quanquam conſtat ex his Canonibus plurimos eſſe antiquos & à vetuſtiſſimis Patribus laudatos: librum tamen, quo illi continentur, *apocryphum* Gelaſius ſummus Pontifex declaravit in Concilio Romano. Neque credendum eſt illos Canones idcirco tantùm apocryphos dici, quòd Apoſtolis falsò tribuantur. Hæc li-

bro nota inuſta eſt, etiam quia ſinceris Canonibus, quos vel Apoſtolici viri, vel antiquiſſimæ Synodi ſanxerunt, intermixtos habet alios nonnullos, qui errorem ſapiunt & hæreſim. Talis eſt Canon 66. *de Sabbato non jejunando*, 68. *de Baptizatis vel ordinatis ab Hæreticis*, 85. *de numero Librorum Sacrorum.* Hujuſmodi autem Canones, quis niſi hæreſi addictus, antiquæ Canonum collectioni inſerere potuit? Ita cenſuit [a] Sixtus Senenſis: ita viſum eſt [b] Bellarmino, & aliis eruditis viris.

Apoſtolicas autem Conſtitutiones, quæ Clementis Romani pariter nomen ferunt, adulteratas jam tum olim fuiſſe multò magis certum eſt. Illæ quidem inter Sacros Libros numerantur in poſtremo Canone Apoſtolorum: ſed ille Canon aut planè ſpurius eſt, aut ſaltem interpolatus. Quare Joannes Zonaras, ubi illum Canonem interpretatur, hæc habet: « Librorum legendorum, [c] inquit, dinumerationes à variis ſanctis factæ Patribus comperiuntur. Hoc autem fecerunt, quoniam varii nothi

[a] Bibliot. Sanc. lib. 2. in Clemente.

[b] De Script. Eccl. de S. Clement. Romano.

[c] Joan. Zonaras Edit. Pariſ. 1618. pag. 43. . . . διαφόρων ἁγίων πατέρων ἀπαριθμήσεις τῶν ἀναγνωστέων βιβλίων εὑρίσκονται. τοῦτο δὲ πεποιήκασιν, ὅτι διάφορα νόθα συγγράμματα καὶ ψευδεπίγραφα ἦσαν, ἢ καὶ εἰσί. τὰ δὲ καὶ νενοθευμένα, οἷαι καὶ αἱ διὰ τοῦ Κλήμεντος ἐκπεφωνημέναι διαταγαί.

» & falsò inſcripti libri erant, vel etiamnum
» ſunt, & adulterati quidam : quales etiam,
» quæ per Clementem promulgatæ fuerunt
» Conſtitutiones; à Sectariis enim quibuſdam
» & adulteratæ & corruptæ fuerunt.

Multò ante Zonaram Synodus Trullana
» hoc ipſum definiverat. « Quoniam autem,
» [a] inquit, in his nobis Canonibus (Apoſto-
» lorum) præceptum eſt, ut eorumdem ſan-
» ctorum Apoſtolorum per Clementem Con-
» ſtitutiones ſuſciperemus, quibus jam olim
» ab iis qui à fide alienâ ſentiunt, adulteri-
» na quædam & à pietate aliena introducta
» ſunt, quæ divinorum nobis decretorum
» elegantem ac decoram ſpeciem obſcura-
» runt, has Conſtitutiones ad Chriſtianiſſimi
» gregis ædificationem ac ſecuritatem con-
» ducibiliter rejecimus ; hæreticæ falſitatis
» fœtus nequaquam immiſcentes, & germa-
» næ ac integræ Apoſtolorum doctrinæ inſe-
» rentes.

καὶ αὗται γὰρ παρά τινων κακοδόξων ἐνοθεύθησάν τε, καὶ παρεφθάρησαν.

[a] Conc. quiniſextum in Trullo. can. 2. tom. 2. Concil. pag. 1140.

Ἐπειδὴ δὲ ἐν τούτοις τοῖς κανόσιν (ἀποστόλων) ἐντέταλται δέχεσθαι ἡμᾶς τὰς τῶν αὐτῶν ἁγίων ἀποστόλων διὰ Κλήμεντος διατάξεις, αἷς πη πάλαι ὑπὸ τῶν ἑτεροδόξων ἐπὶ λύμῃ τῆς ἐκκλησίας νόθα τινὰ καὶ ξένα τῆς εὐσεβείας παρενετέθησαν, τὸ εὐπρεπὲς κάλλος τῶν θείων δογμάτων ἡμῖν ἀμαυρώσαντα, τὴν τῶν τοιούτων διατάξεων προσφόρως ἀποβολὴν πεποιήμεθα πρὸς τὴν χριστιανικωτάτου ποιμνίου οἰκοδομὴν καὶ ἀσφάλειαν· οὐδαμῶς ἐγκρίνοντες τὰ τῆς αἱρετικῆς ψευδολογίας κυήματα, καὶ τῇ γνησίᾳ τῶν ἀποστόλων καὶ ὁλοκλήρῳ διδαχῇ παρενείροντες.

Speciatim verò Arianiſmi inſimulatos fuiſſe hos Conſtitutionum libros teſtatur Photius in Bibliotheca, ubi ait [a]. Clementinas Apoſtolorum Conſtitutiones tribus duntaxat ex capitibus videri obnoxias reprehenſioni : tertium autem caput repetit ex Arianiſmo.

Et verò eò ſpectant quæ leguntur in libro 5. Conſtitutionum capite 6. « Moyſi « credimus, cum ait, *in principio creavit Deus* « *cœlum & terram*; ac ſcimus quidem non « fuiſſe illi opus materia, ſed ſola voluntate « effeciſſe, quæ Chriſtus juſſus eſt facere. » « Ad quod annotaverat, in antiquiſſimo, quo Franciſcus Turrianus uſus eſt codice, vetus quidam Theologus: *Blaſphemum hoc; nam ante aſſumptam carnem juſſa non capeſcebat Filius.* In eodem Conſtitutionum lib. 5. capite 19. « Hunc igitur & nos prædica- « mus & evangelizamus Deum Verbum mi- « niſtrantem Deo ſuo eidemque Patri in re- « rum omnium creatione. » Ad quem locum « & hæc nota ab antiquo illo cenſore eſt appoſita. *Non admitto Deo & Patri miniſtraviſſe Filium, ſed unà cum ipſo omnia perfeciſſe.* Denique libro 8. Conſtitutionum cap. 12. de Filio quoque ſimiliter: « Sanctus « unigenitus tuus Dominus noſter & Deus « Jeſus-Chriſtus, qui tibi Deo ſuo & Patri «

[a] Num. 113.

» per omnia inſerviens, tum in varia crea-
» tione rerum, tum in providentia cujuſque
» earum accommodata. » Ubi & admonitionem ſuam vetus ille Theologus repetendam eſſe cenſuit: *Poſt incarnationem attribuere ei miniſterium quis poſſet; ante incarnationem autem haud quaquam.* Hæc & alia obſervavit Uſſerius Armachanus in diſſertatione, qua eumdem & Canonum Apoſtolorum & Epiſtolarum Ignatii interpolatorem fuiſſe contendit.

Caput V.

Eum, qui ſeptem genuinas ſancti Ignatii Epiſtolas interpolavit, hæreſis convinci poſſe, aut ſaltem ſuſpectum haberi.

In ſancti Ignatii Epiſcopi Antiocheni & Martyris Epiſtolas non uno modo Falſarii graſſati ſunt. Nam & plurimas ipſi ſuppoſuerunt, quas non ſcripſit; & ſeptem genuinas, quas ab eo reverâ ſcriptas eſſe Euſebius & Hieronymus teſtantur, miſerè interpolaverunt & depravaverunt. Et verò utrumque hoc certum eſt, ac manifeſtum; ſiquidem & ſuppoſititiæ extant adhuc, & genuinarum etiamnum hodie gemina habetur editio: interpolata altera, quæ prior typis

typis excuſa fuerat: altera ſincera, quam Latinè Uſſerius Armachanus ex Manuſcriptis Anglicanis duobus, Græcè Iſaacus Voſſius ex codice Medicæo edidit in lucem. Utra autem ſincera eſſet, certò dijudicatum eſt ex variis locis, quæ à Patribus olim laudata ſunt. Quicumque enim Patres ſæculo ſexto antiquiores ſunt, omnes Ignatium citant, qualem legimus in editionibus Uſſeriana & Voſſiana: ſi qui verò aut ſuppoſititias aut interpolatas S. Ignatii Epiſtolas citant, ii non ſunt ſexto ſæculo antiquiores. Unde videtur conſequens utramque hanc Ignatianis Epiſtolis injuriam factam eſſe circa Juſtiniani Imperatoris tempora.

Uſſerius [a] plurimis argumentis probat, eumdem eſſe & ſpuriarum Epiſtolarum fabricatorem & verarum interpolatorem: imò & contendit ab eodem adulterata fuiſſe ſcripta quæ erant Ignatii, à quo falſata ſunt aliqua, quæ Clementi Romano tribuebantur: quam tamen poſteriorem ejus conjecturam hoc in loco non examinamus.

Igitur ut non idem fuerit Clementinorum ſcriptorum, qui Ignatianorum, interpolator: hunc certè hæreticum fuiſſe atque Arii erroribus infectum, imò & Apol-

[a] De Scriptis Ign. Diſſert.

linaris, ſi Uſſerio credimus, non levis ſuſpicio eſt.

1. Genuinarum Epiſtolarum interpolator Chriſtum Dominum vocat quidem *Deum Verbum*, *Deum unigenitum*, *Deum noſtrum*, *&c.* Sed quoties germanus Ignatius Chriſtum dixit *Deum* ſine additamento, toties iſte nomen *Dei* ſuppreſſit, ut videre eſt in Epiſtola ad Smyrnæos, & in illa quæ ad Epheſios ſcripta eſt. Deinde ſpuriæ ad Tarſenſes Epiſtolæ auctor, quem ab Interpolatore monuimus non eſſe diverſum, contendit Chriſtum [a] *non eſſe illum qui eſt ſuper omnia Deus, & Pater, ſed Filium ipſius.* Idem in falſa ad Philippenſes Epiſtola ſic
» diſputat. « [b] Quomodo rurſum, non tibi
» videtur eſſe Chriſtus ex virgine, ſed ille qui
» eſt ſuper omnia Deus, ille ſcilicet omnia
» potens? Quis ergo eſt, qui hunc miſit, di-
» cito; quiſve, qui huic dominatur, vel cu-
» jus ſententiæ ſubjectus fuit, aut cujus le-
» gem adimplevit? » Certè qui negat Chriſtum eſſe *Deum ſuper omnia*, eſſe *omnipotentem*, qui Chriſtum *Deum* ſine ulla limitatione appellare refugit, Arianiſmi ſuſpectus eſt, ſi non convictus.

2. Non ita certum eſt eundem fuiſſe Apollinaris ſectatorem. In falſa quidem Epiſtola ad Philippenſes vetus Latinus in-

[a] Uſſ. Edit. pag. 146. | [b] Ibid. pag. 178.

terpres iſta [a] habet : « Quid ſine lege dicis «
Legiſlatorem, qui non humanam animam «
habuit. » Quæ verba Apollinaris hæreſim «
manifeſtè continent. Verùm in textu Græco omiſſa eſt particula negans & legitur, τὴν ἀνθρωπείαν ψυχὴν ἔχοντα : *qui humanam animam habuit.* Non equidem ignoro contendiſſe Uſſerium, verba Auctoris eſſe à veteri interprete fideliter expreſſa : & particulam negantem fuiſſe conſultò ſuppreſſam à Catholicis, ut hinc hæreſis labes elueretur : mihi tamen videtur textus Græcus hoc in loco eſſe veteri interpretationi anteponendus. Nam cum addit Uſſerius, Apollinaris hæreſim pariter haberi in interpolata ad Philadelphenos Epiſtola, manifeſtè fallitur. Quippe in eo loco quem appellat, Apollinaris hæreſim non docet, ſed rejicit interpolator : cujus hæc verba ſunt. [b] « Si «
quis hæc confeſſus fuerit, & quia Deus Ver- «
bum in humano corpore habitavit, ſicut «
& anima in corpore (propter quod inha- «
bitare dicimus in corpore, ſed non in hu- «
mana anima)..... hic neque Dei amicus, «
neque Chriſti amator eſſe poteſt. » Quæ «
quidem in Græco textu multò ſunt clariora ; ſic enim habentur : Εάν τις ταῦτα μὲν ὁμολογῇ, καὶ ὅτι θεὸς λόγος ἐν ἀνθρωπίνῳ σώματι κατῴκει, ὢν ἐν αὐτῷ ὁ λόγος, ὥσπερ καὶ ψυχὴ

[a] Ibid. pag. 177. | [b] Ibid pag. 101.

ἐν σώματι (διὰ τὸ ἔνοικον εἶναι θεὸν, ἀλλ᾽ οὐχὶ ἀνθρωπείαν ψυχὴν) . . . οὗτος, οὔτε φιλόθεος, οὔτε φιλόχριστος εἶναι δύναται : hoc eſt ad verbum :
» « Si quis hæc confeſſus fuerit, & quòd Deus
» Verbum in humano corpore inhabitaverit,
» exiſtens in illo, quemadmodùm anima in
» corpore, quia inhabitat Deus, ſed non hu-
» mana anima . . . . hic neque Dei, neque
» Chriſti amicus eſſe poteſt. » Ubi nemo non videt impium Apollinaris dogma non approbari, ſed rejici.

Verùm etiamſi concedimus genuinarum Ignatii Epiſtolarum interpolatorem, imò & falſarum fabricatorem eximi poſſe ab Apollinariſmi nota : at non idcirco exiſtimandum eſt, eumdem liberari poſſe ab Arianiſmi crimine, aut ſaltem ab ejus ſuſpicione. Quæ ſuſpicio multò major erit, ſi quod multis probat Uſſerius, admittimus, nempe ab eodem corruptas eſſe S. Ignatii Epiſtolas, à quo libri S. Clementi Romano attributi, fuerant adulterati.

CAPUT VI.

Dionyſii Corinthiorum Epiſcopi Epiſtolas, ipſo adhuc ſuperſtite, à falſariis quibuſdam miniſtris Diaboli corruptas fuiſſe; Clementis Alexandrini libros Hypotypoſeon ab Hæreticis fuiſſe miſerè deformatos: Idem piè ac prudenter credi poſſe de quibuſdam aliis ejuſdem Clementis lucubrationibus.

VEl uno Dionyſii Corinthiorum Epiſcopi exemplo demonſtrare poſſumus, magnam veterum Hæreticorum fuiſſe in falſandis Patrum operibus impudentiam ac perverſitatem. Quid enim flagitioſum magis ac ſceleratum, quàm Epiſtolas, quas ſanctiſſimus & magnæ auctoritatis Epiſcopus ad inſtituendas confirmandaſque diverſas Eccleſias ſcribebat, fraudulenter adulterare? Quid impudentius, quàm illud ſcelus adgredi, ipſo adhuc ſuperſtite, cùm audaciſſimorum hominum perfidiam revincere & productis authenticis exemplaribus redarguere poſſet? Atqui iſtud flagitium reipſa commiſſum fuiſſe, ipſo Dionyſio teſte, didicimus: nam quamvis ſcripta ejus jamdudum injuriâ temporum interciderint, Euſebius tamen Hiſtoriæ ſuæ Ec-

cleſiaſticæ inſeruit fragmentum cujuſdam Epiſtolæ, in quâ Dionyſius plures alias [a]
» « Epiſtolas ſuas à falſariis corruptas fuiſſe
» admonet, ita ſcribens. *Epiſtolas ſcripſi ro-*
» *gatus à fratribus. Sed illas miniſtri quidam*
» *Diaboli, zizaniis compleverunt: quædam ex*
» *illis expungentes, quædam adjicientes. Quos*
» *certè manet feralis illa ſententia:* VÆ VOBIS.
» *Non mirum igitur videri debet, ſi ſacro-ſancta*
» *Domini ſcripta quidam adulterare aggreſſi*
» *ſunt, quandoquidem in longè inferioribus ſcrip-*
» *tis idem auſi fuiſſe deprehenduntur.* » Quæ Dionyſii verba falſariorum impudentiam reprehendentis Euſebius non recitaſſet, qui has ipſas Epiſtolas legerat & expenderat, niſi vera comperiſſet: atque adeo facti iſtius veritas gemino probatur teſtimonio; primò quidem Dionyſii, qui falſariorum perfidiam ipſe in ſcriptis ſuis paſſus fuerat; deinde Euſebii, qui tam impudentis perfidiæ memoriam in Hiſtoria ſua conſervatam voluit. Et erunt qui ſibi perſuadeant, non poſſe Hæreticis perfidiæ crimen in falſandis libris exprobrari, quin Pyr-

[a] Dionyſ. Corinth. Epiſcop. apud Euſeb. Hiſt. Eccl. lib. 4. cap. 23. Valeſ. 2. Edit p. 118.
Ἔτι δὲ ὁ αὐτὸς καὶ περὶ τῶν ἰδίων ἐπιστολῶν, ὡς ῥαδιουργηθεισῶν, ταῦτά φησιν. Ἐπιστολὰς γὰρ ἀδελφῶν ἀξιωσάντων με γράψαι, ἔγραψα. καὶ ταύτας οἱ τοῦ διαβόλου ἀπόστολοι ζιζανίων γεγέμικαν. ἃ μὲν ἐξαιροῦντες, ἃ δὲ προστιθέντες· οἷς τὸ οὐαὶ κεῖται, οὐ θαυμαστὸν ἄρα, εἰ καὶ τῶν κυριακῶν ῥαδιουργῆσαί τινες ἐπιβέβλωνται γραφῶν, ὁπότε καὶ ταῖς οὐ τοιαύταις ἐπιβεβλήκασι.

rhoniſmus invehatur in Religionem, & ſanctiſſima Apoſtolicæ traditionis auctoritas convellatur!

Quidam eruditi homines exiſtimant, nonnulla Clementis Alexandrini preſbyteri opera eamdem ſortem experta fuiſſe, ac Dionyſii Corinthii Epiſtolas, qui ejus olim in Græcia magiſter fuerat *, ut aliqui ſuſpicantur. Neque verò hæc de corruptis Clementis lucubrationibus opinio probabilitate caret. Bellarminus quanquam nihil ſuper ea re pronuntiare voluit, affirmat tamen id *piè credi.* « Non deſunt in hoc inſigni Auctore, [a] inquit, ſententiæ aliquæ, « quæ errorem ſapiunt, quas in libris noſtris « controverſiarum notavimus, & ob quas « Gelaſius Papa in Concilio quodam Romano, Clementis hujus opuſcula inter apocrypha retulit. Utrùm autem ſententiæ illæ ab Hæreticis inſertæ ſint, ut aliqui *piè credunt*, an Auctori more humano exciderint, ignoramus. «

Antonius verò Poſſevinus eruditiſſimus Societatis noſtræ preſbyter in id magis propendet, ut credat [b] *Clementis Alexandrini operibus errores ab Orientalibus Hæreticis aſperſos fuiſſe:* atque id probabile red-

* Guill. Cave.

[a] De Script. Eccl. in Clem. Alex.

[b] Appar. ſacr. in verbo *Clemens.*

di ait, non tam Euſebii, Hieronymi, Nicephori & aliorum antiquorum teſtimoniis, qui Clementem laudibus cumulant, quàm Epiſtola Alexandri Hieroſolymo-
» rum Epiſcopi, in qua iſta leguntur. « Porro
» has litteras [a] domini fratres, per beatum
» preſbyterum Clementem ad vos miſi, vi-
» rum virtute præditum & probatum: quem
» vos & noſtis, jam & amplius cognoſcetis;
» qui quidem Dei nutu ac providentiâ dum
» hîc apud nos præſens eſſet, Eccleſiam
» Chriſti & confirmavit & magnopere au-
» xit. » Quis enim in animum inducat virum tam bene meritum de Eccleſia Catholica, adeo laudatum ab antiquis & orthodoxis Scriptoribus, in explicanda doctrina Chriſtiana tam aſſiduè verſatum, per inſcitiam tamen aut malitiam fœdiſſimis nævis graviſſimiſque erroribus ſcripta ſua commaculaſſe?

Hoc ſibi cùm non poſſet perſuadere Cardinalis Baronius, depravata ab Arianis Clementis opera planè pronunciavit, atque iſtud argumentis aliquot demonſtrare
» conatus eſt. « Cæterùm, [b] inquit, quòd

[a] Alexand. Hieroſ. Epiſcop. apud Euſ. Eccleſ. Hiſt. lib. 6. cap. 11. Valeſ. 2. Edit. p. 172. Ταῦτα δὲ ὑμῖν κύριοί μου ἀδελφοὶ τὰ γράμματα ἀπέστειλα διὰ Κλήμεντος τοῦ μακαρίου πρεσβυτέρου· ἀνδρὸς ἐναρέτου καὶ δοκίμου· ὃν ἴστε καὶ ὑμεῖς καὶ ἐπιγνώσεσθε· ὃς καὶ ἐνθάδε παρὼν κατὰ τὴν πρόνοιαν καὶ ἐπισκοπὴν τοῦ δεσπότου, ἐπεστήριξέ τε καὶ ηὔξησε τὴν τοῦ κυρίου ἐκκλησίαν.

[b] Ann. Eccl. tom. 2. ad ann. Chriſti 196. num. 2.

aliquibus nævis ejus Commentarii reſperſi « inveniantur, ne occaſione ejus nominis ce- « leberrimi, Fideles ad omnia ſectanda, quæ « ab ipſo ſcripta eſſent, incautè adduceren- « tur, Gelaſius Papa providè quidem ejuſ- « dem Clementis opera apocryphorum notâ « voluit inuſiſſe, nec mireris; nam eâ etiam « occaſione ab eodem ſancti Cypriani quo- « que opuſcula eâdem cenſurâ notata fue- « runt. Cæterùm quòd mos eſt Hæretico- « rum, teſtimonia aucupari magnorum vi- « rorum, & cùm aliter non liceat, eorum « ſcripta depravare atque corrumpere; acci- « dit planè ut ab Arianis aliqua in ejus Com- « mentariis fuerint immutata: quod Rufi- « nus teſtatur his verbis: [a] *Clemens alius ma-* « *giſter & Presbyter Eccleſiæ illius* (Alexandri- « næ) *in omnibus penè libris ſuis Trinitatis glo-* « *riam atque æternitatem unam eamdemque de-* « *ſignat: & interdum invenimus aliqua ejus ca-* « *pitula, in quibus Filium Dei creaturam dicit.* « *Num quidem credibile eſt de tanto viro, tam* « *in omnibus Catholico, tamque erudito, ut vel* « *ſibi contraria ſenſerit, vel ea quæ de Deo, non* « *dicam credere, ſed audire quidem impium eſt,* « *ſcripta reliquerit?* Hæc Rufinus, cui & ego, « ut ait Baronius [b], non invitus adſtipulor: « ſi enim primores Ariani illi, qui erant cal- «

[a] Ruf. Apolog. pro Origen. apud Hier. tom. 5. nov. Edit. pag. 250.
[b] Ibid.

" lidiſſimi, aliquid in Clemente invenire po-
" tuiſſent, quod ſuo ipſorum dogmati faviſ-
" ſet, utique, quod ait Scriptura, ſicut exul-
" tant victores captâ prædâ, magno præco-
" nio extuliſſent, ac planè præ foribus oſten-
" tationis gratiâ affixiſſent. Nunquam enim
" ex Clementis Alexandrini ſcriptis ab Aria-
" nis factitatum eſſe negotium Catholicis or-
" thodoxis ex eo poſſumus intelligere, quòd
" Catholicæ Eccleſiæ Scriptores, qui in re-
" fellendis eorum objectionibus laborarunt,
" de Clemente, quòd illorum faviſſet dog-
" mati, nunquam viſi ſunt meminiſſe.

Hactenus Baronius, in cujus verbis iſtud obſervandum eſt, quod Rufini teſtimonium calculo ſuo comprobat, & quâ poteſt ratione confirmat. Non ignorabat ſanè piiſſimus Annalium Eccleſiaſticorum ſcriptor, quod neque nos hoc loco diſſimulatum volumus, Rufinum hanc ipſam ob cauſam vapulare & rideri ab Hieronymo [a]: & tamen Rufino adversùs Hieronymum hac in occaſione adſtipulari ſe ait: quanquam ille dictum hoc ſuum de adulteratione librorum Clementis, non ipſius Clementis teſtimonio, non aliquâ antiquorum Scriptorum aut codicum manuſcriptorum auctoritate fulciverat. Hoc unum identidem ingeminat, iſtud *de tanto viro*

[a] Apolog. adv. Ruf. lib. 2. Hier. tom. 4. n. Edit. p. 409.

non eſſe credibile, ut vel ſibi contraria ſenſerit, vel ea de Deo, quæ audire impium eſt, ſcripta reliquerit? Neque tantùm adſtipulatur Baronius, ſed Rufini conjecturam novâ ratione eâque maximè probabili confirmat: nimirum obſervat primores Arianos, qui Clementis opera habebant in manibus, & veterum teſtimonia undequaque corradebant, ſiluiſſe tamen de Clemente. Atque inde colligit ea quæ ipſorum impietati favere videntur, operibus Clementis poſtmodum inſerta fuiſſe & addita.

Verùm quæ de Clemente hactenus dicta ſunt, ad eos tantum libros pertinent, qui nunc extant, quales ſunt *Pædagogus*, *Libri Stromatum* & alii; quæ ſi quis contemnere velit, ut non ſatis certa & explorata, non refragabor pertinaciter: modò judicium aliud ferat de *Hypotypoſeon* Libris, qui majori ex parte jam perierunt. Nam ſi illi olim tales fuerunt, quales repræſentantur à Photio: nemini dubium eſſe poteſt, quin ab Hæreticis adulterati ſint & miſerè corrupti; ſic enim de illis *Hypotypoſeon* libris Photius loquitur. « Etſi [a] recte in quibuſ- «
dam ſentire viſus eſt (Clemens) in aliis «

[a] Phot. Biblioth. cod. 109. Edit. Hoeſchel. pag. 154.
Καὶ ἔν τισι μὲν αὐτῶν ὀρθῶς δοκεῖ λέγειν· ἔν τισι δὲ παντελῶς εἰς ἀσεβεῖς καὶ μυθώδεις λόγους ἐκφέρεται. ὕλην τε γὰρ ἄχρονον καὶ ἰδέας ὥς ἀπό τινων ῥητῶν εἰσαγομένας δοξάζει, καὶ τὸν υἱὸν εἰς κτίσμα κατάγει. ἔτι δὲ μετεμψυχώσεις, καὶ πολλοὺς πρὸ τοῦ

» rurſus impiè fabuloſéque diſſerit. Aſſerit
» enim materiam æternam; & ideas veluti
» certis decretis induci fingit. Filium quo-
» que in rebus creatis numerat. Ad hæc ani-
» marum migrationem, multoſque ante A-
» damum mundos prodigiosè comminiſci-
» tur. Evam præterea ex Adamo, non ut
» Sacri Libri tradunt, ſed obſcœnè atque
» impiè educit. Angelos quoque cum fœmi-
» nis congreſſos, liberos inde ſuſtuliſſe ſom-
» niat. Quin & Verbum carnem non eſſe fa-
» ctum, ſed ita viſum dumtaxat. Duo ad
» hæc Patris Verba finxiſſe deprehenditur,
» quorum minus mortalibus ſit viſum, imò
» ne hoc quidem. Sic enim ſcribit &c....
» quæ quidem omnia Sacræ Scripturæ teſti-
» moniis aliquot adſtruere nititur. Quan-
» quam & alia id genus ſexcenta blaſphemâ
» voce nugatur, ſive ipſe, ſive quis alius ejus
» perſonam indutus; planè ut octo ipſos li-
» bros hiſce blaſphemiarum portentis, de
» iiſdem identidem diſſerendo, ac ſparſim

Ἀδὰμ κόσμους τερατεύεται· καὶ ἐκ τοῦ Ἀδὰμ τὴν Εὔαν, οὐχ ὡς ὁ ἐκκλησιαστικὸς λόγος βούλεται, ἀλλ' αἰσχρῶς τε καὶ ἀθέως ἀποφαίνεται. μίγνυσθαί τε τοὺς ἀγγέλους γυναιξὶ, καὶ παιδοποιεῖν ἐκ αὐτῶν ὀνειροπολεῖ. καὶ μὴ σαρκωθῆναι τὸν λόγον, ἀλλὰ δόξαι. λόγους τε τοῦ πατρὸς δύο τερατολογῶν ἀπελέγχεται· ὧν τὸν ἥττονα τοῖς ἀνθρώποις ἐπιφανῆναι· μᾶλλον δὲ οὐδὲ ἐκεῖνον. φησὶ γάρ...... καὶ ταῦτα πάντα ἀπὸ ῥητῶν τινῶν πειρᾶται κατασκευάζειν τῆς γραφῆς. καὶ ἄλλα δὲ μυρία βλασφημεῖ καὶ φλυαρεῖ, εἴτε αὐτὸς, εἴτε τις ἕτερος τὸ αὐτοῦ πρόσωπον ὑποκριθείς. ἐποιήθησαν δὲ αὐτῷ αἱ βλάσφημοι αὗται τερατολογίαι ἐν τόμοις ὀκτώ. λέγει δὲ καὶ περὶ τῶν αὐτῶν πολλάκις, καὶ σποράδην καὶ συγκεχυμένως,

atque confusè, veluti ſtupore perculſus, «
Scripturas producendo repleverit. » Cùm «
ergo *Hypotypoſeon* libri, qui Photii tempore legebantur, tam abſurdi, tam impii fuerint: jure merito Photius in eam propendere ſe opinionem ſignificat, ut exiſtimet non ipſum in his libris Clementem loqui, ſed aliquem alium ejus perſonâ indutum. Et quia *Hypotypoſeon* libri dici non poſſunt omni ex parte ſpurii, utpote ab Euſebio [a] & Hieronymo [b] citati, tanquam genuinus Clementis fœtus: illud unum ſupereſt, ut à falſariis depravati dicantur.

Hoc ipſum ex eo confirmari poteſt quod idem [c] Photius teſtetur, & *Pædagogi* libros tres, & librum illum, quo Clemens Gentium refellit impietatem, *nihil ſimile habere cum hypotypoſibus, ſed ſtolidis illis ac blaſphemis opinionibus omnino vacare.* Quin etiam ubi monuit [d] *Stromateon librum alicubi tradere non ſana*, ſtatim addit, *non tamen ut Hypotypoſes; nam multa etiam quæ ibi dicta fuerunt oppugnat.* Quæ cùm ita ſint, neminem

ὥσπερ ἔμπληκτος, ἀθροίζει τὰ ῥητά. . . . .

[a] Hiſt. Eccl. lib. 5. cap. 11.

[b] De Eccl. Script.

[c] Phot. Biblioth. cod. 109. Edit. Hoeſchel. pag. 154. Οὐδὲν δὲ ὅμοιον ἔχουσι πρὸς τὰς ὑποτυπώσεις οὗτοι οἱ λόγοι. τῶν τε γὰρ ματαίων καὶ βλασφήμων ἀπηλλαγμένοι δοξῶν καθεστήκασι. . . . .

[d] Ibid pag. 155. Αὕτη δὲ ἡ τῶν στρωματέων βίβλος ἐνιαχοῦ οὐχ ὑγιῶς διαλαμβάνει· οὐ μέντοι ὥσπερ αἱ ὑποτυπώσεις, ἀλλὰ καὶ πρὸς πολλὰ τῶν ἐκεῖ διαμάχεται.

eſſe puto, qui non fateatur, Clementis Alexandrini *Hypotypoſes*, vel perfidè à Photio deſcriptas fuiſſe, vel quod ſimilius vero eſt, fuiſſe olim ab Hæreticis adulteratas.

CAPUT VII.

Origenis ſaltem libros aliquot ab Hæreticis fuiſſe falſatos.

DE adulteratione librorum Origenis vetus eſt quæſtio, & jam tum quarto exeunte ſæculo agitata inter magni nominis viros S. Hieronymum & Rufinum. Eandem hac noſtrâ ætate eruditè ac diligenter, ut cætera omnia, excuſſit [a] illuſtriſſimus atque doctiſſimus Epiſcopus Petrus Daniel Huetius.

Ac primò certum eſt Dialogum ſive diſceptationem Origenis Adamantii cum Candido Valentiniano hæretico fuiſſe olim ab ipſo Candido adulteratam. Hujus rei non alius teſtis appellabitur quàm Origenes, cujus hîc verba referemus.... « Qui-
» dam eorum, inquit [b], qui libenter amant
» criminari proximos ſuos, adſcribunt no-

[a] Origenian. lib. 2. cap. 3. num. 10. tom. 1. pag. 187. & ſeq.

[b] Ep. ad amicos Alexandrinos, quam refert Ruf. apud Hieronym. tom. 5. nov. Edit. pag. 251.

bis & doctrinæ noſtræ crimen blaſphemiæ, "
quam à nobis nunquam audierunt, de quo "
ipſi viderint : nolentes obſervare manda- "
tum illud quod dicit : quia [a] *maledici re-* "
gnum Dei non poſſidebunt : dicentes patrem "
malitiæ ac perditionis & eorum qui de "
regno Dei ejiciuntur, ideſt, Diabolum me "
dicere eſſe ſalvandum : quod ne quidem "
mente motus & inſaniens dicere poteſt. "
Sed nihil mihi mirum videtur, ſi adulte- "
retur doctrina mea ab inimicis meis & tali "
adulterio corrumpatur, quali adulterio "
corrupta eſt Epiſtola Pauli Apoſtoli. Qui- "
dam enim ſub nomine Pauli Apoſtoli fal- "
ſam Epiſtolam ſcripſerunt, ut conturba- "
rent Theſſalonicenſes, quaſi inſtaret dies "
Domini & ſeducerent eos. [b] *Rogamus au-* "
tem vos, fratres, per adventum Domini noſtri "
Jeſu Chriſti & veſtram congregationem in ip- "
ſum : ut non moveamini citò à ſenſu veſtro, "
neque terreamini, neque per ſpiritum, neque "
per verbum, neque per Epiſtolam tanquam per "
nos miſſam, quaſi inſtet dies Domini, nemo "
vos ſeducat ullo modo. "

Talia ergo quædam video nobis accide- "
re. Nam quidam * auctor hæreſeos, cùm "
ſub præſentia multorum habita fuiſſet in- "
ter nos diſputatio, & deſcriptum accipiens "

[a] 1. Corint. 6. 10.
[b] 2. Theſſal. 2. 1. 2. 3.

* Candidus Hæreticus Valentinianus.

» ab his qui deſcripſerant codicem, quæ vo-
» luit addidit, & quæ voluit abſtulit, & quod
» ei viſum eſt permutavit: circumferens tan-
» quam ex nomine noſtro, inſultans & oſten-
» dens ea quæ ipſe conſcripſit. Pro quibus
» indignantes Fratres qui in Palæſtina ſunt,
» miſerunt ad me Athenas hominem, qui
» acciperet à me ipſum authenticum exem-
» plar, quod ne relectum quidem vel recen-
» ſitum à me antea fuerat: ſed ita neglectum
» jacebat, ut vix inveniri potuerit: miſi ta-
» men, & ſub teſte Deo loquor, quoniam
» cùm conveniſſem illum ipſum, qui adulte-
» raverat librum, quare hoc feciſſet: velut
» ſatisfaciens mihi reſpondit: Quoniam ma-
» gis volui ornare diſputationem ipſam at-
» que purgare. Videte quali purgatione diſ-
» putationem noſtram purgavit? Tali nem-
» pe, quali purgatione Marcion Evangelia,
» vel Apoſtolum, vel quali ſucceſſor ejus poſt
» ipſum Apelles. Nam ſicut illi ſubverterunt
» Scripturarum veritatem; ſic & iſte ſublatis
» quæ verè dicta ſunt, ob noſtri criminatio-
» nem inſeruit quæ falſa ſunt. Sed licèt ho-
» mines Hæretici & impii ſint, qui hæc facere
» auſi ſunt: tamen habebunt & illi judicem
» Deum, qui talibus adversùm nos crimina-
» tionibus accommodant fidem. Fecerunt
» autem hoc & alii nonnulli conturbare vo-
» lentes Eccleſias.

Denique

Denique in Epheſo cùm me vidiſſet qui- «
dam Hæreticus, & congredi noluiſſet, ne- «
que omnino os ſuum aperuiſſet apud me, «
ſed neſcio qua ex cauſa id facere vitaſſet : «
poſtea ex nomine meo & ſuo conſcripſit, «
qualem voluit diſputationem, & miſit ad «
diſcipulos ſuos, ut ego quidem cognovi, «
ad eos qui Romæ erant : ſed non dubito «
quin & ad alios, qui per diverſa ſunt. In- «
ſultabat autem & apud Antiochiam, priuſ- «
quam ego illuc venirem : ita ut ad quam- «
plurimos noſtrorum perveniret ipſa diſpu- «
tatio quam paraverat. Sed ubi affui, mul- «
tis eum præſentibus argui. Cúmque jam «
ſine ullo pudore pertenderet impudenter «
aſſerere falſitatem, popoſci ut liber defer- «
retur in medium : ut ſcelus meum agnoſ- «
ceretur à fratribus, qui utique cognoſce- «
rent quæ ſoleo diſputare, vel quali ſoleo uti «
doctrinâ. Quique cùm auſus non eſſet pro- «
ferre librum, convictus ab omnibus & con- «
futatus eſt falſitatis : & ita perſuaſum eſt «
fratribus, ne aurem criminationibus præ- «
berent. «

Si quis ergo vult credere mihi in conſ- «
pectu Dei loquenti : etiam de his quæ in «
Epiſtola mea conficta ſunt & inſerta, cre- «
dat. Sin autem quis non credit, ſed vult de «
me malè loqui, mihi quidem nihil damni «
confert : erit autem ipſe factus teſtis apud «

„ Deum, adversùs proximum ſuum teſtimo-
„ nium falſum dicens, vel dicentibus cre-
„ dens.

Alia præterea fuit ejuſdem Adamantii Epiſtola, in quâ, Rufino teſte [a], *ſimilem de librorum ſuorum falſitate querimoniam* inſtituebat. *Cujus Epiſtolæ exemplar*, inquit Rufinus [b], *in præſenti non habui: ut etiam ipſius teſtimonium his pro fide veritatis adjungerem.* Atque hac fortaſſe in Epiſtola Adamantius nova falſitatis exempla proferebat. Certè ſanctus Hieronymus non negat has in utraque Epiſtola haberi querimonias, neque Origenem injuſtè & falsò conqueſtum eſſe ait: ſed contendit non idcirco *ab Origene argui hæreticam falſitatem in cæteris ſuis libris.*

Igitur duplex hoc in loco moveri poteſt quæſtio: prior, an aliquod ex operibus Origenis reipſa perfidas adulterantium Hæreticorum manus expertum fuerit: altera, an id dici poſſit de pluribus ejuſdem Scriptoris operibus. Illa & ipſius Origenis teſtimonio & Hieronymi aſſenſu videtur planè definita; ipſe enim Origenes diſceptationem ſuam cum Candido Hæretico ab eodem adulteratam fuiſſe palam conqueſtus eſt: neque Hieronymus, aut ullus alius,

[a] De adult. lib. Origen. tom. 5. Hier. N. Ed. p. 252.

[b] Ibid.

quem ſciam, eſt refragatus. At poſterior hæc quæſtio multò majorem habet difficultatem. Ait Rufinus plurima Origenis ſcripta ab Hæreticis fuiſſe corrupta; plurimoſque & eruditos habet hac in parte adſtipulatores. Hoc ipſum negat ſanctus Hieronymus, opinionemque Rufini validiſſimis argumentis confutat: quæ ad Pammachium & Oceanum ſcribens breviter in unum congeſſit. « Illud verò quod aſſerunt, [a] inquit, à quibuſdam Hæreticis & malevolis hominibus libros ejus (Origenis) eſſe violatos, quàm ineptum ſit, hinc probari poteſt. Quis prudentior, doctior, eloquentior Euſebio & Didymo, aſſertoribus Origenis, inveniri poteſt? Quorum alter ſex voluminibus τῆς ἀπολογίας ita eum ut ſe ſenſiſſe confirmat: alter ſic ejus errores nititur excuſare, ut tamen illius eſſe fateatur; non ſcriptum negans, ſed ſenſum ſcribentis ediſſerens. Aliud eſt, ſi quæ ab Hæreticis addita ſunt, Didymus quaſi bene dicta defendat. Solus ſcilicet inventus eſt Origenes, cujus ſcripta in toto orbe pariter falſarentur: & quaſi ad Mithridatis litteras, omnis veritas uno die de voluminibus illius raderetur. Si unus violatus eſt liber, num univerſa ejus opera, quæ diverſis & locis & temporibus edidit, ſimul cor-

[a] Hier. tom. 4. N. Edit. Epiſt. 41. pag. 347.

» rumpi potuerunt? Ipſe Origenes in Epiſto-
» la quam ſcribit ad Fabianum Romanæ ur-
» bis Epiſcopum, pœnitentiam agit cur talia
» ſcripſerit: & cauſas temeritatis in Ambro-
» ſium refert, quod ſecretò edita in publi-
» cum protulerit: & quid adhuc εὑρεσιλογοῦσιν
» aliena eſſe quæ diſplicent?

Ita Hieronymus, qui triplicem ob cauſam negat dici debere corrupta Origenis opera. 1. Quòd antiquiſſimi & doctiſſimi *aſſertores Origenis* non confugerint ad iſtud excuſationis genus. 2. Quòd quemadmodum ad Mithridatis litteras omnes Romani cives uno die in Aſia interempti ſunt, non ſic potuerint omnia Origenis volumina ſimul ubique terrarum falſari, & ita falſari, ut ne unum quidem integrum remaneret. 3. Quòd ipſe Origenes in litteris ad Fabianum Romanum Pontificem ſeſe excuſans, eos qui in libris ſuis notabantur errores non rejiciat in Hæreticorum perfidiam, ſed in præcipitem Ambroſii temeritatem, qui ſecretò ſibi credita nec emendata in publicum improvidè protulerat. Quibus Hieronymi argumentis fateor me admodum moveri, & tantùm non deduci in eam ſententiam, ut negem ullos alios Origenis libros, præter diſputationem cum Candido, fuiſſe olim ab Hæreticis corruptos & interpolatos.

Verùm etſi non auſim aſſentiri his, qui prava dogmata quæ in libris Origenis occurrunt, omnia rejiciunt in Hæreticos falſarios : tamen contendo ipſorum opinionem non debere ullâ cenſurâ notari. Illam Rufinus ex eo ſtabilire conatur, quòd ſi quæ leguntur apud Origenem quæ veritatis regula non admittit, apud eundem demonſtrentur alia, non ſolùm ab his diverſa, ſed etiam contraria. « Dubitari non puto, « inquit [a], quod hoc nullo genere fieri po- « tuit, ut vir tam eruditus, tam prudens, « certè quod indulgere etiam accuſatores « ejus poſſunt, vir qui neque ſtultus neque « inſanus fuerit, ipſe ſibi contraria & repu- « gnantia in ſuis ſententiis ſcriberet. Aut « etiam ſi ullo genere concedamus hoc acci- « dere potuiſſe : fortaſſis enim dicit aliquis, « quia ea quæ in prima ætate conſcripſit, « potuit fieri ut oblivïſceretur in ætate ver- « genti, & aliter quàm aliquando ſenſerat, « poſt proferret : quid faciemus, quòd inter- « dum in eiſdem locis, atque, ut ita dixe- « rim in conſequenti pene capite ſententiæ « contrarii ſenſus inveniuntur inſerti ? Num- « quid in eodem opere ejuſdem libri inter- « dum, ut diximus, ſtatim in conſequenti « capitulo oblitus ſui eſſe potuit ? Verbi cau- « sâ, ut qui ſuperiùs dixerat nuſquam inve- «

[a] De adult. libr. Orig. apud Hier. tom. 5. nov. Edit. p. 249.

„ niri in omni Scriptura, ubi Spiritus ſanctus „ factus vel creatus eſſe diceretur, continuò „ ſubjiceret, inter cæteras creaturas factum „ eſſe Spiritum ſanctum? aut iterum qui „ Patrem & Filium unius ſubſtantiæ, quod „ Græcè ὁμοούσιον dicitur, deſignavit, in con- „ ſequentibus ſtatim capitulis alterius eſſe „ ſubſtantiæ: & creatum poterat dicere eum „ quem paulò antè de ipſa natura Dei Patris „ pronunciaverat natum? vel iterum de re- „ ſurrectione carnis, qui tam evidenter pro- „ nunciavit naturam carnis in cœlum aſcen- „ diſſe cum Verbo Dei, atque inibi cœleſti- „ bus apparuiſſe virtutibus, novum & admi- „ randum eis ſui viſum præbentem, poſſibi- „ le erat ut hanc iterum non diceret eſſe ſal- „ vandam? Quia ergo hæc incidere ne in „ eum quidem poterant, qui vel mente mo- „ tus, vel cerebro eſſet inſanus; quid ſit „ in cauſa quàm poſſum breviter edocebo. „ Quanta ſit Hæreticorum temeritas, quàm „ nihil his ſancti, nihil penſi ſit: facilè in- „ telligi datur ex his quæ frequenter & auſi „ ſunt & convicti. Nam ſicut ipſorum patri „ Diabolo ab initio falſare verba Dei, atque „ inflectere à ſuo ordine, & ſui veneni inſe- „ rere virus ſtudium fuit: ita & ipſis ſucceſ- „ ſoribus ſuis hanc ſuæ artis hæreditatem re- „ liquit.

Deinde aliquot aliorum Patrum libros

ſimili modo aſſerit fuiſſe corruptos: ipſum verò Origenem non unam lucubrationum ſuarum corruptelam ab Hæreticis profectam deprehendiſſe probat ex illis Epiſtolis, quas ſuprà laudavimus: Denique ita concludit. « Quòd [a] in veteribus ſanctis.... «
quorum ſuperiùs fecimus mentionem, ſolo argumento ex rerum conſequentia ac «
recti tenore præſumpto oſtenditur ac probatur: quòd ſi quid in libris eorum contra «
Eccleſiaſticam fidem invenitur, id inſertum ab Hæreticis potiùs quàm ab his ipſis «
ſcriptum putetur: hoc in Origene, non «
argumento ſolo ſimili, ut in illis, ſed teſtimonio querimoniarum ſuarum ex ſuis «
ſcriptis prolato, abſurdum non puto ſi «
credatur, ne velut ſtultus aliquis, aut inſanus contraria ſibi ſcripſiſſe videatur. «

Idem rurſum in prologo quem præfixit ad libros Origenis περὶ ἀρχῶν, quos Latinè interpretatus eſt,[b] *iſtos præcipuè libros ab Hæreticis & malevolis corruptos eſſe* ait. Neque primus olim Rufinus ita ſenſit: ſignificat[c] enim in ipſo Orationis ſuæ exordio defenſionis genus, quod propoſiturus eſt, non eſſe novum, ſed ab antiquis temporibus *ad ſua uſque perveniſſe.*

Scio Hieronymum hoc in loco fidem

[a] Ibid. p. 252.
[b] Ibid. p. 254.
[c] Apud Hieronym. tom. 5. nov. Edit. p. 249.

Rufini deſideraſſe, ac contendiſſe, nec verba appellari poſſe, in quibus Origenes aliter ſenſiſſe deprehenditur, nec veteres Origenis defenſores uſos eſſe hoc excuſationis genere. Nam præter illa quæ ſuperiùs retulimus ex Epiſtola 41. in Apologia
» etiam Rufinum ſic compellat: « Tu oſten-
» de, [a] inquit, in quo ejus opere contraria
» legeris. Nolo, dicas, *quæ de eiſdem rebus in*
» *aliis locis ejuſdem Auctoris Catholicè dicta le-*
» *geram*, ne me mittas ad ſex millia libro-
» rum ejus, quos legiſſe Beatum Papam Epi-
» phanium criminaris; ſed ipſa loca nomi-
» na: nec hoc mihi ſufficiet, niſi eadem di-
» cta ad verbum protuleris. » Rurſum paulò
» poſt: « Nolo dicas, [b] inquit, verbi causâ,
» *ut qui ſuperiùs dixerat*: ſed ipſum librum
» nomina, ubi priùs bene dixerit, & poſtea
» malè.... » Quibus in locis apertè ſignificat Hieronymus, probari non poſſe ab adverſario, reipſa Origenem aliis in locis Catholicè, in aliis Hæreticè eſſe locutum, atque ita Rufino præripit præcipuum hoc argumentum, quo falſatos fuiſſe Origenis libros contendebat.

Deinde ad eos etiam rediens, qui Apologias pro Origene ſcripſerant, Euſebium
» ſcilicet & Didymum. « Vir doctiſſimus Eu-

[a] Apol. adv. Ruf. lib. 1. tom. 4. nov. Edit. pag. 403. & ſeq.
[b] Ibid. pag. 407.

ſebius, [a] inquit, per ſex volumina nihil « aliud agit, niſi ut Origenem ſuæ oſtendat « fidei, ideſt, Arianæ perfidiæ. Et multa po- « nit exempla, & hoc conſtanter probat. « Tibi ergo in quo ſomnio Alexandrini car- « ceris revelatum eſt: ut quæ ille vera con- « fitetur, falſata confingas? Sed forſitan hic, « ut Arianus, ab Hæreticis addita in occa- « ſionem ſui traxit erroris, ne ſolus malè « ſenſiſſe contra Eccleſiam putaretur. Quid « reſpondebis pro Didymo, qui certè in Tri- « nitate Catholicus eſt? Cujus etiam nos de « Spiritu ſancto librum in Latinam linguam « vertimus. Certè hic in his, quæ ab Hære- « ticis in Origenis operibus addita ſunt, con- « ſentire non potuit; & in ipſis περὶ ἀρχῶν, « quos tu interpretatus es, libris breves di- « ctavit Commentariolos, quibus non nega- « ret ab Origene ſcripta, quæ ſcripta ſunt: « ſed nos ſimplices homines non poſſe intel- « ligere quæ dicuntur, & quo ſenſu in bo- « nam partem accipi debeant, perſuadere « conatur. Hoc dumtaxat de Filio & Spiritu « ſancto. Cæterùm in aliis dogmatibus & Eu- « ſebius & Didymus apertiſſimè in Origenis « ſcita concedunt: & quod omnes Eccleſiæ « reprobant, Catholicè & piè dictum eſſe « defendunt. » Hæc ut Rufinum refellat, « Hieronymus: cui facilè me adjungerem,

[a] Ibid. pag. 407.

ſi nemo Rufini de adulteratis Origenis libris opinionem olim ſecutus eſſet, aut etiamnum ſequeretur. Verùm hac in parte Rufino multi aſſenſi ſunt.

Ac primò Photius deſcribit lectam à ſe Apologiam pro Origene, *cujus Auctor*, [a] inquit, *multam adhibet operam, ut demonſtret dogmata illa, quibus ipſe aſſentiri non audet, vel exercitationis dumtaxat causâ ab Origene dicta eſſe, vel certè ab aliis qui diverſa ſentirent, ejus ſcriptis inſerta fuiſſe. Teſtem hujus laudans eum ipſum* (Origenem) *hoc clamantem atque contendentem, eum viventem etiamnum ipſum talem deprehendiſſe fallaciam refert.* Hæc Photius de auctore Anonymo, quem ait *à blaſphemis Origenis opinionibus liberum omnino non fuiſſe* : quique Auctor ea confirmat quæ à Rufino in cauſa Origenis fuerant prolata.

Hieronymi ac Rufini æqualis Severus Sulpicius, quid ipſe de Origenis libris ſentiret, non aperuit quidem : ſed quæ ætate ſuâ multorum de iiſdem libris eſſet opinio, fusè exponit his verbis : « Septimo die, [b] in-

[a] Phot. Biblioth. cod. 117. Edit Hoëſchel. pag. 158. . . . . . πολλὴν εἰσάγει σπουδὴν ἀποφῆναι· ἢ γυμνασίας αὐτῷ χάριν εἰρῆσθαι, ἢ ὑπό τινων ἑτεροδόξων τοῖς αὐτοῦ συγγράμμασι παρεμβεβλῆσθαι. καὶ παράγειν καὶ αὐτὸν ἐκεῖνον τοῦτο βοῶντα καὶ διατεινόμενον. Φωράσαι γὰρ αὐτὸν, φησὶ, καὶ ἔτι ζῶντα, ταύτην κατ' αὐτοῦ τὴν ῥᾳδιουργίαν.

[b] Dial. 1. cap. 3. mag. Bibl. Patr. tom. 6. pag. 358. & 359.

quit, Alexandriam pervenimus, ubi fœda inter Epiſcopos atque Monachos certamina gerebantur, ex ea occaſione, quia congregati in unum ſæpiùs Sacerdotes frequentibus decreviſſe Synodis videbantur, ne quis Origenis libros legeret aut haberet, qui Tractator Sacrarum Scripturarum periſſimus habebatur. Sed Epiſcopi quædam in libris ipſius inſaniùs ſcripta memorabant, quæ aſſertores ejus defendere non auſi, *ab Hæreticis potiùs fraudulenter inſerta dicebant* : & ideo non propter illa, quæ in reprehenſionem meritò vocarentur, etiam reliqua eſſe damnanda, cùm legentium fides facile poſſit habere diſcrimen, ne falſata ſequeretur, & tamen Catholicè diſputata retineret. Non eſſe autem mirum ſi in libris neotericis & recèns ſcriptis fraus hæretica fuiſſet operata, quæ in quibuſdam locis non timuiſſet incidere Evangelicam veritatem. Adversùs hæc Epiſcopi obſtinatiùs renitentes, pro poteſtate cogebant recta etiam univerſa cum pravis & cum ipſo Auctore damnare: quia ſatis ſuperque ſufficerent libri, quos Eccleſia recepiſſet: reſpuendam eſſe penitus lectionem, quæ plus eſſet nocitura inſipientibus, quàm profutura ſapientibus. Mihi autem ex illius libris quædam curioſiùs indaganti admodum multa placuerunt: ſed nonnulla

» deprehendi in quibus illum prava ſenſiſſe
» non dubium eſt, *quæ defenſores ejus falſata*
» *contendunt.* Ego miror unum eumdemque
» hominem tam diverſum à ſe eſſe potuiſſe,
» ut in ea parte quæ probatur, neminem
» poſt Apoſtolos habeat æqualem : in ea ve-
» rò quæ jure reprehenditur, nemo defor-
» miùs doceatur erraſſe.... Ex ſtudiis par-
» tium orta eſt ſeditio.... nec verò auſus
» ſum de quoquam temerè judicare : præ-
» ſtantiſſimi tamen viri & doctiſſimi fereban-
» tur in hoc certamine diſſidere.

Hæc & alia Severus Sulpitius de Origenis libris, in quibus non negat errores graviſſimos reperiri : verùm ipſo teſte, tunc contendebant Origenis defenſores, qui plurimi erant, atque inter eos præſtantiſſimi & doctiſſimi viri : contendebant, inquam, errores illos ab Hæreticis fuiſſe *fraudulenter inſertos.* Non ſolus ergo Rufinus, cui S. Hieronymus exprobrare id videtur, hanc defendendi Origenis viam iniverat. Sulpitius autem, quanquam non auſus eſt de *quoquam temerè judicare :* tamen ſe in eorum propendiſſe partes, qui falſatum Origenem volebant, non obſcurè ſignificat, cum ait *mirari ſe unum eumdemque hominem tam diverſum à ſe eſſe potuiſſe.*

Opinionem hanc de adulteratis Origenis operibus multò apertiùs amplectitur &

calculo ſuo comprobat Vincentius Lirinenſis his verbis: *Sed dicet aliquis* [a] *corruptos eſſe Origenis libros. Non reſiſto: quin potiùs & malo: nam id à quibuſdam & traditum & ſcriptum eſt, non Catholicis tantùm, ſed etiam Hæreticis.* Quinam illi fuerint ſive Catholici, ſive Hæretici, à quibus & traditum & ſcriptum erat, *corruptos fuiſſe Origenis libros*, non exponit Vinçentius Lirinenſis. Verùm ſive Rufinum & Anonymum illum, de quo Photius; ſive Alexandrinos Monachos, de quibus Severus Sulpitius; ſive etiam alios hoc in loco deſignatos voluit: affirmat certè aliquos fuiſſe, qui hoc tradiderint & ſcripſerint: & ſe ipſis ultrò adjungit.

Vincentium ſequitur ejuſdem ævi ſcriptor *Prædeſtinati* auctor, Origeniſque libros falſatos eſſe docet, primùm quidem ab Apellitis, deinde à duobus aliis Hæreticis. « Quia innumerabilia ſunt, inquit [b], tractatorum ejus (Origenis) volumina, Hæretici (ab eo) ſuperati libros ejus ad ſuos libitus callida argumentatione mutarunt; ut quos vellent decipere, dicerent ita Origenem ſuis expoſitionibus definiviſſe. Unde quicumque uſque hodie Origenem legit, ſi

[a] Commonit. 1. cap. 23. Maxim. Biblioth. Patr. tom. 7. pag. 257.

[b] Lib. 1. Hæreſ. 22. quæ eſt Apellitarum. Apud Sirm. nov. Ed. tom. 1. pag. 473.

» prudenti eum novit recitatione diſtingue-
» re, deprehendit loca ab Hæreticis vitiata,
» quod ita eſſe ſanctus Pamphilus martyr in
» ſuo Apologetico declaravit.

Hæreſibus autem 42. & 43. poſtquam docuit duos extitiſſe Origenes ſceleratiſſimos, diverſoſque ab illo magno Origene
» Adamantio : addit hæc verba : « Hi [a] duo
» Origenes prava quæque ſcripſerunt. Hæ-
» retici & perverſi Doctores noſtro Origeni
» Catholico tractatori miſcuerunt, ut adim-
» pleretur quod dicitur à Domino in Evan-
» geliis, *nonne bonum ſemen ſeminaſti in agro*
» *tuo? unde ergo habet hæc zizania? Qui reſpon-*
» *dens, ait, Inimicus homo hoc fecit.* Ideo enim
» Origenem legentes invenimus Catholicum
» & contra hæreſes dimicantem & vincen-
» tem : identidem legentes invenimus Hære-
» ticum & adverſa fidei adſtruentem.... nam
» & illud cavendum eſt, quod Ampullianus
» quidam Hæſiarches Bithynius, qui doce-
» bat poſt Origenem Eccleſiam Dei. Hic in-
» currit talem hæreſim, ut diceret omnes
» criminoſos cum Diabolo & Dæmoniis eò
» uſque in gehenna decoqui, quo puri red-
» diti poſſint indè mundi & immaculati egre-
» di.... Hic dum argueretur ab univerſali
» Eccleſia, cœpit proferre libros Origenis,
» quos ipſe vitiaverat, & dicere : *Ecce quia*

[a] Ibid. pag. 480.

Origenes ita ſenſit ; & præcipuè in quatuor «
Periarchon libris. Sed qui ſani ſenſus eſt, «
& habet ſplendidos oculos, ſic videt ad- «
dita in Origenis opuſculis mala iſta, at- «
que cognoſcit, ſicut ſi in ſtragulo coccineo «
pannos albos aut cujuſque alterius coloris «
cernat adſutos. Quod ita eſſe ſanctus mar- «
tyr Pamphilus docet, qui antequam ad «
martyrii coronam adtingeret, irreprehen- «
ſibiliter Cathedram Epiſcopatûs obtinuit, «
& ſanam doctrinam populis miniſtravit. «
Hic edidit Apologeticum, & omnia quæ «
de Origene Catholico ignorantes men- «
tiuntur excluſit, oſtendens ea, quæ repre- «
henſibilia inveniuntur in ejus opuſculis, «
Origenis non eſſe; ſed eorum quos ipſe «
ſuperaverat: alia verò, quæ tota perverſa «
ſunt, aliorum duorum Hæreticorum eſſe, «
qui Origenis nomen, non fidem, nec con- «
ſcientiam habuerunt. «

Ita liber, qui inſcribitur *Prædeſtinatus* : ubi ſatis apertè ſignificatur, opinionem quam Auctor ſequitur, fuiſſe his temporibus communem, quanquam in eo fallitur quod affirmet illam à Pamphilo martyre eſſe traditam.

Perſeverabat illa eadem opinio adhuc nono ſæculo, ſiquidem [a] Haimo Halberſta-

[a] De Chriſtianarum rerum memoria lib. 6. cap. 3. Edit. Roman. Manutii pag. 301.

tenſis, qui tunc florebat, de Origene ſic
» loquitur. « Ego ſanè de eo, ſalvâ fide Pa-
» trum dixerim, vel quòd hæc (hæretica)
» omnino non ſcripſerit, ſed ab Hæreticis
» ob præclarum nomen ejus offuſcandum
» malignè conficta ſint & conſcripta & no-
» mine ſuo prætitulata: vel ſi ſcripſit, non
» ſtatuit ex ſententia, ſed diſſeruit ex opi-
» nione.

Jam verò quod Rufinus, Severus Sulpitius, atque Ægyptii Monachi ſcripſerunt quarto ſæculo; Quod Vincentius Lirinenſis & *Prædeſtinatus* quinto, & alii poſterioribus ſæculis Catholici Scriptores tradiderunt: ſi quis nunc credat, an ille dicendus eſt ſanctos Patres ſuſpectos facere velle?

Si ita exiſtimat Cuſtantius, meminerit ad veteres iſtos Scriptores ſeſe his noſtris temporibus adjunxiſſe quoſdam eruditos viros; atque in primis jam à me laudatum doctiſſimum Abrincarum Epiſcopum, Petrum Danielem Huetium: cujus hîc verba
» referre juvat: « Cùm ab Hæreticis violata
» eſſe conſtaret Origeniana volumina, [a] in-
» quit, ſi quæ ſententiarum deprehendeba-
» tur varietas, meritò in Hæreticorum frau-
» des varietatis cauſa convertebatur. » Rurſum inferiùs docet [b] *potiſſimum Origeni ex*

[a] Origenian. tom. 1. p. 28. lib. 2. in Prol. cap. 1.

[b] Tom. 1. pag. 187. lib. 2. cap. 3. num. 10.

librorum

librorum ipſius depravatione patrocinium conciliari. Et verò quod multis mirum videbitur, Rufinum ipſum, qui in Hæreticos operum Origenis corruptores vehementiſſime invehitur, ſimilis perfidiæ Hieronymus accuſat his verbis. *Qui falſitatem librorum Origenis*[a] *Hæreticis imputat, ipſe incipit à falſitate, non ita interpretans ut habetur in Græco, nec id Latinis inſinuans, quòd ipſe in his litteris profitetur....*

Hanc quoque adversùs Rufinum accuſationem doctiſſimus Huetius inſtaurat, cum[b] ait: « Nocuiſſe & illud Origeni, « quod maximæ lucubrationum ſuarum par- « tis Rufinum interpretem nactus eſt. Cujus « tanta, inquit, in Latinè reddendis Vete- « rum ſcriptis, & tam immoderata licen- « tia, quemadmodum ſæpè monuimus, cùm « multa detrahendo, vel inſertiendo, tùm « pleraque interpolando & recoquendo, ut « intelligere debeat quicumque converſum à « Rufino Scriptorem aliquem leget, non tam « ſe Auctoris illius, quàm Rufini ſententias « & verba legere. Eò verò latiùs patet id « vitium quod ipſum Origenianæ doctrinæ « fontem libros περὶ ἀρχῶν, unus ille ad nos « derivarit, & ſuis quidem ſordibus inquinatos; cujus teſtem citamus Rufinum ipſum «

[a] Hier. Apol. adv. Ruf. lib. 2. tom. 4. part. 2. pag. 411.

[b] Orig. Tom. 1. lib. 2. cap. 10. num. 5. p. 186.

» in Prologo, & in Præfatione libri tertii. »
Hæc illuſtriſſimus Epiſcopus, quem nemo, opinor, inconcuſſam Traditionis Patrum vim infringere voluiſſe ſuſpicabitur.

CAPUT VIII.

S. Auguſtinum illis ſeſe adjunxiſſe, qui exiſtimarunt ab Hæreticis ea eſſe malitiosè ſuppreſſa, quibus S. Cyprianus ſuum de baptiſmo errorem correxerat.

QUia ego ſcripſi nonnulla ſanctorum Patrum loca ab Hæreticis fuiſſe malitiosè depravata; inſurrexit in me novus veterum codicum Vindex, ratus concedi non poſſe aliqua Patrum opera fuiſſe olim ab Hæreticis falſata, quin codices omnes, quibus veterum Patrum lucubrationes continentur, ſuſpecti fiant. Non ita ſenſit olim Auguſtinus: nec timuit ſeſe illis adjungere, qui S. Cypriani opuſcula per fraudem depravata exiſtimarent, & quædam in iis fuiſſe ſuppreſſa.

Nempe Catholicæ veritatis defenſores non pauci, cùm ſcirent Beati Cypriani ſanctitatem prædicari ab omnibus, eumque pro Chriſti fide mortem fortiter obiiſſe: non poterant in animum inducere, ta-

lem virum *aliter de baptiſmo ſenſiſſe, quàm forma & conſuetudo habebat Eccleſiæ.* Quare alii dicebant ipſum *correxiſſe iſtam ſententiam, ſed ſuppreſſum eſſe ab iis qui hoc errore nimium delectati ſunt, & tanto velut patrocinio carere noluerunt.* Contendebant alii hoc *Cyprianum prorſus non ſenſiſſe, ſed ſub ejus nomine à præſumptoribus atque mendacibus fuiſſe confictum.* Utrique corrupta exiſtimabant quædam Cypriani opuſcula; nam ſive ea ſuppreſſa ſunt loca, quibus errorem hunc ſuum Cyprianus retractavit & correxit: ſive conficta alia, quibus eundem errorem adversùs Stephanum Romanum Pontificem vividè tuetur & acriter defendit: neque illa malitiosè ſupprimi, neque hæc mendaciter confingi profectò potuerunt, quin opuſcula aliquot ſancti Cypriani adulterarentur. Quid ad hæc Auguſtinus?

Priorem opinionem tanquam probabilem ſequitur. « Non incongruenter de tali viro exiſtimandum eſt, inquit[a], quòd iſtam ſententiam correxerit, & fortaſſe ſuppreſſum ſit ab eis, qui hoc errore nimiùm delectati ſunt, & tanto velut patrocinio carere noluerunt. » Poſteriorem autem opinionem rejicit quidem, ſed nullâ cenſurâ

[a] Ep. 93. aliàs 48. ad Vinc. Rogat. num. 38. tom. 2. nov. Edition. pag. 246.

perſtringit : imò docet nihil illâ affirmari,
» quod ſit incredibile. » Neque enim,[a] inquit,
» ſic potuit integritas atque notitia littera-
» rum unius quamlibet illuſtris Epiſcopi cu-
» ſtodiri, quemadmodum Scriptura Cano-
» nica.... contra quam tamen non defue-
» runt qui ſub nominibus Apoſtolorum mul-
» ta confingerent. Fruſtrà quidem.... ve-
» rùm quid poſſit adversùs Scripturas non
» Canonica auctoritate fundatas, etiam hinc
» demonſtravit impiæ conatus audaciæ.... »
Ac poſtquam oſtendit fieri potuiſſe ut ſub Cypriani nomine aliquot Epiſtolæ confingerentur : probat litteras illas quibus Cyprianus ſignificat ſe *aliter de baptiſmo ſentire, quàm forma & conſuetudo habebat Eccle-*
» *ſiæ*, non eſſe illi reipſa abjudicandas. « Nos
» tamen, inquit[b], duas ob res non negamus,
» illud ſenſiſſe Cyprianum : quòd & ſtylus
» ejus habet quandam propriam faciem,
» quâ poſſit agnoſci, & quod ibi magis con-
» tra vos (Donatiſtas & Rogatianos alloqui-
» tur) noſtra cauſa monſtratur invictior, ve-
» ſtræque ſeparationis præſumptio, &c.

Hinc debemus intelligere, quam ſcribendi rationem in his controverſiis tenere debeamus. Poteſt ſanè quiſque, pro jure ſuo, id quod verum judicat, ſtatuere. Poſſunt ii, quibus ita videtur, integra dicere

[a] Ibid. | [b] Ibid. num. 39.

ſanctorum Patrum loca, quæ ego Hereticorum fraude vitiata fuiſſe contendo. Poſſunt, ut Auguſtinus, id quod ſentiunt, argumentis tueri ac ſtabilire. Poſſunt, ſiquidem in ea ſunt opinione, Felicem Orgelitanum, & Gotheſcalci fautores à crimine falſi abſolvere. At non debent uti invidioſo ſcribendi genere : non debent ea adverſariis crimina affingere, à quibus maximè abhorrent. Debent potiùs præcavere, ne quam nobis accuſationem immeritò intendunt, ea recidat in ipſum S. Auguſtinum, in pleroſque Patres & Scriptores Eccleſiaſticos, quorum magna pars, eandem Hæreticis, quam ego, in falſandis Veterum ſcriptis perfidiam objecit.

CAPUT IX.

Non poſſe reprehendi, ſi quis nunc contendat Dionyſii Alexandrini libros olim ab obtrectatoribus ejus fuiſſe corruptos.

IN Dionyſii Alexandrini libris inſerta quædam à malevolis hominibus fuiſſe Rufinus contendit. « Dionyſius quoque « Alexandrinus Epiſcopus, eruditiſſimus aſ- « ſertor Eccleſiaſticæ fidei, inquit [a], cùm in «

[a] De adulterat. lib. Origen. apud Hier. tom. 5. pag. 250. & 251.

» quamplurimis in tantum veritatem atque
» æqualitatem Trinitatis defendat, ut impe-
» ritioribus quibuſque etiam ſecundùm Sa-
» bellium ſenſiſſe videatur; in his tamen li-
» bris ſuis, quos adversùs Sabellii hæreſim
» ſcribit, talia inveniuntur inſerta, ut fre-
» quenter Ariani auctoritate ipſius ſe defen-
» dere conentur. Propter quod & S. Epiſco-
» pus Athanaſius compulſus eſt Apologeti-
» cum pro libris ejus ſcribere : pro eo quod
» certus erat, non illum diverſe potuiſſe ſen-
» tire, ſibique ipſi contraria ſcribere : ſed
» quòd inſerta hæc à malevolis noſſet.» Ubi Rufinus duobus argumentis probat adulteratos fuiſſe Dionyſii Alexandrini libros : primò quia *non poterat* vir tantus *diversè ſentire, ſibique ipſi contraria ſcribere* : ſecundò quòd quædam à malevolis inſerta fuiſſe in libris Dionyſii ipſe olim S. Athanaſius comperiſſet.

Primum quidem Rufini argumentum irridet Hieronymus & planè rejicit : « Dum
» omnia ad Hæreticos refers, [a] inquit Rufi-
» num alloquens, quid Eccleſiaſticis tribues,
» quibus proprium nihil relinquis? Et quo-
» modo, inquies, in libris eorum vitioſa non-
» nulla ſunt? Si me cauſas vitiorum neſcire
» reſpondero, non ſtatim illos Hæreticos ju-
» dicabo. Fieri enim poteſt ut vel ſimpliciter

[a] Apolog. adv. Ruf. lib. 2. tom. 4. pag. 409.

erraverint, vel alio ſenſu ſcripſerint, vel à « librariis imperitis eorum paulatim ſcripta « corrupta ſint. Vel certè antequam in Ale- « xandria, quaſi Dæmonium meridianum, « Arius naſceretur, innocenter quædam & « minùs cautè loquuti ſunt, & quæ non poſ- « ſint perverſorum hominum calumniam de- « clinare. » Sic primum Rufini argumentum « refellit Hieronymus.

Alterum autem ab Athanaſii auctoritate petitum declinat potiùs & eludit, quàm confutat. « Objiciuntur, [a] inquit, Origeni « crimina, & tu non illum defendis; ſed alios « accuſas; nec crimen renuis, ſed crimino- « ſorum turbam requiris. Si tibi diceretur « quos habet Origenes in hæreſi ſocios, re- « ctè iſta proferres. Nunc à te quæritur, hæc « quæ in Origenis libris ſcripta reperiuntur, « bona ſint, an mala. Taces, & pro his alia « loqueris: *Clemens hoc ait; Dionyſius in iſto* « *errore deprehenditur; Athanaſius Epiſcopus* « *ſic Dionyſii defendit errorem; Apoſtolorum* « *ſcripta ſimiliter depravata ſunt.*

Mox tranſit ad alia, nec ultrà expendit, an reipſa ſenſerit Athanaſius corruptos olim fuiſſe à malevolis hominibus Dionyſii libros. Tamen ne id omnino confiteri videretur generatim pronuntiat [b] *de Græcis & antiquis Rufinum pro vetuſtate tempo-*

[a] Ibid. pag. 411. | [b] Ibid. pag. 415.

rum & longinquitate regionum habere licentiam quidquid voluerit mentiendi.

Ex quo reſpondendi modo planè colligerem Rufinum nihil falſi Athanaſio tribuiſſe, niſi etiamnum ſupereſſet ipſius Athanaſii de ſententia Dionyſii Epiſtola, quam poteſt quiſque conſulere. In ea autem unum mihi occurrit, quo Rufini opinio nitatur: nempe Dionyſium Alexandrinum in Epiſtola, quam inſcripſit *Apologiam & Elenchum*, apud cognominem Dionyſium Romanum Epiſcopum queri, [a] *quòd accuſatores non omni ex parte integra, ſed decurtata ipſius dicta referant, & quòd non bonâ conſcientiâ, ſed malâ loquantur, ut volunt.* Quibus verbis manifeſtè quidem adverſariis crimen falſi objicit: ſed non exprimit, an illi Epiſtolam ipſam Romano Pontifici, ſed truncatam exhibuerint, an ſolùm loca quædam ex illa fraudulenter excerpta propoſuerint. Primùm videtur intellexiſſe Rufinus; neque jam convinci poteſt falſi, cùm verba Athanaſii ambigua ſint; neque habeamus Dionyſii Apologiam, aut libellum accuſationis, unde veritas erui poſſet. At ſi quis Rufini eâ de re ſententiam nunc

[a] Athan. Epiſt. de Sent. Dionyſii num. 14. nov. Edit. tom. 1. part. 1. pag. 253. .... αἰτιᾶται τοὺς κατειπόντας αὐτοῦ, ὡς μὴ ὁλοκλήρους λέγοντας, ἀλλὰ περικόπτοντας αὐτοῦ τὰς λέξεις, καὶ ὡς μὴ καλῇ συνειδήσει, ἀλλὰ πονηρᾷ λαλοῦντας, ὡς θέλουσι.

defendere velit, quis hunc idcirco in invidiam vocet?

Sed quoniam de Dionyſio Alexandrino ſemel mentionem fecimus: abs re non erit puto, antequam huic capiti finis imponatur, pauca dicere de graviſſimo mendo, quod novæ Scriptorum Eccleſiaſticorum Bibliothecæ auctori Gallico imprudenter excidit: quod miratus eram non eſſe notatum ab iis, qui in illam Bibliothecam Animadverſionum libros aliquot ediderunt: ſed quod prætermiſerunt in tomo primo, ubi de Dionyſio Alexandrino agitur, obſervatum ab iis eſt in ſecundo [a], ubi quæ ſpectant ad S. Athanaſii opera, diſcutiuntur. Novæ ergo Bibliothecæ auctor docet Dionyſium Alexandrinum *cum Eccleſia Catholica ſentire de Trinitate*: hoc rectè quidem; cùm certum ſit nullum ex Antenicænis Patribus orthodoxam de Trinitate doctrinam clariùs & accuratiùs docuiſſe. At idem addit à ſanctiſſimo atque doctiſſimo Epiſcopo *non probari uſum hujus vocabuli*, CONSUBSTANTIALIS: hoc verò falſiſſimè. Ipſius Dionyſii hæc verba ſunt: « In alia Epiſtola, inquit [b], criminationem « eorum (adverſariorum nempe) depuli, «

[a] Pag. 143. & ſeq.

[b] Athan. Epiſt. de Sent. Dionyſ. num. 18. nov. Edit. tom. 1. part. 1. pag. 255. Ἅπερ καὶ σοὶ δι' ἄλλης ἐπιστολῆς ἔγραψα· ἐν οἷς ἤλεγξα, καὶ ὃ προ-

» mendacemque oſtendi, qua aïebant me » Chriſtum negare eſſe Deo *conſubſtantialem.* » Tametſi enim fateor me hoc vocabulum » nuſquam in Scripturis Sacris vel inveniſſe, » vel legiſſe : attamen argumenta mea quæ » ſubſequuntur, quæque iſti tacuerunt, ab » hac ſententia nihil diſcrepant. » An quæſo, qui ita loquitur, cenſendus eſt improbare uſum hujus vocabuli, *conſubſtantialis ?*

Certè aliter de Dionyſio judicavit Athanaſius, qui cùm illum ipſum locum, quem recitavi, laudaſſet, Arianos ſic compellat. » « Quod verò aïunt [a] alienum eſſe Filium à » ſubſtantia Patris, apertè reſpuit (Diony» ſius) cum dicit, *conſubſtantialem Patri eſſe* » *Filium.* Hic ſanè ſummopere miranda im» piorum hominum impudentia, Dionyſio » namque, quem doctrinæ ſuæ paria ſenſiſſe » affirmant, dicente, *conſubſtantialem eſſe Fi-* » *lium* .... ipſi tamen non ſecus ac culices » circumquaque ſuſurrant, quaſi Synodus » *conſubſtantialis* vocem haud rectè ſcripto » mandavit. Si enim ſibi amicum Dionyſium

φέρουσιν ἔγκλημα κατ' ἐμοῦ ψεῦδος ὄν, ὡς οὐ λέγοντος τὸν Χριστὸν ὁμοούσιον εἶναι τῷ θεῷ. εἰ γὰρ καὶ τὸ ὄνομα τοῦτό φημι μὴ εὑρηκέναι, μηδ' ἀνεγνωκέναι που τῶν ἁγίων γραφῶν, ἀλλά γε τὰ ἐπιχειρήματά μου τὰ ἑξῆς, ἃ σεσιωπήκασι, τῆς διανοίας ταύτης οὐκ ἀπάδει.

[a] Ibid. num. 19. pag. 256. Τὸ δὲ λέγειν αὐτοὺς, ἀλλότριον εἶναι τὸν υἱὸν τῆς τοῦ πατρὸς οὐσίας, ἄντικρυς πατεῖ λέγων ὁμοούσιον εἶναι τοῦ πατρὸς τὸν υἱόν.... αὐτοὶ περιέρχονται ὡς κώνωπες περιβομβοῦντες, ὡς οὐκ ὀρθῶς γραψάσης τῆς συνόδου τὸ ὁμοούσιον. εἰ γὰρ Διονύσιός ἐστιν αὐτοῖς

exiſtimant, ne doctrinam negent viri ſe- “
cum ſentientis. Quod ſi putant id non re- “
ctè dictum fuiſſe, quare Dionyſium, qui “
id ipſum ait, quaſi ſecum ſentientem jacti- “
tant? Cùm præſertim is non obiter hoc di- “
cat, ſed aliis antea miſſis Epiſtolis, eos qui “
ſe inſimulabant, quaſi diceret Filium non “
eſſe Patri conſubſtantialem, mendacii “
coarguat. “

Ita cenſuit de Dionyſio Athanaſius: ita Dionyſius de ſe teſtatus eſt. Cur ergo dicatur improbaſſe uſum hujus vocabuli *conſubſtantialis*? nempe fatetur ſe *hoc vocabulum in Scripturis Sacris nec inveniſſe, nec legiſſe.* At ſi nomen *conſubſtantialis* rejeciſſe dicuntur, quicumque fatentur illud in Scripturis Sacris non reperiri: jam ipſi Athanaſius & Hilarius, & omnes fidei Nicænæ defenſores dicendi erunt improbaſſe uſum hujus vocis? Quis enim dicere velit nomen illud in Scripturis Sacris reperiri?

φίλος, μὴ ἀρνείσθωσαν τὰ τοῦ ὁμόφρονος. εἰ δὲ νομίζουσι μὴ ὀρθῶς εἰρῆσθαι, πῶς τὸν τοῦτο λέγοντα Διονύσιον θρυλλοῦσιν, ὡς τὰ αὐτῶν φρονοῦντα: μάλιστα ὅτι οὐδὲ ἐκ παρέργου ταῦτα λέγων φαίνεται, ἀλλὰ πρότερον ἄλλας ἐπιστολὰς γράψας, τοὺς μὲν κατειρηκότας αὐτοῦ ὡς μὴ λέγοντος ὁμοούσιον τὸν υἱὸν τῷ πατρὶ διελέγχει ψευδομένους.

Caput X.

Alſii Cæciliani Epiſtolam ab Ingentio Donatiſta fuiſſe falſatam: Item veteribus quibuſdam Actis multa eſſe addita ab iiſdem Donatiſtis.

SAnctus Auguſtinus cùm vidiſſet in Africa quoſdam libri Eccleſiaſtici codices, in quibus deerant verba iſta [a], *& iterum tangit illum*, quæ è Sacro textu eradi Donatiſtarum intererat: ratus iſtorum fraude fuiſſe eraſa, hoc ipſis ſcelus palam exprobravit. Falsò quidem, ut ingenuè poſteà confeſſus eſt, non tamen temerè. Noverat enim Donatiſtarum ingenium & impudentiſſimam in falſandis ſcriptis audaciam: ſciebat perditiſſimam ipſorum ſectam his artibus adoleviſſe, his ſuccreviſſe.

Enimvero cùm primùm ſciſſio in Eccleſia Carthaginenſi ab iis facta eſt, qui Donatiſtæ vocati ſunt; ſtatim illi hominibus probis ut fucum facerent, ſuamque perverſitatem aliquo pietatis colore illinirent, & ſi fieri poſſet obtegerent, ficto *Traditionis* crimine Felicem Aptungenſem Epiſcopum, à quo Cæcilianus fuerat ordinatus, per ca-

[a] 34. 30.

lumniam accuſarunt. Quæ calumnia in eorum, qui texuerant opprobrium vertit & infamiam. Nam cùm rei veritatem Ælianus Proconſul juſſu Conſtantini diligentiùs perſcrutaretur, & impactæ accuſationis probationem requireret [a], inducti ſunt à Donatiſtis varii teſtes, atque inter alios ſubornatus eſt Ingentius Ziquenſium civitatis Decurio, Scriba publicus, ſed falſarius, ut manifeſtè deprehenſum eſt.

Iſte ergo Alfii Cæciliani in municipio Autumnitanorum Duumviri Epiſtolam produxit, quæ etiamnum hodie legitur integra in *Geſtis purgationis Felicis*. Qua in Epiſtola Alfius inducitur ſcribens ad Felicem ſe, dum gereret Magiſtratum, traditos ipſius Felicis operâ Libros Sacros accepiſſe, & juxta Imperatorum Edicta combuſſiſſe. Manifeſta probatio, ſi modò Epiſtola omni ex parte fuiſſet vera, nec adulterata. Alfium [b] ergo Proconſul interrogat, Epiſtolam-ne ſcripſerit; dixit, primam quidem ejus partem, poſtulante Ingentio, à ſe dictatam fuiſſe: alteram verò, in qua Libri Sacri dicuntur Felicis ſcelere traditi & exuſti, negavit ſcriptam à ſe vel dictatam. Alfii teſtimonio convictus Ingentius,

[a] Optat. de Schiſm. Donat. lib. 1. cap. 27. Geſta purgationis Felicis, apud Optat. pag. 255. &c.

[b] Geſta purg. Felicis apud Optat. pag. 255. & ſeq.

perfidiam ſuam non auſus ſuſtinere pertinaciter, confeſſus eſt [a] à ſe addita fuiſſe ea omnia, quibus Felici *Traditionis* crimen imponitur: *Erravi, dixit huic Epiſtolæ ego addidi, dolens causâ Mauri hoſpitis*, quem Felix communione Catholica privatum voluerat.

Quod *Geſta purgationis Felicis* comprobant, quod Optatus iſtorum temporum vicinus narrat, hoc ipſum declarat Conſtantini & Licinii Imperatorum Epiſtola ad Probianum Africæ Proconſulem Æliani ſucceſſorem, quam integram habemus [b] apud Auguſtinum: qua in Epiſtola Imperatores ſic loquuntur: « Cùm Cæciliano » (Carthaginenſi) fuiſſet objectum, quòd à » Felice eidem Epiſcopatus fuiſſet delatus, » cui divinarum Scripturarum proditio at- » què exuſtio videretur objecta, innocentem » de eo Felicem fuiſſe conſtitit. Denique » cùm Maximus Ingentium Decurionem Zi- » quenſium civitatis Epiſtolam Cæciliani Ex- » duumviri falſaſſe contenderet, eundem In- » gentium ſuſpenſum Actis quæ ſuberant per- » vidimus, & ideo minimè tortum, quod ſe » Decurionem Ziquenſium civitatis aſſeve- » raverit.

[a] Ibid. pag. 257. item Optat. de Schiſm. Donat. lib. 1. cap. 28.

[b] Nov. Edit. tom. 2. pag. 214. Epiſt. 88. aliàs 68. num. 4.

Commiſſum ab Ingentio falſi crimen pariter teſtatum habemus in Epiſtola, quam ſanctus Auguſtinus ſuo & totius Concilii Zertenſis nomine ſcripſit ad Donatiſtas. « Felicis Aptungenſis Cæciliani ordinatoris, [a] inquit, cauſam in medio miſerunt dicentes, Felicem fuiſſe *Traditorem*, à quo Cæcilianus fuerat ordinatus : & ejuſdem Conſtantini pro Cæciliano contra ſeipſos litteras protulerunt, ubi ad Proconſulem ſcripſit, ut ad Comitatum ſuum mitteretur Ingentius. Iſte autem Ingentius confeſſus fuerat in cognitione Æliani Proconſulis falſum ſe feciſſe adversùs Felicem Cæciliani ordinatorem. » Atque hæc teſtimonia ſunt, ex quibus conſtat Alfii Exduumviri Epiſtolam fuiſſe ab Ingentio Donatiſtarum fautore adulteratam, ut Felici Aptungenſi Epiſcopo Cæciliani Carthaginenſis ordinatori *Traditionis* crimen falsò & per calumniam imponeretur.

Neque ſolùm hoc falſi crimen à Donatiſtis commiſſum eſt; quippe in iiſdem *Geſtis purgationis Felicis*, quæ ſuperiùs laudata ſunt, hæc leguntur : « Apronianus [b] dixit : Nec novum eſt illis (Donatiſtis ſcilicet) hoc facere. Cæterùm & Actis addiderunt, quæ voluerunt. Jam artificium eſt illis. »

[a] Epiſt. 141. aliàs 152. num. 10. nov. Edit. tom. 2. p. 460.

[b] Apud Optat. pag. 257. N. Edit.

Neque ſolis Donatiſtis, ſed aliis omnibus Schiſmaticis & Hæreticis hujuſmodi machinationes fraudulentas familiares fuiſſe idem paulò antè affirmaverat: nam cùm Alfius Epiſtolam ſuam falſatam eſſe con-
» tenderet, » Apronianus [a] dixit : ſemper ſic
» falſum per terrorem, per ſcenam, per ir-
» religioſam mentem actum eſt ab his, qui
» Catholicæ Eccleſiæ conſentire noluerunt.

Nunc videat Cuſtantius, velit-ne contra tot Eccleſiaſticorum monumentorum fidem Ingentium Scribam publicum à Donatiſtis inſtructum & [b] *ſubornatum*, cæteroſque Donatiſtas & Hæreticos à crimine falſi abſolvere ? cenſeat-ne etiamnum crimen iſtud his objici non poſſe, quin Eccleſiaſticorum monumentorum fides, atque adeo Traditionis Patrum auctoritas convellatur ? Si ita ſentit, contradicit non Auguſtino ſolùm, ſed etiam Catholico Hipponenſi Clero, cujus nomine ſcripta eſt Epiſtola, quæ octogeſima octava inter Auguſtinianas habetur ; atque univerſis Concilii Zertenſis Patribus, quorum nomina ſimul cum Auguſtini nomine inſcripta ſunt Epiſtolæ centeſimæ quadrageſimæ primæ, quam ſuperiùs laudavimus.

[a] Ibid. pag. 255. | [b] Ibid.

CAPUT XI.

CAPUT XI.

Falſatum fuiſſe à Rufino titulum Apologetici pro Origene libri, & Pamphilo Martyri librum eſſe fraudulenter attributum, qui erat Euſebii Cæſarienſis.

RUfinus ſæpiſſimè ait, à Pamphilo Martyre ſcriptam fuiſſe pro libris Origenis Apologiam, quam ipſe ex Græca lingua in Latinam convertit. Rufini auctoritate decepti ſunt quamplurimi; atque inter illos Hieronymus, qui fatetur ſe perdiù crediḋiſſe Apologiam hanc re ipsâ eſſe Pamphili. Verùm idem re poſtea diligentiùs exploratâ, comperit, fucum ſibi factum eſſe à Rufino, à quo Pamphili Martyris nomen Euſebii Cæſarienſis nomini fuerat perfidè ſubſtitutum; commiſſam fraudem multis argumentis arguit, ac palàm demonſtrat.

Primò certum eſt Pamphilum Martyrem nihil unquam proprii operis edidiſſe; atque adeo non eſſe auctorem libri Apologetici pro Origene. Nullum à Pamphilo editum fuiſſe librum conſtat manifeſto Euſebii Cæſarienſis teſtimonio. « Ipſe Euſebius, verba ſunt Hieronymi, ipſe Euſe- «

» bius [a] amator & præco & contubernalis
» Pamphili, tres libros ſcripſit elegantiſſi-
» mos, vitam Pamphili continentes: in qui-
» bus cùm cætera miris laudibus prædica-
» ret, humilitatemque ejus ferret in cœlum,
» etiam hoc in tertio libro addidit: *Quis ſtu-*
» *dioſorum amicus non fuit Pamphili? Si quos*
» *videbat ad victum neceſſariis indigere, præbe-*
» *bat largè quæ poterat. Scripturas quoque ſan-*
» *ctas non ad legendum tantùm, ſed & ad ha-*
» *bendum tribuebat promptiſſimè. Nec ſolùm vi-*
» *ris, ſed & fœminis, quas vidiſſet lectioni de-*
» *ditas. Unde & multos codices præparabat; ut*
» *quum neceſſitas popoſciſſet, volentibus largire-*
» *tur. Et ipſe quidem proprii operis nihil omnino*
» *ſcripſit, exceptis Epiſtolis quas ad amicos fortè*
» *mittebat; in tantum ſe humilitate dejecerat.*
» *Veterum autem tractatus Scriptorum legebat*
» *ſtudioſiſſimè, & in eorum meditatione jugiter*
» *verſabatur.*

Hæc de Pamphilo Euſebius: quæ poſtquam Hieronymus recitavit, ſic Rufinum
» compellat. « Defenſor Origenis [b] & lau-
» dator Pamphili (Euſebius) dicit Pamphi-
» lum nihil omnino ſcripſiſſe, nec proprii
» quicquam condidiſſe ſermonis. Et hoc di-
» cit jam Pamphilo martyrio coronato, ne
» habeas ſuffugium poſt editos ab Euſebio li-

[a] Lib. 1. Apol. adv. Rufin. tom. 4. nov. Edit. pag. 357.

[b] Ibid. pag. 359.

bros hoc Pamphilum ſcripſiſſe. Quid fa- «
cies? Eo libro quem ſub nomine Martyris «
edidiſti, vulneratæ ſunt conſcientiæ pluri- «
morum.... Melius eſt te pœnitere facti «
tui, quàm & Martyrem in calumnia & de- «
ceptos in errore perſiſtere. «

Igitur cùm certum ſit Pamphilum Martyrem *proprii operis nihil omnino ſcripſiſſe, exceptis Epiſtolis*; quis non ſentiat falsò & mendaciter ipſi à Rufino attributam fuiſſe Apologiam pro Origene? Et verò ſi aliquam pro Origene Apologiam compoſuiſſet Pamphilus, nec iſtud ignoraſſet Euſebius ejus contubernalis: nec ſi cognoviſſet, diſſimulaſſet profectò; cùm ſua non parvi intereſſet cauſæ Origenianæ, quam tuebatur, aſſertorem habere tam illuſtrem Martyrem. Atqui tamen diſertè affirmat Pamphilum *proprii operis nihil omnino ſcripſiſſe, exceptis Epiſtolis, quas ad amicos fortè mittebat*, & iſtud affirmat *Pamphilo jam martyrio coronato.*

2. Neque verò incertum eſt, cujus auctoris fuerit opus illud, cui Rufinus Pamphili Martyris nomen falsò inſcripſerat. Erat ipſius Euſebii Cæſarienſis Epiſcopi, quem libros ſex Ἀπολογίας ὑπὲρ Ὠριγένους compoſuiſſe nemo ignorat. Rufinus ergo cùm videret Euſebii nomen malè apud Catholicos audire, primum ex libris ſex Euſebia-

nis, adulterato titulo, Pamphilo Martyri aſcripſit. Stultè omnino & imprudenter. Nam ſi liber ille Pamphilo aſcribitur, ubi erit primus Euſebii? Deinde non obſervavit, certiſſima ex ipſo opere deduci argumenta, quibus evincatur & primi & aliorum quinque librorum unum & eundem eſſe auctorem. Nam & in primo mentio fit aliorum qui erant ſecuturi, & in ſecundo ac reliquis mentio fit primi. Unde conſequens eſt aut nullam, aut omnes hujus operis partes tribuendas fuiſſe Pamphilo. Cùm autem ne Rufinus quidem dubitaverit, quin libri quinque poſteriores ipſius Euſebii fuerint: nonniſi malâ fide videtur potuiſſe primum aſcribere Pamphilo. Sed ipſum audiamus Hieronymum.

» Sex libros, inquit, [a] Euſebius Cæſarien-
» ſis Epiſcopus, Arianæ quondam ſignifer
» factionis, pro Origene ſcripſit, latiſſimum
» & elaboratum opus; & multis teſtimoniis
» approbavit Origenem juxta ſe Catholi-
» cum, id eſt, juxta nos Arianum eſſe. Ho-
» rum tu primum librum vertis ſub nomine
» Martyris.... (ſed) ſi iſte Pamphili liber
» eſt, de ſex libris, quis erit primus Euſe-
» bii? In ipſo enim volumine, quod tu Pam-
» phili ſimulas, ſequentium librorum facta
» mentio eſt. In ſecundo quoque & reliquis

[a] Ibid. pag. 357.

dicit Euſebius quid in primo libro antè jam "
dixerit, & quod eadem repetere non de- "
beat. Si totum opus Pamphili eſt, cur re- "
liquos libros non transfers? Si alterius, cur "
nomen immutas? Taces: ipſæ res loquun- "
tur: videlicet ut crederent Martyri, qui "
Arianorum principem deteſtaturi erant. "
Quid tibi animi fuiſſe dicam, amice ſim- "
pliciſſime? Te-ne potuiſſe Hæretici homi- "
nis libro, Martyris nomen imponere; & "
ignaros ſub auctoritate teſtis Chriſti, Ori- "
genis facere defenſores? Pro eruditione "
quâ polles & inclytus συγγραφεὺς in Occi- "
dente laudaris; ita ut κορυφαῖον te omnes "
tuæ partis nominent, non reor te igno- "
raſſe Euſebii σύνταγμα, & Pamphilum Mar- "
tyrem nihil omnino operis condidiſſe. "

3. Ut controverſiam hanc planè defini-
ret Hieronymus, omnemque adverſario
anſam tricandi præriperet, ipſe Cæſarien-
ſem Bibliothecam adiit, ubi authentica &
primigenia Euſebianæ pro Origene Apo-
logiæ exemplaria aſſervata fuiſſe veriſimile
eſt. In qua cùm reperiſſet ſex volumina
Apologiæ pro Origene; ſingula Euſebii
nomen habere deprehendit, atque illud
ipſum, quod Rufinus Pamphili nomine
inſcripſerat. « Per interpretationem tuam, "
inquit [a] Hieronymus Rufinum alloquens, "

[a] Lib. 3. Apol. adv. Rufin. tom. 4. nov. Edit. p. 447.

» quæſtione contra Origenem toto orbe com-
» mota, in quærendis exemplaribus dili-
» gentior fui; & in Cæſarienſi Bibliotheca,
» Euſebii ſex volumina reperi Ἀπολογίας ὑπὲρ
» Ὠριγένους. Quæ cùm legiſſem, primum eum
» librum deprehendi, quem tu ſolus ſub no-
» mine Martyris edidiſti, de Filio & Spiritu
» ſancto in bonam partem pleriſque blaſphe-
» miis commutatis.

4. Poſtquam demonſtravit Hieronymus editum à Rufino Pamphili nomine librum, non eſſe Pamphili, ſed Euſebii, Rufinum
» ipſum ſic compellat. « De Pamphili libro [a]
» non ridiculoſa, ut tu ſcribis, ſed ridicula
» mihi fortè res accidit; ut poſtquam Euſe-
» bii aſſeruerim eſſe, non Pamphili, ad ex-
» tremum dixerim, etiam me annos pluri-
» mos hoc putaſſe, quod Pamphili fuerit, &
» à te exemplar hujus voluminis mutuatum.
» Vide quantùm timeam cachinnos tuos, ut
» etiam nunc eadem ingeram. De tuo codi-
» ce quaſi Pamphili exemplar accepimus.
» Credidi Chriſtiano, & credidi Monacho:
» non putavi tantum ſceleris à te poſſe con-
» fingi. » Ita Hieronymus priſtinum errorem ſuum fatetur, ejuſque cauſam hanc fuiſſe affirmat, quòd aïenti crediderit Rufino, à quo librum mutuatus erat.

Deinde ipſum Rufinum hortatur, ut vi-

[a] Ibid. pag. 447.

ciſſim aperiat, ſi poſſit, à quo exemplar illud ſuum acceperit. « Dic ergo & tu [a], inquit, à quo exemplar acceperis, nec mihi ad ſubterfugiendum crimen mortuos aliquos nomines; ut quum auctorem oſtendere non potueris, illum proferas, qui non poſſit reſpondere. Sin autem rivulus ille in tuis ſcriniis fontem habet; quid ſequatur, etiam me tacente, non dubitas. Verùm fac ab alio quolibet amatore Origenis, libri hujus titulum & auctoris vocabulum commutatum : cur hoc in Latinam linguam vertis ? Videlicet ut teſtimonio Martyris, omnes Origenis ſcriptis crederent : præmiſſâ munitione tanti auctoris & teſtis.... Ergo, frater, ſive à te falſatus eſt liber, ut multi putant, ſive ab altero, ut forſitam perſuadere conaberis, & temerè credidiſti Hæretici hominis σύνταγμα eſſe Martyris; muta titulum, & Romanam ſimplicitatem tanto periculo libera. Non tibi expedit, ut per te clariſſimus Martyr Hæreticus judicetur : ut qui effudit pro Chriſto ſanguinem, contrarius fidei Chriſti approbetur. Dic potiùs, inveni librum, putavi illum Martyris; ne timeas pœnitentiam. Jam te non urgebo; non quæram à quo acceperis : vel mortuorum aliquem nominato, vel in platea ab ignoto homine

[a] Ibid. pag. 449.

» té emiſſe dicito. Non enim damnationem
» tuam quærimus, ſed converſionem. Me-
» lius eſt, ut tu erraveris, quàm ut Martyr
» Hæreticus fuerit. Interim de præſenti com-
» pede utcumque erue pedem. In futuro ju-
» dicio tu videris, quid ad Martyris contra
» te reſpondeas querimonias.

5. Denique Rufinum re ipsâ reum fuiſſe fraudis, cujus ab Hieronymo accuſatur, mihi omnino perſuadet ipſa Rufini reſponſio. Argumenta enim, quibus adeo preſſus & in arctum conjectus fuerat, quâ tandem ratione confutat? Objecti criminis vix meminiſſe audet; argumenta verò quibus crimen probatum fuerat, ne attingit quidem:
» ſed eludit & planè diſſimulat. « Ad illam,
» [a] inquit, incuſationis ejus (Hieronymi)
» partem, ſuperfluum videtur vel reſponde-
» re aliquid, ubi piè & religiosè dicta Mar-
» tyris Pamphili, aut falsè dici vult; aut
» etiamſi vera ſint, ſpernenda decernit. Cui
» jam iſte deferat? cui jam pareat? omnes
» apud iſtum Græci Scriptores antiqui Eccle-
» ſiaſtici erraverunt. Latinis verò quomodo
» deroget, quomodo carpat ſingulos, vel
» Veterum, vel Novorum, diverſa ejus qui
» legit opuſcula, recognoſcit. Sed nunc ne
» Martyres quidem apud eum habere poſ-
» ſunt aliquid reverentiæ. Non, inquit, cre-

[a] Invect. lib. 2. apud Hier. tom. 4. nov. Ed. pag. 441.

do, quia Martyris ſit. Hoc ſi velimus de «
omnibus Scriptorum libellis; quæ erit in «
ſingulis probatio; ſi dicam: non eſt verum, «
quia Stromatum libri quos dicis Origenis «
ſunt: unde ipſius eſſe probantur? Ex cæte- «
rorum, inquit, ſimilitudine: ſed ſicut ille «
qui in Scriptura alicujus falſum facere vult, «
manum ejus imitatur: ita & qui ſua dicta «
ſub alterius nomine vult inſerere, ſtilum «
ſine dubio imitabitur ejus, cujus & nomen «
adſcivit. Deindè ut omnia quæ juſtiſſima «
dici poſſunt, brevitatis causâ præteream, «
ſi in tantum volebas audere, ut Martyrem «
reprehenderes: dicta ipſa quæ videbantur «
reprehenſibilia, in medium proferre de- «
bueras... Sed ponamus quod non ſit Mar- «
tyris libellus iſte, ſed cujuſcumque unius «
de Eccleſia: nunquid ſuis verbis uſus eſt, «
quiſquis ille eſt Scriptor, ut meritis ceden- «
dum videatur auctoris? De ipſis Origenis «
voluminibus ponit exempla, & quid de ſin- «
gulis ſentiat, non ſuis defenſoriis verbis, «
ſed ejus ipſius, qui accuſabatur, oſtendit. «
Et ſicut adversùm te modò multò meis «
verbis vehementiora ſunt tua ſcripta: ita «
illum non excuſantis auctoritas, ſed ſua «
dicta defendunt. Et ideo ſuperflua eſt de «
auctore quæſtio: ubi defenſio talis eſt, quæ «
defenſore non egeat. «

Non aliâ ratione Rufinus purgat ſe à cri-

mine falſi, quod in ipſum Hieronymus impegerat. Exprobraverat Hieronymus falſatum fuiſſe à Rufino Apologiæ pro Origene titulum, atque in eo Pamphili Martyris nomen pro Euſebii Cæſarienſis nomine poſitum. Atque hanc fraudem ut manifeſtam faceret, probaverat ipſius Euſebii teſtimonio aïentis, Pamphilum nihil proprii operis condidiſſe, atque adeo Apologiam pro Origene nunquam edidiſſe. Quid ad hæc Rufinus? Nihil. Demonſtraverat Hieronymus ex ipſo operis contextu, librum hunc ejuſdem eſſe auctoris, atque alios quinque libros, quos nemo negabat eſſe Euſebii. Et iſtud Rufinus prætermittit. Addiderat idem ſanctus Doctor in Bibliotheca Cæſarienſi librum ipſum, quem Rufinus ſub nomine Pamphili vulgaverat, haberi inſcriptum nomine Euſebii. Et hoc ipſum Rufinus diſſimulat. Denique hominem urget Hieronymus & petit, ut eum ſaltem appellet, à quo inſcriptum nomine Pamphili exemplar acceperit. Silet Rufinus, aut aliò divertit. Exclamat *ſperni* ab Hieronymo *Pamphilum: Martyres non poſſe apud eum habere aliquid reverentiæ: ſuperfluam eſſe de auctore quæſtionem, ubi defenſio talis eſt, quæ aſſertore non egeat.* Quo defenſionis genere qui utitur, nec aliâ ratione impactam ſibi criminationem refellit, cen-

ſetur certè crimen ſuum fateri, & prudentum omnium judicio pro convicto habetur. Neque hoc unum falſi crimen Rufino impoſitum eſt. Quid de Rufino ſenſerit Illuſtriſſimus Huetius jam [a] ſuperiùs diximus. Iſtud verò addimus, doctiſſimi Epiſcopi ſuffragium planè comprobari ab Heterodoxo quidem, ſed erudito Scriptore Guillelmo Cave, qui hoc de Rufino judicium tulit: [b] « Illud negari non poteſt, Rufinum « in vertendis è Græco ſermone aliorum « ſcriptis peſſimâ fide ut plurimùm egiſſe, « mutando, truncando, addendo: ut nova « potiùs, quàm aliena videri, poſſent; nec di- « vinando quis aſſequi valeret, quænam Ru- « fini, quænam ipſius Auctoris partes fue- « rint. » Quod poſtquam generatim pronunciavit vir doctus, [c] hæc addit de Eccleſiaſtica Euſebii Cæſarienſis Hiſtoria, quam Rufinus ex Græco ſermone in Latinum tranſtulit: « Subleſtâ fide verſionem iſtam « adornavit Rufinus, multis contractis, mul- « tis additis; dimidium libri octavi omiſit; « decimum vix attigit. «

[a] Sup. cap. 7. pag. 289.
[b] Script. Eccleſ. Hiſtor. Literar. ſæc. Arián. in Rufino.
[c] Ibid.

CAPUT XII.

Adulteratam olim fuiſſe à Neſtorianis ſancti Athanaſii ad Epictetum Epiſtolam : Similem, aut etiam majorem commiſſam eſſe fraudem in litteris Philippi Presbyteri Romani & Cyrilli Alexandrini.

EXtat adhuc inter opera ſancti Athanaſii celeberrima Epiſtola [a] ad Epictetum Corinthiorum Epiſcopum : eadem etiam integra habetur apud [b] Epiphanium. In ea porro ſanctiſſimus Doctor breviter caſtigat ac refellit temerariam quorumdam hominum dementiam, qui impias de carne Chriſti ſententias Corinthi propoſuerant. Illa quidem qualis nunc legitur, plane orthodoxa eſt, & omni ex parte ſincera. Fuiſſe tamen ab inimicis veritatis olim depravatam, non ſemel teſtatur ſanctus Cyrillus Alexandrinus : primò quidem in Epiſtola ad Joannem Antiochenum ſub finem, ubi perfidiam Hæreticorum exponit his verbis. « Quod autem [c] nonnulli ex

[a] Athan. tom. 1. part. 2. pag. 901.

[b] Hær. 77. num. 3. Pariſ. Pet. Edit. pag. 997.

[c] Cyrill. Alexand. Epiſt. ad Joan. Antioch. poſtr. part. tom. 5. pag. 108.

Ὅταν δέ τινες τῶν τὰ ὀρθὰ διχ-

iis, qui recta pervertere ſolent, verba mea « detorqueant ad opiniones ſuas, id ne mi- « retur ſanctitas tua : quæ non ignorat Hæ- « reticos omnes ex divina Scriptura erroris « ſui occaſiones colligere, & quæ rectè per « Spiritum ſanctum dicta ſunt, pravis opi- « nionibus ſuis corrumpere ; atque ſuper ca- « pita ſua flammam inextinguibilem conge- « rere. «

Deinde ad Epiſtolam Athanaſii veniens, ſic proſequitur. [a] « Quoniam verò didici- « mus, quoſdam orthodoxam celeberrimi « patris noſtri Athanaſii Epiſtolam ad Bea- « tum Epictetum, adulteratam edidiſſe, ut « inde multi injuriâ afficerentur ; nos rati « hoc utile fore & neceſſarium fratribus, ex « antiquis exemplaribus, quæ incorrupta « ſunt apud nos, ſimilia mittimus ſanctitati « tuæ. » Quem Cyrilli locum Ruſticus Ro- « manæ Eccleſiæ Diaconus integrum recita-

στρέφειν εἰωθότων τὰς ἐμὰς διαστρέψωσι φωνὰς εἰς ὃ αὐτοῖς δοκοῦν, μὴ θαυμαζέτω τοῦτο ἡ σὴ ὁσιότης, εἰδυῖα, ὅτι καὶ οἱ ἀπὸ πάσης αἱρέσεως ἐκ τῆς θεοπνεύστου γραφῆς τὰς τῆς ἑαυτῶν πλάνης συλλέγουσιν ἀφορμὰς, τὰ διὰ τοῦ ἁγίου πνεύματος ὀρθῶς εἰρημένα, ταῖς ἑαυτῶν κακονοίαις διαφθείροντες, καὶ ταῖς ἰδίαις ἑαυτῶν κεφαλαῖς τὴν ἄσβεστον ἐπαντλοῦντες φλόγα.

[a] Ibid. pag. 109.

Ἐπειδὴ δὲ μεμαθήκαμεν, ὅτι καὶ τὴν πρὸς τὸν μακάριον Ἐπίκτητον ἐπιστολὴν τοῦ πανευφήμου πατρὸς ἡμῶν Ἀθανασίου, ὀρθοδόξως ἔχουσαν, διαφθείραντές τινες ἐκδεδώκασιν, ὡς ἐντεῦθεν ἀδικεῖσθαι πολλοὺς, διὰ τοῦτο χρήσιμόν τι καὶ ἀναγκαῖον ἐπινοοῦντες τοῖς ἀδελφοῖς, ἐξ ἀντιγράφων ἀρχαίων, τῶν παρ' ἡμῖν, καὶ ἁπλῶς ἐχόντων, ἀπεστείλαμεν τὰ ἴσα τῇ σῇ ὁσιότητι.

vit [a] in diſputatione contra Acephalos.

Rem eandem rurſum Cyrillus exponit & fuſiùs in ſequenti Epiſtola ad Acacium
» Melitenenſem Epiſcopum. « Venit ad me,
» [b] inquit, Paulus religioſiſſimus Epiſcopus
» Emiſenus, & cùm de recta & inculpata
» fide ſermonem contuliſſemus, rogavit me
» valdè inſtanter, aſſentirer ne iis quæ ſcrip-
» ta ſunt à celeberrimo & beatiſſimo Patre
» noſtro Athanaſio ad Epictetum Corinthio-
» rum Epiſcopum. Ego verò dixi, ſi modò
» quod apud vos ſervatur ſcriptum, non eſt
» adulteratum (in eo enim depravata ſunt
» multa ab inimicis veritatis) aſſenſurum me
» prorſus & per omnia. Ille verò ad hæc reſ-
» pondit habere ſe Epiſtolam, & velle ſe ex
» iis, quæ apud nos erant, exemplaribus
» certiorem fieri & diſcere, an libri ſui cor-
» rupti eſſent, an non. Poſtquam ergo acce-
» piſſet vetuſta exemplaria, & cum iis quæ

[a] Mag. Bibliot. Patr. tom. 10. pag. 370.

[b] Cyrill. Alex. Ep. ad Acac. poſtr. part. tom. 5. pag. 120.
Ἀφίκετο γὰρ πρός με ὁ θεοσεβέστατος ἐπίσκοπος Παῦλος τῆς Ἐμισηνῶν· εἶτα λόγου κεκινημένου περὶ τῆς ὀρθῆς καὶ ἀμωμήτου πίστεως, διεπυνθάνετό μου, καὶ μάλα ἐσπουδασμένως, εἰ συμφωνῶ τοῖς γραφεῖσι παρὰ τοῦ τῆς ἀοιδίμου μνήμης, καὶ τρισμακαρίου πατρὸς ἡμῶν Ἀθανασίου πρὸς Ἐπίκτητον ἐπίσκοπον τῆς Κορινθίων. ἐγὼ δὲ ἔφην. ὅτι, εἰ σώζεται παρ' ὑμῖν οὐ νενοθευμένον τὸ γράμμα· παραπεποίηται γάρ τινα ἐν αὐτῷ πολλὰ παρὰ τῶν τῆς ἀληθείας ἐχθρῶν· συναινέσαι με ἂν πάντη τε, καὶ πάντως. ὁ δὲ πρὸς τοῦτο ἔφασκεν, ἔχειν μὲν καὶ αὐτὸς τὴν ἐπιστολὴν, βούλεσθαι δὲ καὶ ἐκ τῶν παρ' ἡμῖν ἀντιγράφων πληροφορηθῆναι, καὶ μαθεῖν, πότερόν ποτε τὰ αὐτῶν βιβλία παρεποιήθη, ἢ μή. καὶ δὴ καὶ λαβὼν ἀντίγραφα παλαιὰ, καὶ

attulerat, contuliſſet, deprehendit ſua eſſe «
adulterata : petiitque ut liceret ſimilia «
exemplaria ex noſtris deſcribere & mitte- «
re ad Eccleſiam Antiochenam : quod & «
factum eſt. » Quæ eadem iiſdemque verbis «
Cyrillus repetit in ſecunda ad Succenſum [a] Epiſtola.

Depravatam fuiſſe *ab inimicis veritatis* Epiſtolam Athanaſii Cyrillus ait : qui autem illi fuerint *veritatis inimici*, non diſertè dicit hoc in loco : ſignificat tamen hoc ſcelus à Neſtorianis eſſe profectum. Depravata enim exemplaria Cyrillus acceperat à Paulo Emiſeno, quem ad ipſum Joannes Antiochenus miſerat : unde credibile eſt in Syria maximè, ad quam Antiochia & Emiſa pertinebant, vulgata fuiſſe corrupta illa exemplaria : Antiochenum verò Patriarcham atque ejus Epiſcopos perdiu faviſſe Neſtorio nemo neſcit. Jure ergo Neſtorianos hujus falſitatis auctores fuiſſe, vel ex hoc ipſo loco quis ſuſpicaretur ?

Verùm rem Cyrillus non reliquit in dubio, ſed expreſſè declaravit in prima Epiſtola ad Succenſum Diocæſareæ in Iſaurienſi provincia Epiſcopum circa finem, ubi ſic loquitur. [b] « Neque verò illud tua «

οἷς ἐπεφέρετο συμβαλὼν, ηὕρισκε ταῦτα νενοθευμένα· καὶ προετρέψεν ἐκ τῶν παρ' ἡμῶν βιβλίων ἴσα ποιῆσαι, πέμψαι τε τῇ Ἀντιοχέων ἐκκλησίᾳ· ὃ δὴ καὶ γέγονε.

[a] Ibid. pag. 151.

[b] Cyrill. Alexand. Epiſtol. ad Succenſum, poſtrem. part.

» ſanctitas ignoret beatæ memoriæ Patrem
» noſtrum Athanaſium quondam Alexandri-
» num Epiſcopum, cùm per idem tempus
» quædam quæſtiones agitarentur, ſcripſiſſe
» Epiſtolam ad Epictetum Corinthiorum
» Epiſcopum omni veritate orthodoxâ ple-
» nam. Sed quia arguebatur ex illa Neſto-
» rius, & rectæ fidei defenſores illam legen-
» do eos convincebant, qui Neſtorio adhæ-
» rere volebant, hi deductis inde argumen-
» tis victi, machinati ſunt facinus improbum
» atque hæreticâ impietate dignum. Epiſto-
» lam enim quibuſdam detractis, nonnullis
» etiam adjectis, corruptam ediderunt; ut vi-
» deretur clariſſimus ille vir conſona Neſto-
» rio & ejus aſſeclis ſenſiſſe. Fuit ergo neceſ-
» ſarium, ne & apud te quidam corruptam
» Epiſtolam producerent, ex his quæ apud
» nos ſunt, exſcriptum exemplar mitti ad

tom. 5. pag. 140.

Μὴ ἀγνοείτω κἀκεῖνο ἡ σὴ ὁσιότης, ὅτι ὁ τῆς μακαρίας μνήμης πατὴρ ἡμῶν Ἀθανάσιος, ὁ γενόμενος κατὰ καιροὺς τῆς Ἀλεξανδρέων ἐπίσκοπος, κεκινημένων τινῶν κατ' ἐκεῖνο καιροῦ, ἔγραφεν ἐπιστολὴν πρὸς Ἐπίκτητον ἐπίσκοπον τῆς Κορίνθου, πάσης ὀρθοδοξίας μεστήν· ἐπεὶ δὲ ἠλέγχετο καὶ ἐξ αὐτῆς Νεστόριος, καὶ οἱ τῇ ὀρθῇ πίστει συναγορεύοντες, ταύτην ἀναγινώσκοντες, ἐξεδυσώπουν τοὺς τὰ αὐτὰ αὐτῷ φρονεῖν ἐθέλοντας, ἀπειρηκότες πρὸς τοὺς ἐντεῦθεν ἐλέγχους, ἐμηχανήσαντό τι πονηρὸν. καὶ τῆς αἱρετικῆς δυσσεβείας ἄξιον· παραφθείραντες γὰρ τὴν ἐπιστολὴν, καὶ τὰ μὲν ὑφελόντες, τὰ δὲ προσθέντες, ἐκδεδώκασιν· ὡς δοκεῖν καὶ τὸν ἀοίδιμον ἐκεῖνον συνῳδὰ τῷ Νεστορίῳ φρονεῖν, καὶ τοῖς ἀμφ' αὐτόν. ἦν οὖν ἀναγκαῖον ὑπὲρ τοῦ μὴ κἀκεῖσέ τινας παρεφθαρμένην αὐτὴν ἐπιδεικνύναι, ἐκ τῶν παρ' ἡμῖν ἀντιγράφων τὸ ἴσον λαβόντας, ἀποστεῖλαι τῇ

pietatem

pietatem tuam. Etenim prudentiſſimus & « religioſiſſimus Emiſenorum Epiſcopus Paulus, cùm veniſſet Alexandriam, movit ea « de re ſermonem, & comperit haberi à ſe « exemplar corruptum ab Hæreticis & de- « pravatum. Itaque judicavit ex noſtris ex- « ſcriptum exemplar mittendum eſſe ad An- « tiochenos, quod & fecimus. » Hactenus « Cyrillus, ex cujus verbis manifeſtum fit depravatæ Athanaſii Epiſtolæ non alios accuſari quàm Neſtorianos.

Quæ hujus Epiſtolæ loca depravata fuerint, non facile eſt ſigillatim definire. Verùm cùm non ignorentur fraudis auctores, conjicere licèt illa potiſſimùm loca ab iis corrupta fuiſſe, quibus maxime Neſtoriana hæreſis jugulabatur. Epiſtolam qualem nunc habemus, ſinceram eſſe & immunem ab omnibus nævis, quos Neſtoriani in illam induxerant, patet tum ex locis quæ & à Concilio [a] Epheſino & à Patribus frequenter ex illa laudantur, tum maximè ex Epiphanio; nam ſi quis Epiſtolæ exemplar quod in operibus Athanaſii legitur, cum

σῇ θεοσεβείᾳ. καὶ γὰρ ὁ εὐλαβέστατος καὶ θεοσεβέστατος τῆς Ἐμεσηνῶν ἐπίσκοπος Παῦλος, ἐλθὼν ἐν Ἀλεξανδρείᾳ, κεκίνηκε περὶ τούτου λόγον, καὶ εὑρέθη μὲν ἔχων τὸ ἴσον τῆς ἐπιστολῆς, παρεφθαρμένον δὲ καὶ παραποιηθὲν παρὰ τῶν αἱρετικῶν. ὥστε καὶ ἠξίωσεν ἐκ τῶν παρ' ἡμῖν ἀντιγράφων τὸ ἴσον τοῖς κατὰ τὴν Ἀντιόχειαν ἐκπεμφθῆναι, καὶ δὴ καὶ πεπόμφαμεν.

[a] Actione I. Edit. Labb. p. 509.

eo conferat, quod recitatur ab Epiphanio ſimilia omnino repererit. Non poteſt autem Epiphanii exemplar ſuſpectum eſſe; ſi quidem ipſe obiit initio quinti ſæculi: hæc autem Athanaſii Epiſtola non fuit à Neſtorianis depravata niſi poſt Epheſinam Synodum circa medium idem ſæculum. Porrò Cyrilli diligentiâ factum eſt, ut ſincera ubique haberetur Athanaſii Epiſtola. Quippe ubi primùm ipſi Neſtorianorum perfidia innotuit, curavit ſincera ejuſdem Epiſtolæ exemplaria deſcribi, deſcriptaque miſit in Syriam ad Joannem Antiochenum, in Iſaurienſem provinciam ad Succenſum Diocœſareæ Epiſcopum, in Armeniam minorem ad Acacium Melitenenſem, & in quæcumque alia loca ſuſpicatus eſt Neſtorianam fraudem perveniſſe, & perlatam fuiſſe depravatam Athanaſii Epiſtolam.

Similia aut etiam majora crimina iiſdem Neſtorianis exprobrat Cyrillus in fine jam laudatarum Epiſtolarum ad Acacium & ad
» Succenſum. « Si qui Epiſtolam, [a] inquit,
» tanquam à Philippo reverendiſſimo Ro-
» manæ Eccleſiæ Preſbytero ſcriptam attu-

[a] Cyrill. Alexand. Epiſt ad Acac. Meliten. Epiſ. circa fin. poſtr. part. tom. 5. pag. 120. & Epiſt. ſecunda ad Succenſ. Diocæſar. Epiſc. circa finem poſtr. part. tom. 5. pag. 151. Ἐὰν δ' περικομίζωσί τινες ἐπιστολὴν, ὡς γραφεῖσαν παρὰ τοῦ εὐλαβεστάτου πρεσβυτέρου τῆς Ῥωμαίων ἐκκλησίας Φιλίππου,

lerint, perinde ſonantem ac ſi ſanctiſſimus «
Epiſcopus Xyſtus depoſitionem Neſtorii «
moleſtè acceperit, eique opem tulerit : ne «
credat hoc ſanctitas tua. » Certè in men- «
tem Cyrilli nunquam veniſſet ea de re Acacium præmonere, niſi Neſtoriani vel Philippo Romanæ Eccleſiæ Preſbytero litteras ſuppoſuiſſent quas non ſcripſerat, vel eas adulteraſſent quas ſcripſerat. Iidem præterea Hæretici depravatam aut ſuppoſititiam Cyrilli Epiſtolam circumferebant, tanquam Cyrillum pœniteret eorum quæ Epheſi acta erant. Hoc ipſe ſignificat in iiſdem litteris ad Acacium. « Si qua verò «
Epiſtola, [a] inquit, à quibuſdam circumfe- «
ratur, tanquam à me de iis quæ Epheſi «
acta ſunt, jam dolente & pœnitentiam «
agente perſcripta, id quoque contemna- «
tur. Nam per gratiam Salvatoris noſtri ſa- «
nâ mente ſumus, neque rationis uſu exci- «
dimus. «

Triplicis ergo perfidiæ Neſtoriani, aliique veritatis inimici arguuntur à Cyrillo in prima ad Acacium Melitenenſem Epiſtola,

ὡσανεὶ τοῦ ὁσιωτάτου ἐπισκόπου Ξύστου χαλεπήναντος ἐπὶ τῇ Νεστορίου καθαιρέσει, καὶ ἀρήξαντος αὐτῷ, μὴ πιστευέτω τοῦτο ἡ σὴ ὁσιότης.

[a] Cyrill. Alexand. ibid.
Εἰ δὲ δὴ καὶ ὡς παρ' ἐμοῦ γραφεῖσαν περικομίζοιεν πρός τινων ἐπιστολὴν, ὡς μετανοοῦντος ἐφ' οἷς πεπράχαμεν κατὰ τὴν Ἐφεσίων πόλιν, γελάσθω καὶ τοῦτο. ἐσμὲν γὰρ διὰ τὴν τοῦ σωτῆρος χάριν ἐν καλῷ φρενὸς, καὶ τοῦ εἰκότος οὐκ ἐκπεφορήμεθα λογισμοῦ.

& in ſecunda ad Succenſum; nempe quòd Athanaſii ad Epictetum Epiſtolam multis in locis corruperint: & quòd tam Philippi Romani Preſbyteri, quàm ipſius Cyrilli, aut ſuppoſititias litteras produxerint, aut veras adulteraverint: Philippi quidem ut fingerent à Xyſto Romano Pontifice Neſtorii abdicationem improbari: Cyrilli autem, ut ipſum jam eorum quæ Epheſi geſta eſſent, pœnitentiam agere mendaciter affirmarent. Certè qui Epiſcopos ut ab his fraudibus ſibi caveant, commonet Cyrillus, putabat ejuſmodi crimina objici poſſe Hæreticis, abſque ullo eorum, quæ ſincera ſunt, ſcriptorum diſpendio. Quid ergo cenſuiſſet de Cuſtantio, qui exiſtimat Hæreticos non poſſe ſimilis perfidiæ accuſari, quin omnes ſanctorum Patrum codices ſuſpecti reddantur, & Pyrrhoniſmus in religionem Chriſtianam invehatur?

Caput XIII.

Quædam SS. Hieronymi, Auguſtini, Iſidori & Bernardi opuſcula minora ab Arnaldo quodam Hæretico Albigenſi eſſe corrupta.

QUantos olim ſæculo decimo tertio in Eccleſiâ, & maximè in Septimania & Gallia Narbonenſi univerſa tumultus excitaverint Albigenſes Hæretici, nemo neſcit. Illi inter alias artes, quibus errores ſuos ſpargebant, in id etiam incubuerunt, ut veterum Patrum dicta corrumperent. Id certè teſtatur illius ævi Scriptor Lucas Tudenſis Epiſcopus de Arnaldo quodam iſtius ſectæ Hæretico. « Quidam etiam Hæreticus nomine Arnaldus, inquit [a] Lucas Tudenſis, de confinibus Galliæ venit in Hiſpaniam, zizaniam erroris Hæretici ſeminando. Inter cætera pravitatis opera, erat ſtudium ſanctorum Patrum Auguſtini, Hieronymi, Iſidori & Bernardi opuſcula minora corrumpere, ſubtrahendo vera & adjiciendo falſa. Erat enim Scriptor velociſſimus, & corrupta ſanctorum opuſcula vendebat, vel dabat Catholicis, ut tali fallaciâ poſſet decipere & illaqueare incautè

[a] Lib. 3. cap. 17. mag. Bibliot. Patr. tom. 25. p. 247.

„ legentium mentes. Accidit quadam die,
„ cùm tranſlationis beatiſſimi Confeſſoris Iſi-
„ dori celebraretur feſtivitas, erat ipſe ſcri-
„ bens, & dicti Confeſſoris Synonyma per-
„ vertens.... vi abreptus à Diabolo, ſubitò
„ tandiu crudeliſſimè vexatus eſt, donec fun-
„ ditus ſpiritum exhalavit. Ut cuncti paten-
„ ter intelligant, quàm enorme ſcelus eſt
„ apud Deum ſanctorum Patrum ſcripturas
„ pervertere, juſto Dei judicio Arnaldus Hæ-
„ reticus, morte crudeliſſimâ in civitate Le-
„ gionenſi cunctis videntibus trucidatus eſt....
„ Cautè igitur ſunt ſanctorum Patrum ſcrip-
„ turæ legendæ, & antiquioribus eorum li-
„ bris fides potiùs tribuenda, dum aliqua
„ diſſona reperiuntur in novis tranſcriptis,
„ ne irrepat virus Hæreticæ pravitatis, & in-
„ ferat mortem in Scripturis Sacris dare ſtu-
„ dium cupienti.

Duo ſunt in hac Tudenſis Epiſcopi narratione, quæ conſideratione digna videntur: nempe Arnaldi Hæretici ſcelus & pœna. Utrumque profectò credibile, imò & certum, reddit doctiſſimi celeberrimique Epiſcopi teſtimonium ea referentis, quæ cunctis cernentibus ætate ſuâ, nec procul ab ea urbe in qua ipſe degebat contigerunt. Quis enim in animum inducat eruditum Tudenſem Epiſcopum, aut paſſum eſſe ſibi illudi in ea re, quæ tantùm non ſub ejus

oculis contigerat, aut nobis illudere potuiſſe? Verum eſt ergo Hæreticos aliquot olim opera Patrum adulterando corrupiſſe. Quod ſi verum eſt, poteſt certè hæc in illos accuſatio intentari abſque ullo Catholicæ fidei damno: debent ſuſpecti eſſe illi codices, quos ſcimus aut in Hæreticorum poteſtate aliquando fuiſſe, aut ab his ad nos aliqua ratione derivatos.

CAPUT XIV.

S. Cyrilli Alexandrini opera olim à Dioſcoro, à Timotheo Æluro, ſed maximè à Severianis Acephaliſque corrupta fuiſſe. Item ab iiſdem Hæreticis adulterata fuiſſe quædam dicta S. Ambroſii Mediolanenſis & Procli Conſtantinopolitani.

CUm maxima ſemper fuerit apud Græcos auctoritas ſancti Cyrilli Alexandrini, vix ullum reperias inter orthodoxos Patres, cujus opera ſæpius falſarias Hæreticorum manus experta ſint. Jam vidimus in capite ſuperiori ipſum, dum adhuc eſſet in vivis, conqueſtum eſſe, quod Neſtoriani ſuppoſititias circumferrent litteras, quibus ſignificabatur ſanctum Patriarcham eorum jam pœnitere, quæ Epheſi acta eſſent.

Vix diem ſupremum obierat, cùm ejus ſucceſſor impius ille Dioſcorus, aliqua S. Cyrilli opera adulteravit. Saltem ita cenſuit Leontius Byzantinus in libro *de Sectis*, qui Latinè habetur in [a] maxima Patrum Bibliotheca, Latinè verò & Græcè [b] in Bibliotheca veterum Patrum Græco-Latina
» edita Pariſiis anno 1624. « Quid autem ad
» hoc reſpondebimus, inquit [c] Leontius,
» quod B. Cyrillum producunt, citantem
» hoc dictum (eſſe unam naturam Dei ſer-
» monis incarnatam) libro contra Theodo-
» rum, quaſi profectum ab Athanaſio? Ni-
» mirum dicimus reapſe quidem illud in B.
» Cyrilli contra Theodorum invectivis legi:
» ſed mendum eſſe priſcum. Dioſcorus enim
» ſucceſſor B. Cyrilli factus, cùm ejus opera
» reperiſſet, fortè non veritus eſt inſerere
» nonnulla, quæ ipſi lubitum fuit. Neque
» verò conjecturis nos modò niti, quod B.
» Cyrillus illud contra Theodorum non pro-
» duxerit, eo quoque manifeſtum eſt. Nam

[a] Tom. 9.

[b] Tom. 1.

[c] Leont. Byzant. lib. de Sect. Action. 8. circa finem tom. 1. Biblioth. vet. Patr. Græco-Latin. pag. 527. & 528.

Ἀλλὰ τί ἔχομεν εἰπεῖν, ὅτι παραφέρουσι τὸν μακάριον Κύριλλον, προφέροντα αὐτὴν χρῆσιν (μίαν φύσιν τοῦ Θεοῦ λόγου σεσαρκωμένην) κατὰ Θεοδώρου, ὡς ἀπὸ τοῦ ἁγίου Ἀθανασίου: λέγομεν πρὸς τοῦτο, ὅτι τῷ ὄντι μὲν κεῖται ἐν τοῖς τοῦ μακαρίου Κυρίλλου κατὰ Θεοδώρου ῥηθεῖσιν, ἀλλὰ σφάλμα ἐστὶν ἀρχαῖον. ὁ γὰρ Διόσκορος διάδοχος γενόμενος τοῦ μακαρίου Κυρίλλου, καὶ εὑρὼν τὰ αὐτοῦ συγγράμματα, ἴσως οὐκ ἂν ὤκνει τινὰ θεῖναι ὧν ἐβούλετο. μήποτε δὲ καὶ ἐπιστοχάσασθαι, ὅτι οὐ παρήγαγεν αὐτὴν ὁ μακάριος

Theodoretus qui Theodorum defendebat, «
univerſas auctoritates refutans, quaſcum- «
que S. Cyrillus contra Theodorum de ſan- «
ctis Patribus protulerat, nuſquam ejus di- «
cti meminit. At enim iſti referunt à Theo- «
doreto callidè omiſſum; quod enim adver- «
ſis eam auctoritatem oculis adſpicere non «
poſſet, ut admodum planam & apertam, «
idcirco ſponte ab ipſo prætermiſſam. Reſ- «
pondemus tantùm abeſſe, ut eam Theo- «
doretus ibi poſitam præterire voluerit, ut «
cum Beatus ille Cyrillus alibi dixiſſet; «
unam naturam Dei ſermonis incarnatam; ſi- «
quidem ſciviſſet Theodoretus id verbum, «
quod apud Cyrillum extat, ex S. Athana- «
ſio citatum, nequaquam adeo temerè di- «
cturus fuerit; Quis tibi Patrum dixit, *unam* «
naturam Dei ſermonis incarnatam? «

Præterea Timotheus Ælurus, qui Dioſcori diſcipulus fuerat, ſedemque Alexan-

Κύριλλος κατὰ Θεοδώρου, καὶ ἐντεῦθεν δῆλον. Θεοδώρητος γὰρ ὑπὲρ Θεοδώρου λέγων, ἀνατρέπων πάσας τὰς χρήσεις, ὅσας παρήγαγε κατ' αὐτοῦ ὁ ἅγιος Κύριλλος, ἀπὸ τῶν ἁγίων πατέρων, οὐδαμοῦ ταύτης τῆς χρήσεως μέμνηται. ἀλλὰ λέγουσι πρὸς τοῦτο, ὅτι κακούργως αὐτὴν παρείασεν ὁ Θεοδώρητος. μὴ δυνάμενος γὰρ πρὸς αὐτὴν ἀντιβλέψαι, ὡς πάνυ φανερὰν, ἑκὼν παρέλειπεν αὐτήν. πρὸς τοῦτο λέγομεν, ὅτι τοσοῦτον οὐ παρέδραμεν αὐτὴν κειμένην ἐκεῖ, ὅτι τοῦ μακαρίου Κυρίλλου ἐν ἄλλοις εἰρηκότος, ἀλλὰ μίαν φύσιν τοῦ Θεοῦ λόγου σεσαρκωμένην· εἰ ᾔδει τὴν χρῆσιν ταύτην κειμένην παρὰ τῷ μακαρίῳ Κυρίλλῳ, ὡς ἀπὸ τοῦ ἁγίου Ἀθανασίου προενεχθεῖσαν, οὐκ ἂν οὕτως ἀμαθῶς ἔμελλεν εἰπεῖν· τίς σοι τῶν πατέρων εἶπε μίαν φύσιν τοῦ Θεοῦ λόγου σεσαρκωμένην.

drinam pulſo ac interempto Proterio Dioſcori ſucceſſore invaſit ſub Leone Imperatore, impudentem magiſtri ſui perfidiam in falſandis S. Cyrilli ſcriptis, quæ nondum lucem viderant, imitatus eſt. Iſtud ipſum nos docet Nicephorus Calliſtus, his verbis: *Ælurus iſte* [a] *multa divini Cyrilli ſcripta nondum vulgata, dogmatibus ſuis adulterinis aſperſis depravaſſe dicitur.*

Corrupta fuiſſe S. Cyrilli opera non nulla multò confidentiùs affirmat S. Anaſtaſius Sinaïta in opere, cui titulus eſt, ὁδηγὸς, *viæ dux.* *Alia quædam ejuſdem Cyrilli dicta*, inquit [b], *ad doctrinam ſpectantia, cùm in exemplaribus Alexandriæ quæſiviſſemus, depravata & corrupta reperimus. Cujus rei Deus teſtis eſt.* Quis jam in dubium revocare poſſit hujus facti veritatem, quam vir ſanctiſſimus à ſe experimento & propriis oculis cognitam interpoſitâ Sacramenti fide affirmat?

Sed nunquam majori licentiâ falſatores adversùs S. Cyrilli atque aliorum Patrum

[a] Niceph. Caliſt. Hiſt. Eccl. lib. 15. cap. 16. Edit. Front. Ducæi tom. 2. pag. 613.
Λέγεται μὲν πολλὰ τῷτοι δῆτα τῷ Αἰλούρῳ τῶν συγγραμμάτων τοῦ θείου Κυρίλλου μήπω εἰσελατῶς ἐκδοθέντων, διαλυμήνασθαι, νόθα τούτοις ἐπισπείραντα δόγματα.

[b] Anaſt. Sinait. *Via dux.* cap. 10. Edit. Ingolſtad. pag. 152.
Καὶ γὰρ καὶ ἑτέρας τινὰς δογματικὰς φωνὰς τοῦ αὐτοῦ Κυρίλλου ζητήσαντες, ἐν ταῖς βίβλοις ἐν Ἀλεξανδρείᾳ νενοθευμένας, καὶ διεστραμμένας αὐτὰς εὑρήκαμεν, μάρτυς κύριος ὁ Θεός.

opera graſſati ſunt, quàm Alexandriæ ſeptimi ſæculi initio paulò poſt mortem B. Eulogii Patriarchæ Alexandrini. Rem iſtam jam à me laudatus Scriptor S. Anaſtaſius Monachus Sinaïta & Preſbyter accepiſſe ſe ait ab ipſis Alexandrinis Catholicis, cùm ſe in eorum urbem contuliſſet ad concertandum cum Hæreticis Severianis. Sic ergo loquitur. « Non abs re fuerit [a] ſtudioſos « iſtud itidem obſervare hoc loco. Narra- « bant igitur nobis Catholici, qui Alexan- « driæ degunt, poſt tempora B. Eulogii Pa- « pæ (Alexandrini) hîc fuiſſe Præfectum Au- « guſtalem Severianum, qui ſatis diu habuit « quatuordecim Calligraphos, ſeu Librarios « ejuſdem ſecum ſententiæ & ad ejus arbi- « trium confidentes, ut falſarent libros dog- « maticos Patrum, & maximè S. Cyrilli. In « his cùm veniſſemus ad Epiſtolam, quæ ſcrip- « ta eſt Succenſo, ſententiam hanc, *duas na- « turas eſſe dicimus*, in nullo prorſus exempla- « ri Alexandrino rectè poſitam reperimus. «

[a] Idem ibid. pag. 198.
Πρὸς δὲ εἰδέναι τοὺς φιλοπόνους, καλὸν καὶ τοῦτο παρασημειώσασθαι ἐνταῦθα. διηγοῦντο τοίνυν ἡμῖν οἱ τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας ἐν Ἀλεξανδρείᾳ· ὅτι μετὰ τοὺς χρόνους τοῦ μακαρίου Εὐλογίου τοῦ Πάπα, γέγονέ τις Αὐγουστάλιος ἐνταῦθα Σευηριανός. καὶ ἐπὶ ἱκανοὺς χρόνους ἔσχεν ΙΔ καλλιγράφους σύμφρονας αὐτοῦ, καὶ ἐπιτροπὴν αὐτοῦ κατεχομένους, καὶ φαλσεύοντας τὰς βίβλους τῶν δογμάτων τῶν πατέρων, καὶ μάλιστα τὰς τοῦ ἁγίου Κυρίλλου· ἐν οἷς ἐλθόντων ἡμῶν εἰς τὴν πρὸς Σούκενσον χρῆσιν τὴν λέγουσαν, ὅτι δύο τὰς φύσεις εἶναι φαμὲν, οὐχ εὕρομεν αὐτὴν ὀρθῶς κειμένην, ἐν οἵᾳ δήποτε βίβλῳ ἐν Ἀλεξαν-

» Sed alia quidem exemplaria habebant, » *duas naturas unitas eſſe dicimus* : alia verò » rurſum, *duas naturas conſiderari dicimus*. Nobis autem magno mœrore affectis exhibuit » Dominus Iſidorus Bibliothecæ Patriarchalis præfectus librum, in quo iſta ſententia » non erat corrupta. » Ita Anaſtaſius Sinaïta, cujus teſtimonium hac in cauſa magni debet eſſe ponderis.

Non eſt tamen diſſimulandum, laudatum à me librum, cui titulus eſt ὁδηγὸς, *dux viæ*, ab erudito Critico Guillelmo [a] Cave S. Anaſtaſio abjudicari, hoc maximè argumento, quòd iſtius libri auctor palam ipſe ſignificet ſe ſcribere [b] *poſt tempora B. Eulogii Papæ* Alexandrini : qui Eulogius vitam protraxit uſque ad annum Chriſti 608, aut ſaltem uſque ad annum 604, ut videtur P. Joanni Baptiſtæ Sollerio in doctiſſima [c] Patriarcharum Alexandrinorum Hiſtoria Chronologica anno 1709 edita. Jam verò Anaſtaſius Patriarcha Antiochenus obierat anno 598 : non potuit ergo ſcribere poſt Eulogii tempora. Ita eſt ſanè.

δρεῖα. ἀλλὰ αἱ μὲν εἶχον. δύο φύσεις ἡνῶσθαι φαμέν. αἱ δὲ πάλιν· δύο τὰς φύσεις ἐννοεῖσθαι φαμέν. καὶ ἐν πολλῇ ἀθυμίᾳ ἡμῶν ὄντων, ἐξήγαγεν ἡμῖν ὁ κύριος Ἰσίδωρος ὁ βιβλοφύλαξ τοῦ πατριαρχείου βίβλον ἔχουσαν ἀνόθευτον τὴν τοιαύτην χρῆσιν.

[a] Script. Eccleſ. Hiſt. Litter. Sæc. Eutych. pag. 345.

[b] *Via dux* cap. 10 pag. 199.

[c] Act. Sanct. Jun. tom. 5. Diſſ. Fundam. §. 359.

Sed quid inde colligi poteſt ? Hoc unum ſcilicet, librum cui titulus eſt ὁδηγὸς, non eſſe adſcribendum S. Anaſtaſio ſeniori Patriarchæ Antiocheno. Atqui illum, neque Anaſtaſio ſeniori, neque etiam juniori, qui ſenioris in ſede Antiochena ſucceſſor fuit, tribuimus; ſed S. Anaſtaſio Sinaïtæ Monacho & Preſbytero. Et verò eruditiſſimus Pagius manuſcriptum Codicem [a] appellat, qui toti quidem operi titulum iſtum, *Exordium libri S. Anaſtaſii Monachi Sinaïtæ:* capiti autem quarto hunc alterum titulum præfixum habet, *Anaſtaſii minimi Presbyteri ſancti montis Sinæ opus de fide.* Ex quibus manifeſtè ſequitur auctorem operis non eſſe Anaſtaſium Patriarcham Antiochenum, ſed alium Anaſtaſium Monachum & Preſbyterum, qui uſque ad poſtrema Heraclii Imperatoris tempora pervenerit. Ejus enim opus editum quidem eſt ante annum 639, quo Saraceni in Ægyptum irruperunt, ſed nonniſi poſt annum 630, ut rectè conjicit jam laudatus à me Pagius. Nunc redeamus ad rem noſtram.

Non ſolùm conſtat S. Anaſtaſii teſtimonio priorem S. Cyrilli Epiſtolam ad Succenſum à Severianis olim corruptam fuiſſe: ſed illud etiam obſervandum præterea, Epiſtolam illam non haberi jam à nobis, qualis

[a] Ad ann. Ch 599. num. 4.

à Cyrillo edita eſt, & qualis tempore Anaſtaſii Alexandriæ ſervabatur in Bibliotheca Patriarchali, ſed qualis olim à Severianis corrupta fuit. Hoc ipſum demonſtratur ex eodem Anaſtaſio Sinaïta, qui prioris Epiſtolæ ad Succenſum locum hunc [a] citat; δύο τὰς φύσεις εἶναι φαμὲν, *duas in Chriſto naturas eſſe dicimus*: quæ verba tam Anaſtaſius quàm cæteri fidei Catholicæ defenſores identidem Severianis Acephaliſque objecerunt, qui Eutychianæ hæreſi adhærentes, duas in Chriſto naturas poſt unionem ſic commixtas fuiſſe dicebant & confuſas, ut jam non eſſent duæ, nec à ſe invicem diſtinguerentur. Cùm autem S. Cyrillum præ cæteris Patribus illi venerarentur, intelligerentque illius ſententiæ, quam modò retulimus, vim nullo pacto declinari poſſe, textum Cyrilli adulteraverunt; ita ut verbo εἶναι, *eſſe*, ſubſtituerent, alii quidem verbum ἡνῶσθαι, *unitas eſſe*: alii verò verbum ἐννοεῖσθαι *conſiderari*: quidam verò ſententiam additis duabus voculis ſic ſcriberent, δύο τὰς φύσεις εἶναι φαμὲν τὰς ἑνωθείσας, *duas (in Chriſto) naturas eſſe dicimus unitas*. Neque enim Acephali negabant duas in Chriſto naturas conſiderari debere, aut unitas eſſe: ſed dicebant illas poſt unionem factam jam non eſſe

[a] *Via dux*, cap. 10. p. 157.

duas & diſtinctas. Cùm ergo Cyrilli verba in libris editis non extent, ut ab illis, qui Acephalos impugnaverunt, laudantur: ſed ut ab ipſis Acephalis corrupta ſunt : inde colligendum eſt, ſaltem priorem Cyrilli ad Succenſum Epiſtolam vulgatam eſſe non ex ſinceris atque integris codicibus, ſed ex iis quos Hæretici vitiaverant. Idem de ſecunda dici poſſe ſuſpicor quidem, ſed non audeo aſſeverare.

Alias præterea Anaſtaſius iiſdem Acephalis exprobrat factas in operibus Patrum depravationes : unam quæ ad Ambroſium Mediolanenſem, alteram quæ ad Proclum Conſtantinopolitanum ſpectat. « Simili nequitiâ, inquit [a], ſententiam B. Ambroſii corruperunt, & pro *ſervemus differentiam divinitatis & carnis*, ſcripſerunt, *ſervemus differentiam lectionis.* » Ille Ambroſii locus qui laudatus eſt in Concilio [b] Epheſino legitur adhuc apud Ambroſium his verbis [c]: « Servemus diſtinctionem divinitatis & carnis. Unus in utraque loquitur Dei Filius, quia in eodem utraque natura eſt : & ſi idem loquitur, non uno ſemper loquitur

[a] Anaſt. Sinaït. *Viæ dux* cap. 10. Edit. Ingolſtad. pag. 200. Ὁμοίως καὶ τὴν τοῦ μακαρίου Ἀμβροσίου διέστρεψαν· ἀντὶ γὰρ τοῦ, φυλάξωμεν τὴν διαφορὰν τῆς θεότητος καὶ τῆς σαρκὸς, φυλάξωμεν τὴν διαφορὰν τῆς ἀναγνώσεως.

[b] Act. 1. Conc. Edit. Labb. pag. 513.

[c] Lib. 2. de Fide cap. 9. num. 77. nov. Edit. tom. 2. p. 485.

» modo. Intende in eo nunc gloriam Dei,
» nunc hominis paſſiones. Quaſi Deus loqui-
» tur quæ ſunt divina; quia Verbum eſt: qua-
» ſi homo dicit quæ ſunt humana; quia in
» mea ſubſtantia loquitur.

Quòd pertinet ad Proclum, cujus dictum pariter adulteratum fuiſſe teſtatur idem
» Anaſtaſius: « Corruperunt inſuper, inquit,
» [a] Beati Procli de Chriſto dictum, ubi ait,
» quòd *ille abſque corruptione natus eſt: qui ja-*
» *nuis clauſis abſque impedimento ingreſſus eſt,*
» *& in quo naturarum conjunctionem Thomas*
» *agnovit*: ἐκεῖνος ἀφθάρτως ἐγεννήθη ὁ καὶ θυρῶν
» κεκλεισμένων ἀκολύτος εἰσελθὼν, οὗ τὴν συζυγίαν
» τῶν φύσεων ὁ Θωμᾶς ἑωρακώς Loco ἀφθάρτως
» per ω ſcripti, inquit Anaſtaſius, Gaïanitæ
» ponunt ἄφθαρτος (per ο) & loco affirmantis
» articuli dicentis οὗ τὴν συζυγίαν *cujus conjun-*
» *ctionem naturarum*, hoc eſt Chriſti, ipſi par-
» ticulam negantem ſubſtituunt in hunc mo-
» dum, οὐ τὴν συζυγίαν ὁ Θωμᾶς ἑωρακὼς, *Tho-*
» *mas non agnovit conjunctionem naturarum,*
&c. » Geminæ ergo depravationis in hac una Procli ſententia accuſantur Gaïanitæ, qui ex Acephalis erant. 1. Iſti adverbio ἀφθάρτως ſubſtituerunt nomen adjectivum ἄφθαρτος: & cùm ſcripſiſſet Proclus, nihil quod corruptionem redoleret, obſcœnum nihil, in Chriſti generatione fuiſſe; ipſi di-

[a] *Viæ dux*; pag. 201.

cebant Chriſtum natum eſſe nulli corruptioni obnoxium. 2. Loco relativi pronominis οὗ particulam negantem οὐ induxerant, ſicque Procli propoſitionem ex affirmante negantem fecerant. Porro ille locus reſtat integer nec corruptus apud Proclum in oratione prima [a], quæ laudationem continet beatiſſimæ Dei genitricis Mariæ.

Neque verò mirum eſt inductas ab Acephalis & Gaïanitis depravationes in Ambroſium Proclumque, non haberi jam in libris iſtorum Patrum. Quippe iſtud ſcelus Alexandriæ commiſſum eſt, ubi non multa erant librorum Ambroſii & Procli exemplaria : neque veriſimile eſt ea, quæ ad nos pervenerunt, ex Alexandrinis exſcripta fuiſſe. Contrà verò facilè fieri potuit, ut quæ nunc habemus Cyrilli exemplaria, illa deſcripta ſint ex Alexandrinis. Nam cùm Cyrillus Alexandrinus Patriarcha fuerit, & pleroſque libros ſuos Alexandriæ ſcripſerit: qui illorum olim exemplaria ſibi comparare voluerunt, credibile eſt ex urbe Alexandrina accerſiviſſe, atque adeò corrupta exemplaria accepiſſe.

[a] Fran. Combefis Auctar. Bibl. Patr. tom. 1. pag. 303.

Caput XV.

Sub Anaſtaſio Imperatore falſatam fuiſſe à Xenaïa, Eleuſino aliiſque Synodi Chalcedonenſis impugnatoribus fidei formulam, quam Epiſcopus Hieroſolymitanus ſcripſerat.

Circa initium ſexti ſæculi, imperante Anaſtaſio, dira in Oriente exarſit perſecutio adversùs præcipuos Synodi Chalcedonenſis defenſores. Imperatoris jam ſatis ex ſe Catholicis infenſi animum perfidis accuſationibus calumniiſque exacerbabat Xenaïas quidam Perſa, qui & Philoxenus dicebatur, Epiſcopus Hierapolis in Syria; vir nefarius, atque ut obſervatur [a] apud Evagrium Scholaſticum, *verè nominis ſui, ac verè alienus à Deo*. Huic ſe adjunxerant Eleuſinus quidam in Cappadocia ſecunda Epiſcopus, Nicias Laodiceæ in Syria, atque alii partium Eutychianarum & Dioſcorianarum fautores. Multis illi modis vexaverunt tam Euphemium Conſtantinopolitanum Epiſcopum, atque ejus ſucceſſorem Macedonium, quàm Flavianum Antioche-

[a] Monachi Paleſtinæ in Epiſtola, quæ legitur apud Evagr. Scholaſt. Eccl. Hiſt. lib. 3. cap. 31. Edit. Valeſii pag. 359. Ξεναΐας ὁ τοῦ θεοῦ ξένος ἀληθῶς.....

num, Eliam Hieroſolymitanum & Joannem Epiſcopum Palſi, quos omnes de ſedibus ſuis exturbatos in exilium ejecerunt. Quæ omnia fusè referuntur ab Evagrio [a] Scholaſtico, & Theodoro [b] Lectore: maximè verò à Monachis Paleſtinæ in Epiſtola ad Alciſonem Nicopolis in veteri Epiro Epiſcopum, ſtrenuumque Synodi Chalcedonenſis defenſorem: quam Epiſtolam recitat [c] Evagrius.

In eâ autem legimus Xenaïam, Eleuſinum, Niciam, cæteroſque heterodoxos [d] « Conſcriptione fidei editâ Synodum (Chalcedonenſem) unà cum iis, qui duas in Chriſto naturas ac proprietates eſſe dixerunt, ſub anathemate damnaſſe; & à Flaviani quidem & Macedonii communione ſeſe ſeparaſſe; cum aliis verò, qui Conſcriptioni ipſorum ſubſcripſiſſent, fœderis ſocietatem inivisſe. »

Deinde hæc, quæ ad rem noſtram faciunt, adduntur. « Inter hæc poſtulant etiam (iidem Hæretici) ab Epiſcopo Hieroſolymorum (Elia) ut formulam fidei ſuæ

[a] Hiſt. Eccl. lib. 3.

[b] Hiſt. Eccl. lib. 2.

[c] Lib. 3. cap 31. Edit. Valeſii pag. 359. & ſeq.

[d] Ibid. pag. 360.

Καὶ ποιήσαντες γραμματεῖον περὶ πίστεως, ἐν ᾧ τὴν σύνοδον μετὰ τῶν δύο φύσεις εἰρηκότων ἢ ἰδιότητας ἀναθεματίσαντες, Φλαβιανοῦ μὲν ἀφίστανται καὶ Μακεδονίου. ἄλλοις δὲ σπένδονται ὑπογράψασι τῷ γραμματείῳ.

Ἐν τούτοις καὶ τὸν Ἱεροσολύμων ἀπῄτουν ἔγγραφον περὶ πίστεως·

conſcribat. Quam ille cùm edidiſſet per ſectatores Dioſcori miſit ad Imperatorem. Et ea quidem, quam ipſi proferunt, Anathematiſmum continet eorum, qui duas in Chriſto naturas prædicarunt. Ipſe verò Hieroſolymorum Epiſcopus eam ab illis falsò confictam eſſe dicens, aliam profert abſque hujuſmodi anathematiſmo. Neque id mirum. Nam & libros ſanctorum Patrum ſæpè numero corruperunt: multos quoque Apollinaris libros Athanaſio & Gregorio Thaumaturgo & Julio falsò adſcripſerunt. Quibus præcipuè libris multitudinem in erroris ſui ſocietatem inducunt.

Monachi ergo Paleſtinæ teſtantur Dioſcori ſectatores in ea fidei formula, quam Elias Hieroſolymorum Epiſcopus ſcripſerat, perfidè inſeruiſſe anathematiſmum eorum, qui duas in Chriſto naturas eſſe prædicant. Iidem teſtantur Eliam ſtatim ea de re conqueſtum eſſe, & Dioſcorianorum fraudem prolatâ ſuæ fidei formulâ manifeſtam feciſſe. Iſtud autem teſtimonium

ὃς ἐκθέμενος ἀπέστειλε τῷ βασιλεῖ, δι᾽ αὐτῶν τῶν ἀπὸ Διοσκόρου. ὅπερ αὐτοὶ μὲν προφέρουσιν, ἀναθεματισμὸν περιέχον τῶν δύο φύσεις εἰρηκότων. αὐτὸς δὲ ὁ Ἱεροσολύμων νενοθεῦσθαι παρ᾽ αὐτῶν διαβεβαιούμενος, ἄλλο προφέρει δίχα τοιούτου ἀναθεματισμοῦ. καὶ οὐ θαῦμα· καὶ γὰρ καὶ λόγους πατέρων πολλάκις νενοθεύκασι· πολλοὺς δὲ Ἀπολιναρίου λόγους, Ἀθανασίῳ, καὶ Γρηγορίῳ τῷ θαυματουργῷ, καὶ Ἰουλίῳ, διὰ τῶν ἐπιγραφῶν ἀνατεθείκασιν· οἷς μάλιστα τοὺς πολλοὺς πρὸς τὰς ἰδίας ἀσεβείας σφετερίζονται.

non videtur ullo pacto in dubium revocari poſſe: neque enim Monachi Paleſtinæ poterant ea ignorare, quæ ad Epiſcopum Hieroſolymitanum pertinebant: neque ullus ſuſpicatus fuerit pios & orthodoxos Monachos Epiſcopo hac ætate celeberrimo voluiſſe falsâ narratione imponere.

Si quis tamen Dioſcorianorum patronus velit commiſſam fraudem in ipſum Hieroſolymorum Epiſcopum rejicere, cenſeatque ab Elia aliam Dioſcori ſectatoribus datam eſſe fidei formulam, aliam prolatam apud ſuos: tamen iſtud certum eſt, piis Monachis & fortiſſimis hac ætate fidei defenſoribus perſuaſum fuiſſe, poſſe abſque ullo Pyrrhoniſmi in religionem invehendi periculo crimen falſi Hæreticis imponi. Quod ipſis ſexto ineunte ſæculo licuit, cur iſtud idem hac noſtrâ ætate jam non liceat?

CAPUT XVI.

Euſebii Theſſalonicenſis Epiſcopi Epiſtolam ad Gregorium Magnum ab Andrea Monacho Hæretico fuiſſe falſatam.

TEmporibus Gregorii Magni habitabat Romæ Andreas quidam Monachus, *qui ad S. Paulum incluſus fuerat*, vir

impius & ſceleratus, qui cùm ſe Catholicum ſimularet, re ipsâ hæreſim animo fovebat, & latenter conabatur ſpargere. Miſerat tunc ad Gregorium Euſebius Theſſalonicenſis Theodorum Eccleſiæ ſuæ Lectorem. Is apud Andream ſibi olim cognitum, & cujus intimos animi ſenſus cum habitu externo concordare exiſtimabat, depoſuit res ſuas & chartas omnes; atque inter eas Epiſtolam quam Euſebius ad Gregorium ſcribebat. Interea perfidus Monachus creditam ſibi Epiſtolam omnino depravavit. Cujus rei Gregorius ipſe teſtis
» eſt. « Lator præſentium, inquit, [a] Theo-
» dorus Eccleſiæ veſtræ Lector.... Andreæ
» Monacho, qui ad S. Paulum incluſus fue-
» rat, res & chartas quas detulit, ut reverâ
» olim noto, innocenter depoſuit, credens
» quidem quòd mens ipſius, ſicut & nos an-
» te habueramus, cum habitu concordaret:
» ſed tantæ ille pravitatis inventus eſt, ut ſi
» ejus ſtultitiæ ſub incluſionis ſuæ ſpecie pau-
» lò ampliùs licuiſſet, multorum animas ma-
» litiæ ſuæ falſitate deciperet, & quocum-
» que potuiſſet, non levia ſcandala genera-
» ret. Nam inter alia, quæ idem Andreas
» peſſimè cogitavit ac fecit, eam quoque
» quam ad nos miſiſtis, dum apud ipſum ab

[a] Epiſt. ad Euſeb. Theſſal. lib. 11. Ep. 74. olim lib. 9. Ep. 69. nov. Edition. tom. 2. pag. 1173.

ipſo latore eſſet depoſita, ita falſavit Epi- "
ſtolam, ut quicumque eam legeret, vos "
nec catholicè, nec rectè ſapere evidenter "
argueret. Ex qua re contigit, ut dum veri- "
tatem ſtudiosè quæreremus, ejus quæ late- "
bat iniquitas, vulgaretur. Et tanta in eo "
reperta ſunt, quanta nec de ſcelerato quo- "
cumque Laïco crederentur. Et quia inter "
diverſa mala, aliquos etiam ſermones ſcrip- "
ſit, atque eos ex noſtro nomine titula- "
vit....... "

Ita Gregorius qui expreſsè teſtatur ab Andrea Monacho, & falſatam fuiſſe Epiſtolam Euſebii Theſſalonicenſis, & editos ſermones, quos ipſius Gregorii nomine falsò inſcripſit, & multa alia ejuſmodi facinora commiſſa. Quod dum vulgavit Gregorius, an exiſtimavit inde ſanctorum Patrum codices omnes ſuſpectos fieri? Minimè; ſed voluit ſuſpecta facere illa dumtaxat ſcripta, quæ in perfidi hominis manus venerant.

De eodem Andrea pluribus agit [a] Photius; docetque Euſebium Theſſalonicenſem *imperitiam Andreæ atque audaciam ſcripta Epiſtola reprehendiſſe.* Idem præterea addit Euſebium adversùs incluſum illum

[a] Photii Biblioth. codic. 162. Edit. Auguſtanæ pag. 178. Οὗτος γὰρ (Ἀνδρέας) ἔγραψεν ἐπιστολὴν Εὐσεβίῳ..... ἣν Εὐσέβιος ἀναγνοὺς, ἀφόρητον μὲν τὴν ἄνθρωπον ἐπιτιμᾷ, ἀμαθίαν ἅμα καὶ θράσος ἐπικαλῶν.

Monachum libros decem edidiſſe: ex quibus diſcimus illum ipſum Andream[a] *peculiarem quandam fidei expoſitionem audacter compoſuiſſe; multa quoque ſanctorum Patrum dicta diſcerpta atque adulterata, vi in ſuam detorſiſſe ſententiam .... Ex Patribus (Græcis) dicta quædam avulſiſſe ac pervertiſſe.* Hæc omnia ex ipſis Euſebii libris Photius, qui
» demum ita concludit. « Verùm ob hæc
» omnia juſtas Euſebio pœnas dedit: ob
» adulterationem, inquam, ſanctorum Pa-
» trum, & improbitatem atque inſcitiam,
» quódque Hæreticorum dicta quædam com-
» pilans, ſanctis ea Patribus attribuere ſit
» auſus.

Ex quibus poteſt quiſque intelligere magnam profectò fuiſſe perfidiam hujus hominis & perverſitatem: quam Gregorius Magnus, Euſebius Theſſalonicenſis & Photius dum vulgatam eſſe voluerunt & omnibus cognitam; non idcirco Patrum omnium opera ſuſpicione falſi aſperſerunt.

[a] Idem ibid. pag. 179. Λέγει μὲν αὐτὸν .... ἰδίαν δέ τινα τολμηρῶς συνταξάμενον ἔκθεσιν πίστεως. εἶτα δὲ καὶ ὅτι πολλὰ τῶν ἁγίων ἀποσπαράξας ῥητά, καὶ παραποιησάμενος εἰς τὴν ἰδίαν ὑπόληψιν ἐξεβιάσατο .... τῶν ἁγίων (πατέρων) χρήσεις τινὰς ὁ Ἀνδρέας ἀποσπαράξας καὶ παραπλασάμενος ..... ἀλλὰ πάντων ἕνεκεν τῶν εἰρημένων Εὐσεβίῳ δίδωσι δίκας, τῆς τε παραποιήσεως, φημί, καὶ κακουργίας, ἢ καὶ ἀνοίας. καὶ ὅτι αἱρετικῶν ῥητά τινα παραλεξάμενος, τοῖς ἁγίοις ἡμῶν πατράσιν ἐτόλμησεν ἀνατεῖναι ταῦτα.

CAPUT XVII.

Multa olim exemplaria, quibus Acta quintæ Synodi continebantur, fuiſſe ab Hæreticis falſata.

CUm adeo ſuccenſuerit mihi Cuſtantius, quòd ſanctorum Patrum loca aliquot olim ab Hæreticis corrupta eſſe ſcripſerim; quid facturus fuerat, ſi addidiſſem nec ſacris Conciliis Oecumenicis nefarios homines ac perfidos peperciſſe? Atqui tamen iſtud impunè affirmare non modò licet, ſed etiam nefas eſt contrarium ſentire.

Certè ita ſenſit Cardinalis Baronius, quem nemo cordatus proditæ religionis Chriſtianæ accuſaverit. Ipſe enim quarumdam Synodorum Oecumenicarum, ſed quintæ imprimis Acta à Græcis malitiosè corrupta fuiſſe, non uno in loco docet. De quinta Synodo Oecumenica ſic loquitur. « De qua Synodo [a] illud etiam admonendum putamus, ipſa quæ edita in hanc diem Acta reperiuntur, eſſe corrupta, atque decurtata in pluribus; ut ſuis locis fiet cuique manifeſtum. Id autem factum ab ad- «

[a] Ann. Eccl. tom. 7. ad ann. Chriſti 553. p. 399. Rom. Edit.

» verſariis Origeniſtis, ſive à Monothelitis,
» fuit nonnullorum ſententia. Pudenda pla-
» nè in illis intexta habentur, ac prorsùs in-
» digna Oecumenicâ Synodo....

Idem paulò poſt ea narrans quæ in quin-
» ta ejuſdem Synodi actione geſta ſunt. « Di-
» cimus itaque, inquit, [a] Epiſtolam illam
» quæ recitatur in Synodo hac Actione quin-
» tâ, ſub nomine Theodoreti ad Joannem
» Antiochenum de Cyrilli obitu gaudentis,
» omni ex parte convinci minimè eſſe potuiſſe
» Theodoreti. Ex his verò diſces, Lector, Sy-
» nodum quintam haud adeo eſſe legitimam,
» ſed magna ex parte ſuppoſitam, in aliqui-
» bus mutilatam, auctam in aliis: nam hæc
» quæ de Cyrilli Epiſcopi Alexandrini obitu
» ſub nomine Theodoreti narrantur, ab ali-
» quo Eutychiano Hæretico eſſe conficta
» non ambigimus: idque ut credamus, imò
» certò affirmemus, non levi aliquâ ducimur
» conjecturâ, vel tenui quadam ſuſpicio-
» ne, ſed firmiſſimâ ſanè rei demonſtratio-
» ne.» Tum verò pluribus eorum detegit
impoſturam, qui Epiſtolam hanc nomine
Theodoreti confinxerant.

Deinde veniens ad ſextam ejuſdem Sy-
nodi Collationem primò monet [b] *falſa
quædam, quæ ibi aſſerta reperiuntur, non me-
diocrem de impoſtura ſuſpicionem inducere:*

[a] Ibid. pag. 402. | [b] Ibid. pag. 432.

poſtea [a] in Græcorum *vafritiem* invehitur, qui *præter fas juſque* Sacrum corruperunt textum Synodalium Actorum; & ad Chalcedonenſe Concilium addiderunt verba illa (*Dominum Jeſum Chriſtum eſſe unum de ſancta Trinitate*) de quibus ſub Hormiſda Papa diu fuerat diſputatum. Quæ quidem verba quamvis tunc Hormiſda recuſaverit ad vitandos Hæreticorum Eutychianorum dolos, ejus tamen ſucceſſores poſtea ad confutandos Neſtorianos receperunt. Ait etiam meritò in ſuſpicionem vocari Origeniſtas, mutilatæ quintæ Synodi, cùm in illa plura deſiderentur, quæ adversùs iſtorum hæreſim ſancita erant, certumque ſit nonnullos ex iis, qui Synodo præfuerunt, Origeniſmo fuiſſe infectos.

Denique eruditiſſimus Annalium ſcriptor ſic concludit. « Ad poſtremum videamus [b] quæ ab impoſtoribus fuerint quintæ Synodi nomine pervulgata. Monothelitarum fuit inventum, ut ſub titulo quintæ Synodi, tanquam ex ejus Actis deprompram ediderint Epiſtolam quandam Mennæ Conſtantinopolitani Epiſcopi nomine ad Vigilium Papam, conſcriptam de unica in Chriſto voluntate. Sed ejuſmodi ſtropha detecta eſt in ſexta Synodo à Legatis Apoſtolicæ ſedis oſtendentibus, tres quaternio-

[a] Ibid. pag. 433.

[b] Ibid. pag. 441.

» nes Actis quintæ Synodi recèns adnexos.
» Rurſus verò dum in ſexta Synodo Actio
» ſeptima quintæ Synodi legeretur, duæ in
» ea ſuperadditæ Epiſtolæ inventæ ſunt,
» Vigilii Papæ nomine inſcriptæ, quarum
» altera ad Juſtinianum Imperatorem, alte-
» ra verò ad Theodoram Auguſtam data
» haberetur : quibus Vigilii Papæ de una in
» Chriſto operatione eſſet aſſertio ; quas
» commentitias atque ſuppoſitas iidem Apo-
» ſtolicæ ſedis Legati manifeſtè probarunt.
» Detectæ ſunt ejuſmodi Hæreticorum im-
» poſturæ in Actione decima quarta ejuſdem
» ſextæ Synodi, in qua dictum eſt pariter
» anathema in eos, qui quoquo modo ean-
» dem quintam Synodum corruperunt. Vi-
» des igitur, quàm fuerit quinta Synodus
» tum ab Origeniſtis, tum etiam à Mono-
» thelitis diverſis temporibus lancinata.

Idem etiam multis in locis adulteratam fuiſſe à Græcis ſextam Synodum contendit. Eadem, quæ Baronius, de quinta & ſexta Synodo ſcripſit Binius [a] in notis ad Concilium Conſtantinopolitanum tertium, quod ſextum eſt Oecumenicum.

Scio Synodorum quintæ & ſextæ loca multa, quæ Baronius falſata eſſe contendit, ab eruditiſſimis Scriptoribus tanquam genuina & ſincera nunc defendi multis

[a] Ad ann. 680. 681. 682.

graviſſimiſque argumentis: ſed illi Baronii opinionem ſic confutant, ut tamen ipſi Pyrrhoniſmi notam non inurant.

Deinde ut concedamus iſtarum Synodorum Acta non eſſe in his omnibus locis vitiata, in quibus vitiata fuiſſe Baronius exiſtimavit: ſaltem nemo negaverit multa quintæ Synodi exemplaria, tum Græca, tum Latina, adulterata fuiſſe, quâ parte libellum Mennæ ad Vigilium, & Vigilii Epiſtolas duas, unam ad Juſtinianum Imperatorem, alteram ad Theodoram Auguſtam exhibebant. Nam cùm certum ſit tres illos libellos fuiſſe aut omnino ſuppoſititios, ut cenſet Baronius, aut ſaltem à Monothelitis interpolatos, ut doctiſſimis viris Baluzio & Pagio videtur: ambigi non poteſt, quin codices omnes, quibus illa ſeu ſpuria ſeu interpolata inſtrumenta continebantur, fuerint ipſi corrupti & vitiati. Et verò conſtat plura quintæ Synodi exemplaria, quæ tria hæc ſeu ſpuria ſeu falſata Mennæ ac Vigilii opuſcula habebant, fuiſſe producta in ſexto Concilio Oecumenico, & in eo accuſata falſi, convicta & damnata. Quod Concilii Oecumenici judicium tanti momenti eſt ad cauſam quam tractamus, ut illud, prout in Actis extat, integrum referre non pigeat. Atque hujus loci prolixitas ſi fortaſſe Lectoribus importuna

videatur, facilè ignoſcent, ut ſpero, ubi cognoverint, in *veterum codicum vindiciis*, quas refello, diſertè negari, ita fuiſſe in ſexta Synodo judicatum.

Recitaveram [a] verba Hincmari ſuam Macario Antiocheno in falſandis veteribus libris impudentiam exprobrantis. At eru-
» ditus veterum codicum Vindex: « In his,
» nempè in ſexta Synodo, inquit, [b] certè
» cùm Macarii infidelitas, in circum trun-
» candis Patrum teſtimoniis, quæ ex eorum
» libris excerpſerat ſeu defloraverat, magis
» ac magis detegatur ac convincatur; *nuſ-*
» *quam tamen Patrum libros depravaſſe aut*
» *adulteraſſe arguitur. Si autem hoc Concilium,*
» *ut ejus muneris erat, conſuluiſſet Germonius...*
» *neque Macarium codicum adulteratorem, ſeu,*
» *ut loquitur, falſatorem cenſendum eſſe compe-*
» *riſſet.*» Quæ quiſquis videt tam confidenter affirmari, non facilè in animum inducit, aut Macarium Antiochenum reipſa libros adulteraſſe, aut ſaltem iſtius criminis accuſari in ſexta Synodo: accuſatur tamen & convincitur.

Gemina ergo Macarii fraus in Concilio ſexto redarguitur. Prima, quòd truncata Patrum loca, & ad cauſam ſuam callidè accommodata ex ſcripto recitaverit. De hoc

[a] Append. ad Diſc. 2 de vet. Reg. Franc. Diplom. p. 360.

[b] Cap. 6. pag. 60.

ejus flagitio fusè agitur & in octava & in nona Actione Concilii, ubi cum antiquis & authenticis Patrum exemplaribus conferuntur loca, quæ impius Hæreſiarcha laudaverat. Altera fraus ejus detecta eſt in Actione decima quarta, in qua probatum eſt plura quintæ Synodi exemplaria ejus juſſu & operâ fuiſſe corrupta. Nam & Georgius Monachus coram Patribus confeſſus eſt, juſſu Stephani, qui Macarii diſcipulus erat, exſcriptos à ſe duos Vigilii libellos ab eodem Stephano inſertos eſſe quintæ Synodi exemplari, quod Philippus *Magiſter militum imperialis obſequii* ſecum attulerat. Et ſubjunxit idem Georgius eoſdem libellos à Macario & Stephano pariter additos omnibus quinti Concilii exemplaribus, quæ in eorum manus pervenerunt.

Atque hæc cùm in ipſis ſectæ Synodi Actis legantur, nuſquam tamen reperiri confidenter aſſeverant. *Aliud eſt*, [a] inquiunt, *truncata Patrum teſtimonia citare, aliud ipſos adulterare ac falſare codices.* Hæc duo crimina diverſa eſſe manifeſtum eſt: ſed Macarius utriuſque accuſatur, utriuſque convincitur: prioris quidem in Actionibus octava & nona, alterius autem in Actione decima quarta. Quòd poſterius ne quis deinceps in dubium revocet, ipſius Concilii verba hîc recitanda ſunt.

[a] Vind. veter. cod. pag. 61.

[a] *Ex actione decima quarta Concilii Conſtantinopolitani tertii.*

» Reſidentibus quoque glorioſiſſimis Pa-
» triciis & Conſulibus, & omnibus venerabi-
» libus & Deo amabilibus Epiſcopis in eo-
» dem Secretario Trulli, propoſitis in medio
» ſacro-ſanctis & immaculatis Chriſti Dei
» noſtri Evangeliis.

» Conſtantinus Deo amabilis Diaconus hu-
» jus ſanctæ magnæ Dei Eccleſiæ, & primi-
» cerius Deum colentium Notariorum Geor-
» gii ſanctiſſimi Patriarchæ hujus à Deo con-
» ſervandæ regiæ urbis, dixit....... *Memor*
» *quoque eſt per omnia tam veſtra gloria, quam-*
» *que ſanctum & univerſale veſtrum Concilium,*
» *quòd in antelatis prolati ſunt ex venerabili Pa-*
» *triachio hujus à Deo conſervandæ Regiæ urbis*
» *duo libri in membranis, ſancti quinti Concilii,*
» *poſt factam lectionem cæterorum Conciliorum.*
» *Et quia in primordiis primi libri tres quater-*
» *niones inventi ſunt poſiti in ſuperſcriptione, ad-*
» *ſtruentes libellum, qui dicitur Mennæ ad Vi-*
» *gilium tunc temporis Papam antiquæ Romæ,*
» *quem & accuſaverunt qui à parte ſunt Aga-*
» *thonis ſanctiſſimi Papæ Apoſtolicæ ſedis anti-*
» *quæ Romæ, dicentes falſum eum eſſe, & quia*
» *poſt lectionem hujuſmodi libri, dum legeretur*

[a] Tom. 6. Concil. pag. 976. & ſeq.

etiam

etiam ſecundus liber ejuſdem ſancti quinti Concilii, inventi ſunt duo libelli, qui dicebantur Vigilii ad Juſtinianum, quondam divinæ memoriæ Imperatorem, & Theodoram quæ fuit Auguſta. In quibus libellis, qui Apoſtolicæ ſedis ſunt, oppoſuerunt, dicentes quod hi quoque libelli falſi exiſtunt; & quòd popoſcerant eoſdem libros opportunè retractari. Unde ſuggerimus ad quod placuerit.

Illa Legatorum Agathonis accuſatio falſi adversùs duos quintæ Synodi libros membranaceos facta eſt primùm in Actione tertia ſextæ Synodi. Nam cùm Antiochus Notarius coram Legatis legeret libellum cui titulus erat : [a] *Sermo ſanctæ memoriæ Mennæ Archiepiſcopi Conſtantinopolitani ad Vigilium beatiſſimum Papam Romanum, de eo quòd una ſit Chriſti voluntas :* Legati exclamaverunt : *Piiſſime Domine, falſatus eſt præſens liber quintæ Synodi.* Et paulò poſt cùm idem Notarius legeret duas Vigilii Epiſtolas, ubi ad ea verba ventum eſt, quibus affirmatur eſſe in Chriſto *unam operationem :* rurſum Agathonis Legati exclamaverunt : *Non faciat Deus, Domine. Non dixit Vigilius unam operationem. Non ſunt libelli Vigilii. Falſatus eſt & hic liber....* Verùm iſta Legatorum adversùs libros accuſatio falſi, in tertia Actione primùm inten-

[a] Tom. 6. Conc. pag. 622. & ſeq.

tata, nonniſi in Actione decima quarta judicata eſt. Cùm ergo hujus accuſationis memoriam revocaſſet Conſtantinus Diaconus & Notariorum primicerius:

» Glorioſiſſimi judices, & ſanctum Concilium dixerunt: *Interim opportunè fiat de antelatis lectio*, & relecta ſunt.

» Glorioſiſſimi judices, & ſanctum Concilium dixerunt: *Oportet duos membranaceos libros ſancti quinti Concilii, qui jam à Georgio Deo amabili Diacono, & Chartophylace porrecti ſunt, ut iterum ab eo ad medium deducantur, ut ſcrupuloſiùs cognoſcamus, ſi juxta quæ memoraverunt locum repræſentantes Agathonis ſanctiſſimi Papæ antiquæ Romæ, hæc infalſata ſunt: ſimiliter autem proferri volumen chartaceum authenticum ſeptimæ Actionis præfati ſancti quinti Concilii, quatenus etiam conſideremus & competenter retractemus, ſi immutilatum permanſit.* Et prolati ſunt iidem duo membranacei libri, & volumen chartaceum ab eodem Georgio Deo amabili Chartophylace.

» Glorioſiſſimi judices, & ſanctum Concilium dixerunt: *Edicat Georgius Deo amabilis Diaconus & Chartophylax ſanctæ hujus magnæ Dei Eccleſiæ, ſi libri duo qui prolati ſunt, & chartaceum volumen, ipſa ſunt quæ dudum protulerat.*

» Georgius Deo amabilis Diaconus & Char-

tophylax dixit: *Pro certo, Domini, hi ſunt duo codices, qui continent acta ſancti quinti univerſalis Concilii, & tomum authenticæ ſeptimæ actionis ejuſdem ſancti quinti Concilii, quemadmodum & jamdudum protuleram. Subtiliùs autem in Bibliotheca venerabilis Patriarchii ſcrutatus, inveni & alium chartaceum librum ejuſdem ſancti quinti Concilii, quem & defero, & ſi videtur ſancto veſtro Concilio, jubeat hunc me proferre.* "

Sanctum Concilium dixit: *Librum chartaceum, quem Georgius Deo amabilis Diaconus & Cartophylax hujus venerabilis Patriarchii præ manibus gerere proſecutus eſt ſancti quinti Concilii, proferat ad conferendum cum duobus membranaceis libris, jam ab eo prolatis.* Et prolati ſunt. "

Sanctum Concilium dixit: *Tranſeat in medium Georgius Deo amabilis Diaconus & Cartophylax, tactiſque propoſitis ſacro-ſanctis Chriſti Dei noſtri Evangeliis, ſatisfaciat nobis, ſi præſignati hi duo libri & volumen, quomodo ea invenit, & in Bibliotheca venerabilis Patriarchii percepit, ita etiam nunc ſunt.* Tangens igitur ſacro-ſancta Dei eloquia idem Deo amabilis Diaconus & Chartophylax Georgius dixit: *Per iſtas ſanctas virtutes, & Deum qui locutus eſt per eas, cum veritate hi duo libri membranacei ſancti quinti Concilii, & volumen ſeptimæ actionis* "

„ *ejuſdem ſancti quinti Concilii, juxta quod jam* „ *& excuſſi ſunt & prolati, ita etiam nunc ma-* „ *nifeſtati ſunt, ſicut & pridem eos in Biblio-* „ *theca venerabilis Patriarchii inveni, atque* „ *ſuſcepi: & neque additum eſt quidquam à me,* „ *neque ſubtractum per me, neque cum conſcien-* „ *tia mea à quoquam omnium. Sed & liber char-* „ *taceus ejuſdem ſancti quinti Concilii, qui in* „ *præſenti à me inventus eſt in eadem Biblio-* „ *theca venerabilis Patriarchii, ita eſt ſicut ibi-* „ *dem inventus eſt depoſitus.*

„ Et ſurgentes Reverendiſſimi Epiſcopi „ ejuſdem ſancti Concilii, aſſumenteſque in „ manibus tam prædictos duos libros mem- „ branaceos, & volumen chartaceum, accura- „ téque eadem loca inſpicientes quæ accu- „ ſata ſunt, eaque conferentes cum char- „ taceo libro, quem in recenti protulerat „ Georgius Deo amabilis Diaconus & Char- „ tophilax, necnon & cum aliis antiquis „ chartaceis libris ejuſdem ſancti quinti Con- „ cilii dixerunt: *Hos duos libros in membra-* „ *nis, qui prolati ſunt à Georgio Deo amabili* „ *Diacono & Chartophylace hujus ſanctæ magnæ* „ *regiæ urbis Eccleſiæ, & volumen chartaceum* „ *ſeptimæ actionis ſancti quinti Concilii conſide-* „ *rantes, ſecundùm quod popoſcerunt locum re-* „ *præſentantes Agathonis ſanctiſſimi Papæ Apo-* „ *ſtolicæ ſedis antiquæ Romæ, & hæc conſe-* „ *rentes tam cum nunc prolato chartaceo Syno-*

dico libro, quamque cum aliis libris antiquis “
chartaceis ejuſdem ſancti quinti Concilii, & “
invenientes eoſdem duos membranaceos libros, “
& volumen chartaceum ſeptimæ actionis ſibi- “
met quidem conſonantes, adjectiones verò ha- “
bentes, tam librum, qui dicitur Mennæ ad Vi- “
gilium, & à Vigilio quaſi duos libellos ad “
Juſtinianum divæ memoriæ quondam Impera- “
torem & Theodoram ejus conjugem, in quibus “
libellis ei [a] *placuit, ut anathematizaret Theo-* “
dorum Mopſueſtenum Epiſcopum, & Epiſto- “
lam quæ dicitur Ibæ, & ſcripta Theodoriti “
contra duodecim capitula ſanctæ memoriæ Cy- “
rilli Alexandriæ quondam Epiſcopi: [b] *quæ* “
putavit his ſermonibus definire: Anathemati- “
zamus autem & Theodorum quondam Epiſco- “
pum Mopſueſtenum, utpote qui alienus ſemper “
ab Eccleſiis extitit, & ſanctiſſimis Patribus “
adverſarius, qui non confitetur incarnatum eſſe ”
Dei Verbum, ideſt, Chriſtum eſſe unam ſub- “
ſiſtentiam, & unam perſonam, & unam ope- “
rationem. Hæc cognovimus, quemadmodum “
& affirmant, qui ab Apoſtolicâ ſede antiquæ “
Romæ ſunt, neque facta, neque ſcripta fuiſſe “
in tempore memorati ſancti quinti Concilii, ſed “
adjectos quidem eſſe tres quaterniones in primo “
libro ſancti quinti Concilii, in quibus videtur “

[a] Alit. In quibus lib. viſus eſt & anathematizare.

[b] Alit. Necnon dogmaticè videtur in ipſis definire his verbis: Anathem.

» libellus qui dicitur Mennæ. Poſt hæc & in ſecundo libro circa ſeptimam actionem mutatum quidem fuiſſe quintum decimum quaternionem, adjectumque eſſe quadrifolium non ſuperſcriptum ante decimum ſextum quaternionem, in quo feruntur duo libri Vigilii, qui dicuntur facti fuiſſe ad Juſtinianum & Theodoram divæ memoriæ, utriſque nullam literam habentibus, Hos verò qui falſaverunt præfatos duos libros, & chartaceum volumen, ex illorum vocabulis malitiosè adversùs recta dogmata hæc interjicientes, eò quòd neque in nunc prolatis antiquis & immutilatis libris ejuſdem ſancti quinti Concilii, neque in chartaceo libro, qui in recenti inventus eſt apud Bibliothecam venerabilis Patriarchii, rejacent ipſi libelli, ſeu Mennæ ad Vigilium, ſive à Vigilio ad Juſtinianum & Theodoram divæ memoriæ: ſed hos fallaciter invenientes inſertos, utpote qui diabolicà operatione per eos, qui hæc falſaverunt, ſint complices, chartaceum quidem volumen, quod falſatum eſt, decernimus caſſari in locis in quibus adjectiones ſunt factæ. Verùm libros etiam eos obelis obduci in locis, in quibus depravati ſunt, & caſſari eos. Illos autem qui falſaverunt, anathemati ſubmitti, & nominatim cum eis anathematizari libellum qui dicitur Mennæ ad Vigilium, & duos libellos quaſi à Vigilio ad Juſtinianum & Theodoram divæ memoriæ.

Macrobius Reverendiſſimus Epiſcopus «
Seleuciæ Iſauriæ, dixit: *Suggero veſtræ glo-* «
riæ, & huic ſancto atque univerſali Concilio, «
quòd pervenit ad me liber ſancti quinti Conci- «
lii datus mihi à quodam Philippo magiſtro mi- «
litum imperialis obſequii. Quem relegens inve- «
ni eum falſatum eſſe in ſeptima actione. Et in- «
terrogans eundem Philippum, quia alicui de- «
diſti hunc librum? dixit mihi, quia Stephano «
diſcipulo Macarii eum dedi. Literæ verò, in «
quibus falſitas libri facta eſt, propriæ manus «
Georgii Monachi [a] *cata Macarium certe ſunt.* «
Quia cùm eſſet Patriarcha meus ipſe Maca- «
rius, ingrediebar in domum ejus, & aſpicie- «
bam eundem Georgium Monachum ſæpiùs ſcri- «
bentem, & ſcio accuratè quia propriæ ejus «
manus ſunt. Peto itaque tam veſtram gloriam, «
quámque ſanctum Concilium, ut ad medium «
veniat ſupraſcriptus Georgius Monachus, & «
de hoc interrogetur. «

Gloriſiſſimi Judices & ſanctum Conci- «
lium dixerunt: *Georgius Religioſus Mona-* «
chus, cujus mentio facta eſt, in medium veniat. «
Et ingreſſus eſt. «

Glorioſiſſimi Judices & ſanctum Conci- «
lium dixerunt: *In medio aſſiſtenti Georgio* «
Religioſo Monacho præſens liber oſtendatur, «
ut cognoſcat, ſi literæ propriæ ejus manus ſunt, «

[a] penes Mac. à partibus Macarii ſtantis, amici, fautoris, diſcipuli &c.

„ *quæ* [a] *poſt additamentum in ſexto folio ſcriptæ*
„ *ſunt.* Georgius Religioſus Monachus in-
„ tuens in eumdem librum dixit : *Hic liber,*
„ *qui nunc prolatus eſt à Macrobio ſanctiſſimo*
„ *Metropolitano Seleuciæ, mihique oſtenſus eſt,*
„ *Philippi magiſtri militum imperialis obſequii*
„ *erat. Ipſe autem Philippus vicinus erat de* [b]
„ *parte Stephani qui cecidit* [c] *cata Macarium*
„ *Hæreticum. Quando ergo facta eſt quæſtio in-*
„ *ter Theodorum, qui fuerat Patriarcha à Deo*
„ *conſervandæ hujus regiæ urbis, & præfatum*
„ *Macarium de fide, tulerunt paria libellorum*
„ *qui dicuntur Vigilii, de Patriarchio, ſicut di-*
„ *xerunt Macarius & Stephanus, & ſcripſimus*
„ *in quaterniones, & oblati ſunt ab eis piiſſimo*
„ *noſtro Principi. Præſumptione autem acceptâ*
„ *qui erant circa Stephanum & Macarium, ut-*
„ *pote qui obtulerant Principi eoſdem quaternio-*
„ *nes, unicuique ad eos venienti monſtrabant.*
„ *Idem verò Philippus habuit hunc librum, &*
„ *adduxit eum ad Stephanum Hæreticum, ut*
„ *eum conſideraret dicens, quia veniens de Occi-*
„ *dente adduxi librum quinti Concilii, & vide*
„ *ſi bene habet : nam hic codex non habuit li-*
„ *bellos, qui dicuntur Vigilii. Et dixit ei Ste-*
„ *phanus Hæreticus : ut ſcias, quia minus ha-*
„ *bet. Idem ergo Philippus rogavit eum, dicens :*
„ *Si quid ſcis, quia deeſt, imple. Et ipſe Stepha-*

[a] Alit. In addito ipſi biſolio.
[b] Alit. patris.
[c] Alit. cum Mac. Hæretico.

nus dixit mihi, ut ſcriberem eoſdem libellos. "
Et ſcripſi de memoratis exemplaribus, & dedi "
eidem Stephano. Et in veritate hæc propriæ "
manûs meæ ſunt, & cognoſco ea. Non ſolùm "
autem in hoc libro addiderunt iſtos, qui dicun- "
tur libelli Vigilii, ſed quanticumque libri "
quinti Concilii ad eos pervenerunt, non haben- "
tes libellos, qui dicuntur Vigilii, addiderunt "
idem Macarius & Stephanus. Incidit autem "
eis & alius Latinus codex quinti Concilii, "
quem dixerunt ſex ſolidis ſe comparaſſe ab uxo- "
re, quæ fuit quondam Innocentii Patricii. De "
capitulo autem ejuſdem libri Latini certiſſimè "
ſcit Conſtantinus Reverendiſſimus Presbyter "
hujus ſanctæ magnæ Dei Eccleſiæ, & Latinus "
Grammaticus. "

Glorioſiſſimi Judices & ſancta Synodus "
dixerunt: *Edicat præſens Conſtantinus Deo* "
amabilis Presbyter & Grammaticus Latinus, "
ſi verum dicat Georgius Religioſus Monachus "
de illo libro Latino, cujus mentionem fecit. "

Conſtantinus Deo amabilis Preſbyter & "
Grammaticus Latinus dixit: *Scio, Domini,* "
temporibus Pauli quondam Patriarchæ veniſſe "
Fortunium, qui fuit Epiſcopus Carthaginenſis, "
& cùm Miſſas acturus eſſet in ſancta magna "
Dei Eccleſia, quæſitum eſt, quomodo ſedere "
debuiſſet, utrumne ante Metropolitanos qui hìc "
morabantur, an poſt eos. Et requirente eodem "
Paulo quondam Patriarcha in Bibliotheca "

» *Patriarchii librum quinti Concilii, ut cognoſ-*
» *ceret quomodo ſedere debuiſſet, contigit ut in-*
» *veniretur & Latinus liber ejuſdem Concilii.*
» *Et exinde inſtructus idem Paulus fecit eum or-*
» *dinabiliter ſedere. Protulit verò eumdem librum*
» *Latinum de Bibliotheca, & dixit mihi: Aſ-*
» *pice illum, ſi ſecundùm chartaceum authenti-*
» *cum volumen ſeptimæ actionis ſancti Concilii*
» *completum eſt. Et inveni eumdem Latinum li-*
» *brum in ſeptima actione minùs habentem ad il-*
» *lud volumen chartaceum. Et dixit mihi idem*
» *Paulus Patriarcha: Quia aſſume tecum Sergium*
» *Diaconum, qui dicitur Antipiſidias, quia bonus*
» *ſcriptor eſt, & oſtende ei quomodo debeat li-*
» *teras Latinas ſcribere, & adde quæ minùs*
» *ſunt. Sunt autem, quæ addidimus in eodem*
» *Latino libro in ſeptima actione, libelli, qui*
» *dicuntur Vigilii Papæ Romani, quos & inter-*
» *pretatus ſum Latinè ex ipſo volumine, &, ut*
» *dictum eſt, ſcripſit ipſe Sergius Diaconus. Quæ*
» *verò ſcripta ſunt ab eodem Sergio Diacono, qui*
» *dicitur Antipiſidias, interpoſuit in eodem La-*
» *tino libro Theodorus librarius, qui habuit ſta-*
» *tionem ad [a] ſanctum Joannem Phocam. Hæc,*
» *Domini, in veritate ſcio facta fuiſſe.*
» Glorioſiſſimi Judices & ſanctum Conci-
» lium dixerunt: *Præſens Sergius Deo amabi-*
» *lis Diaconus inaudiens, quæ à Conſtantino*
» *Deo amabili Presbytero & Latino Gramma-*

[a] Alit. S. Jo. & Phocan.

tico dicta ſunt, quæ ſcit, cum omni veritate proſequatur. "

Sergius Deo amabilis Diaconus ſanctæ " magnæ Dei Eccleſiæ dixit: *Ante hos multos " annos convocavit me Paulus quondam Pa- " triarcha Conſtantinopolitanus, & dixit mihi: " Vide quæ interpretatur Domnus Conſtantinus " Grammaticus Latinus ex volumine quinti Con- " cilii, & ſcribe in Latinis literis. Et hæc au- " diens ab eo, ſicut ſervus & ſubjectus obedivi, " & dedi ea Domno Conſtantino Grammatico & " Presbytero.* "

Sanctum Concilium exclamavit: *Ana- " thema libro qui dicitur Mennæ ad Vigilium: " & qui eum finxerunt ſive ſcripſerunt: Ana- " thema libellis, qui dicuntur facti fuiſſe à Vi- " gilio ad Juſtinianum & Theodoram divæ me- " moriæ, qui & ſunt falſi demonſtrati: Anathe- " ma ſimul omnibus qui falſaverunt acta ſancti " & univerſalis quinti Concilii.....* "

Legati ergo Agathonis Papæ in ſexto Concilio Oecumenico contenderunt falſata fuiſſe tam *duos membranaceos libros ſancti quinti Concilii*, quàm & volumen chartaceum ſeptimam ejuſdem Concilii actionem continens, quæ producta *è Bibliotheca venerabilis Patriarchii* Conſtantinopolitani, Georgius Diaconus & Chartophylax porrexerat Patribus Concilii. Neque id Legati contenderunt tantùm, ſed etiam evi-

cerunt. Nam accuſationem hanc cùm examinaſſet ipſa Synodus, & tria hæc volumina contuliſſet cum aliis antiquis & chartaceis libris ejuſdem Concilii, falſata fuiſſe comperit, iiſque ſubdolè inſertos fuiſſe tres ſeu ſuppoſititios, ſeu falſatos libellos Mennæ ad Vigilium, & ipſius Vigilii ad Juſtinianum Imperatorem & Theodoram Auguſtam; atque idcirco adjectos in primo Concilii libro tres quaterniones, in ſecundo autem mutatum fuiſſe decimum quintum quaternionem & adjectum quadrifolium. Obſervat præterea eadem ſacra Synodus hanc Actorum Concilii depravationem *operatione diabolicà adversùs recta dogmata* factam eſſe; quare decrevit volumen quidem chartaceum caſſari in locis, in quibus adjectiones ſunt factæ; duos verò membranaceos libros obelis obduci, in locis in quibus depravati ſunt, & pariter caſſari; illos autem qui falſaverunt anathemati ſubmiſit.

Inſuper in eadem ſacra Synodo confeſſus eſt Georgius Monachus in alio rurſum exemplari à ſe inſertas fuiſſe juſſu Macarii & Stephani Hæreticorum eaſdem duas Vigilii Epiſtolas, ſimulque affirmavit ab iiſdem Hæreticis id ipſum factum eſſe in omnibus quinti Concilii exemplaribus, quæ in eorum manus pervenerunt. Denique

Conſtantinus Preſbyter ac Grammaticus Latinus, Sergiuſque Diaconus pariter confeſſi ſunt, ſe juſſu Pauli quondam Patriarchæ Conſtantinopolitani eaſdem ſive ſuppoſititias ſive falſatas Vigilii Epiſtolas inſeruiſſe in exemplari Latino, quod ſecum attulerat Conſtantinopolim Fortunius Epiſcopus Carthaginenſis. Quare Synodus item *anathema* dixit *omnibus qui falſaverant acta ſancti & univerſalis quinti Concilii.*

CAPUT XVIII.

Falſatas fuiſſe à Photio Conſtantinopolitano Epiſtolas ſummorum Pontificum Nicolai & Joannis.

PHotium Epiſcopum Conſtantinopolitanum hominem fuiſſe *magnæ quidem eruditionis, ſed majoris nequitiæ* Bellarminus [a] ait: & verè. Quis enim fraudes ignorat & dolos, quibus uſus eſt vir ambitioſus, ut ſanctum Ignatium de ſede Patriarchali detruderet, & detruſum perderet? Iſtud autem hoc in loco imprimis obſervandum eſt, eum impudentiâ ſingulari auſum eſſe ipſas Romanorum Pontificum litteras coram Imperatore, coram Synodo truncare,

[a] Lib. de Script. Eccl. in Photio.

& variis modis adulterare. Sed juvat eâ de re conquerentem Nicolaum primum audire.... « Quia ſuperiùs, [a] inquit, de falſatæ » Epiſtolæ per jam dictos tunc Rodoaldum » & Zachariam Epiſcopos ad te directæ » ſcripturâ memoriam fecimus : reſtat ut » partim loca in quibus falſata eſt, quantùm » inſpectis exemplaribus Græcis, quæ nobis » per Leonem à ſecretis miſiſti, noſſe tribui- » tur, aperiamus. » Deinde poſtquam conqueſtus eſt non fuiſſe in ea legenda Epiſtola ſervatum ordinem legitimum, & à SS. Patribus obſervari ſolitum, addit, *in iis quæ ibidem* (coram Synodo) *ex ea lecta ſunt, nonnulla addita, multa mutata, plura ſubtracta reperiri.* Tum verò non pauca profert loca, quæ fuerant adulterata, ſuppreſſa, vel addita. Denique his enumeratis ſic concludit idem Pontifex.

» Si quidem per Veſtratum aliquem tan- » tum nefas patratum eſt, quoniam apud » Græcos, ſicuti nonnulla diverſi temporis » ſcripta teſtantur, familiaris eſt iſta teme- » ritas, miramur & modis omnibus obſtu- » peſcimus, ſi regius excellentiæ tuæ honor, » qui judicium diligit, ad tantum potuerit » dedecus incurvari, cùm ad hoc magis di- » vinitus ordinatus ſit, ut depravata corri-

[a] Epiſt. 9. quæ eſt ad Michaël. Imper. tom. 8. Concil. Labb. pag. 330. & ſeq.

gat, & falſata priſtinæ veritatis honeſtati « reſtituat. Aut enim juſta fuerunt quæ mi- « ſimus, ſicque conſequenter oportuit ea « ſervari: aut ſi juſta putata non ſunt, in quo « juſta non fuerint, per aliud ſaltem ſcrip- « tum exponi, vel nobis referri, & ſummâ « ratione debuerant patenter oſtendi. In « nullo tamen horum oportuit ea vel Eccle- « ſiam, quæ apud vos eſt, cognitione pri- « vare, vel aliquâ falſitatis depravatione « fraudari. Porrò ſi tuæ Manſuetudinis poſt- « poſitâ notitiâ hoc immane ſacrilegium ge- « ſtum eſt; nihilominus immensâ admiratio- « ne ducimur, & quia tantùm Imperium il- « ludi potuit, & tantam fraudem perferre « jure dolemus. Denique ſacrilegium non « immeritò commiſiſſe dicendus eſt, qui « ſcripta pietatis Fidelium, atque pii Princi- « pis notioni vel ſubducit, vel à ſui veritate « ſubmovens, velamento præſtigiorum ſuo- « rum obnubilat. Verumtamen nos, quo- « modocumque falſitati vel depravationi « eadem ſit Epiſtola ſubmiſſa, grates innu- « meras agimus Deo, cujus inſpiratione & « fidelia ejus exemplaria penes nos retinui- « mus, & cujus permiſſu, qui hæc vel au- « thenticam ipſam ſcripſere, ſupereſſe noſ- « cuntur. «

Hactenus Nicolaus, qui quidem Photium hujus ſceleris Architectum fuiſſe non

pronunciat. Verùm cùm ea maxime loca reſecta ſint & adulterata, quæ Ignatium adjuvabant, Photii autem ambitioni adverſabantur, quis non ſtatim intelligat ſacrilegium iſtud non poſſe in alios derivari, quàm in Photium atque ejus Satellites & Miniſtros: præſertim cùm certum ſit Photii ingenium ejuſmodi fraudum fuiſſe feraciſſimum? Jam verò cùm Nicolaus Pontifex litteras ſuas perfidè ac impudenter falſatas fuiſſe demonſtrat, cúmque addit temeritatem iſtam apud Græcos fuiſſe familiarem, atque iſtius perfidiæ veſtigia etiam tum in nonnullis diverſi temporis ſcriptis ſuperfuiſſe: Hæc, inquam, cùm pius Pontifex docet, quis illum idcirco Pyrrhoni favere voluiſſe dicat, & cæteras Pontificum Epiſtolas, ac veteres ſanctorum Patrum codices in ſuſpicionem falſi adducere voluiſſe?

Tres etiam Joannis octavi Epiſtolas, primam ad Baſilium & Alexandrum Imperatores, ſecundam ad ipſum Photium, tertiam ad Clerum Conſtantinopolitanum & Patriarchas Orientalium Eccleſiarum datam, falſatas eſſe à Photio; ut & Commonitorium, quod Joannes Legatis ſuis dederat, pluribus [a] oſtendit Baronius; neque verò ullus ea de re dubitandi locus eſt.

[a] Ad an. 879.

Habetur

Habetur enim iſtarum litterarum geminum exemplar, unum in *Regeſto* Romanorum Pontificum, alterum in actione ſecunda Synodi, quam Photius celebravit Conſtantinopoli. Primum litteras exhibet ſinceras & genuinas, quales à Joanne ſcriptæ ſunt: alterum eas repræſentat, quæ lectæ ſunt in Synodo & à Photio adulteratæ. Has omnium oculis ſubjecit eruditus Annalium Eccleſiaſticorum ſcriptor: neque quiſquam eſt, qui ejus diligentiam reprehenderit & in invidiam vocaverit.

CAPUT XIX.

Ab Arianis falſatum fuiſſe Aëti opuſculum de ingenito Deo ac genito.

USque adeo in fraudem & perfidiam proni fuerunt veteres Hæretici, ut ne à falſandis quidem aliorum Hæreticorum ſcriptis, quos ſibi adverſari ſentiebant, abſtinuerint. Id expertus eſt Aëtius Hæreſiarcha, qui ab impio Georgio Alexandrino Arianorum Epiſcopo Diaconus ordinatus, inſanam Arii doctrinam hauſerat. Mox tamen Magiſtris ſuis deterior factus, propriam ipſe ſectam condidit. Nam cùm Ariani, Filium Dei eſſe conſubſtantialem

Patri, rejecta idcirco voce ὁμοούσιον, ſic negarent, ut tamen confiterentur eundem eſſe ὁμοιούσιον, hoc eſt ſimilis ſubſtantiæ: Aëtius utroque hoc nomine rejecto, impudenter contendebat Filium Dei eſſe ἀνόμοιον, id eſt, diſſimilem Patri, unde & ipſe Anomæus dictus eſt, & diſcipuli ejus Anomæi. [a] « Quare cùm ab ipſis Arianis Eudo-
» xio, Menophilo, & aliis communione pri-
» vatus eſſet, eoſdem coram Imperatore
» (Conſtantio) redarguit, aſſerens idem ſe
» profiteri ac ſentire cum illis omnibus. Ve-
» rùm, inquiebat, quod penes me verum eſt,
» iſti diſſimulant, & quod ego præ me fero,
» ac palam confiteor, illi omnes non diffiten-
» tur, ſed fraudulenter obtegunt. Etenim
» qui tum imperabat, inquit Epiphanius, ab
» Ariana illa tragœdia nequaquam abhorre-
» bat. Sed in ea tuenda pietatem ac religio-
» nem ineſſe ſibi perſuaſerat. Idem Filium
» Dei creaturam eſſe dici moleſtiùs ferebat:
» proindèque Aëtium in exilium relegari

[a] Epiphan. adv. Hær. lib. 3. tom. 1. Hær. 76. num. 3. Pariſ. Pet. Edit. pag. 916.

Ὡς καὶ ὕστερον ὑπ' αὐτῶν Ἀρειανῶν, φημὶ δὲ τῶν περὶ Εὐδόξιον, καὶ Μηνόφιλον, καὶ ἄλλους, καὶ ἀποσυνάκτος γενόμενος διήλεγχεν ἐπὶ τοῦ βασιλέως τότε. ὅτι ὁποίως αὐτοὶ ἔχουσιν, ἐγὼ ἔχω, ὡς καὶ αὐτοὶ πάντες. ἀλλ' ὃ ἐν ἐμοὶ ἀληθὲς, αὐτοὶ κρυπτάζουσι, καὶ ὃ ἐγὼ τηλαυγῶς ἀποφαίνω, καὶ ὁμολογῶ, οὗτοι πάντες τὰ αὐτὰ λέγουσι, κρυπτάζονται δὲ. τοῦ τότε βασιλέως οὐκ ἐναντίως ἔχοντος πρὸς τὴν Ἀρειανὴν δραματουργίαν, ἀλλὰ δῆθεν εὐσεβεῖν νομίζοντος. τὸ μὲν γὰρ κτίσμα ὁμολογεῖν τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ παραιτούμενος, ἠγανάκτει, καὶ εἰς ὑπερορισμὸν κατέταξεν . . . .

juſſit ; » nempe in ſubjectam Tauro monti regionem.

Qui Aëtii impietatem ad Conſtantium detulerant Ariani, quò majorem ipſi invidiam conflarent, opuſculum quoddam ejus *de ingenito Deo ac genito* multis modis adulteraverant. [a] Extat adhuc integrum illud opuſculum apud Epiphanium : continetque propoſitiones, ſive potiùs capitula quadraginta ſeptem, methodo quadam geometricâ ſeriatim diſpoſita. Quæ quidem quanquam adeò impia ſunt, ut teſte Epiphanio [b], in iis *ne minima vox ſit, quæ cum integra ſimplicique fide... cohærere videatur:* tamen *ut ingenuè fatear*, [c] inquit idem ſanctus Epiſcopus, *Aëtii hujus, ſive Anomæi ſubtilis illa ratio, illos rectè ac meritò petit, qui Filium Dei creaturam eſſe defendunt. Etenim quidquid creatum eſt, Creatori ſuo diſſimile eſt : tametſi per gratiam nonnihil aſſimiletur... Quare adverſùs Arianos, qui Dei Fi-*

[a] Ib. num. 10. p. 924. & ſeq.

[b] Epiphan. adv. Hær. lib. 3. tom. 1. Hær. 76. num. 10. Pariſ. Pet. Edit. pag. 923.

..... τῷ (Ἀνομοίου συντάγματι) οὐδ᾽ ἕνα λόγον ἔχοντι πίστεως τῆς ἀφελωτάτης καὶ ἀκεραιοτάτης, καὶ ἐν Πνεύματι ἁγίῳ καὶ πρᾴῳ κεκοσμημένης.

[c] Epiphan. adv. Hær. lib. 3. tom. 1. Hær. 76. num. 3. Pariſ. Pet. Edit. pag. 915.

Καὶ ὡς μὲν ἔχει ἡ ἀλήθεια, δικαιότατα πρὸς τοὺς τὸ κτίσμα παρεισφέροντας ἀποτείνεται ἡ τούτου τοῦ Αετίου τε καὶ Ανομοίου λεγομένου τοῦ λόγου ἀκριβολογία. πᾶν γὰρ τὸ κτιστὸν ἀνόμοιον τυγχάνει τῷ κεκτηκότι, κἄν τε κατὰ χάριν ἀφομοιοῖτο .... καὶ ὡς μὲν πρὸς Ἀρειανοὺς τοὺς κτιστὸν νομίζοντας τὸν υἱὸν τοῦ θεοῦ, καὶ τὸ ἅγιον Πνεῦμα, ἰσχύσειεν ἂν ὁ τούτου λόγος ....

lium creatum eſſe putant, illius procedebat ratio. Atque hanc fuiſſe cauſam idem Epiphanius affirmat, cur Eudoxius, Menophilus cæterique ejuſdem ſectæ homines, Conſtantium Imperatorem adversùs Aëtium concitaverint. Dolebant quippe nefandæ hæreſis virus omninò detegi ab eo homine, quem ipſi inſtituerant. Igitur ſive ut Aëtium faciliùs perderent, ſive ne hujus ſcriptum ipſis deinceps noceret, iſtud multis modis falſaverunt. Sed ipſum audiamus ea de re conquerentem Aëtium. Sic ergo loquitur in Præfatione, quam ipſi operi recenſito à ſe
» ac recognito præfixit. « Quoniam perſecu-
» tionis tempore, inquit [a], quam contra nos
» temporarii quidam homines excitarunt,
» nonnulli ex iis quos diximus, inter alia mul-
» ta Opuſculum quoddam privatim à nobis
» elucubratum *de ingenito Deo ac genito* ſur-
» ripientes, pleriſque additis, aut detractis, in-
» terpolatum ac depravatum ediderunt, per-
» turbatâ etiam ordinis ſerie: atque illud po-
» ſtea literarum quidam ad nos ſtudioſus at-
» tulit; neceſſe habui, utpote illius auctor,

[a] Aëtius apud Epiphan. adv. Hær. lib. 3. tom. 1. Hær. 76. Pariſ. Pet. Edit. pag, 924.

Ἐπειδὴ ἐν καιρῷ τοῦ ἐπενεχθέντος ἡμῖν διωγμοῦ ὑπὸ τῶν χρονιτῶν, τινὲς τῶν προειρημένων σφετερισάμενοι μετὰ καὶ ἄλλων πολλῶν, πονημάτιον σπουδασθὲν ἡμῖν ἰδιαζόντως περὶ ἀγεννήτου θεοῦ καὶ γεννητοῦ, παρενθήκαις τε καὶ ἀφαιρέσεσι διαφθείραντες ἐξέδωκαν, τὴν ἀκόλουθον ἀμείψαντες ἀγωγήν· ἦλθε δὲ μετὰ ταῦτα αὐτὸ εἰς ἡμᾶς, τινὸς τῶν σπουδαίων ἡμῖν αὐτὸ προσκεκομικότος, ἠναγκάσθην οἷα πατὴρ

recenſitum ac repurgatum opus iſtud ad vos " mittere, &c. "

Aëtius ſibi, inter alia multa, Opuſculum illud ſurreptum eſſe, antequam ederetur, & variis modis corruptum eſſe, atque ita editum aſſeverat. Quoſnam autem hujus perfidiæ accuſat? Nempe Χρονίτας ſive *temporarios* homines, à quibus perſecutionem paſſus eſt. Paſſus eſt autem perſecutionem ab Eudoxio, Menophilo, aliiſque Arianis, quibus favebat Conſtantius, non à Catholicis, quos idem Imperator perſequebatur. Et verò Χρονιτῶν, ſive *Temporariorum* nomen potuit Aëtius dare illis Arianis, qui aulæ & tempori ſerviebant: potuiſſet etiam & ſibi ac ſuis attribuere, cùm ipſorum ſecta nova eſſet & nupera. At nullo ſenſu potuit Catholicos vocare Χρονίτας, ſive *Temporarios*, cùm eorum doctrina, quæ perpetua eſt ac ſtabilis, tempori non ſubjaceat; nec eâ ætate ipſi gratiâ valerent apud Imperatorem. Neque verò ulla ratio perſuadet, Aëtium voluiſſe ipſos Orthodoxos nomine Χρονιτῶν deſignare. Unde miror apud Epiphanium reperiri [a] hanc notam marginalem, *cur Temporarios vocet Catholicos Aëtius*. Verùm ſive Aëtius *Temporarios* vocet eos ſolùm Arianos, qui Filium Dei ὁμοιού-

αὖθις διακαθάρας ἐκπέμψαι ὑμῖν τὸ σύγγραμμα......

[a] Ibid. pag. 932.

σιον dicebant, ſive nomen iſtud etiam ad Catholicos transferat, qui Filium Dei ὁμοού-σιον eſſe meritò contendebant, utroſque enim Anomæi impugnant; utut eſt, ſaltem conſtat Aëtium falſati Opuſculi crimen iis tantùm imponere, qui tempore perſecutionis, quam adversùs eum Eudoxius, Menophilus aliique Ariani excitaverant, iſtud ipſum Opuſculum inter alia multa ſurripuerant. Surripuerant autem non Catholici, ſed Ariani, quorum operâ perſecutionem paſſus eſt Aëtius & in exilium ejectus.

Caput XX.

Apollinarii libros ab ejus diſcipulis Polemio, Timotheo aliiſque fuiſſe adulteratos.

QUod ſpectat ad Apollinarii opera, Leontius Byzantinus in eo libro quem ſcripſit [a] adversùs Apollinariſtarum fraudes, inter varias ipſorum artes, has fuiſſe ait. 1. Quòd nonnulla Apollinarii ſcripta ſpecioſo ſanctorum Patrum nomine venditarent. « Cùm vellent, inquit, [b] ſuam Hæ-
» reſim confirmare, quaſdam orationes Apol-

[a] Tom. 9. magnæ Bibliothecæ Patrum. pag. 706. Antiqu. lection. Caniſ. tom. 4. partis primæ pag. 105.

[b] In Præfat.

linarii, Gregorio Thaumaturgo, aut Atha- «
naſio, aut Julio (Romano Pontifici) in- «
ſcripſerunt, ut ſimpliciores fallerent, quod «
quidem perfecerunt. Auctoritate enim hu- «
juſmodi perſonarum fide dignâ multos Ec- «
cleſiæ Catholicæ capere potuerunt. Et apud «
multos ex rectè credentibus reperire pote- «
ris librum Apollinarii, cui titulus ἡ κτ' μέ- «
ρος πίςις, *fides ſecundùm partem* inſcriptum «
Gregorio; & quaſdam ejus Epiſtolas in- «
ſcriptas Julio; & alias ejus de Incarnatione «
Orationes, vel expoſitiones Athanaſio in- «
ſcriptas. Cujuſmodi eſt, quæ inſcripta eſt, «
Expoſitio conſentiens cum expoſitione trecento- «
rum decem & octo: neque ſolùm has, ſed «
alias hujuſmodi ». Atque hoc ut Leontius fa- «
ciat manifeſtum, demonſtrat, quæ in his operibus falsò aſcriptis Athanaſio continentur dogmata, conſentire quidem cum iis quæ Apollinarius in aliis ſuis operibus ſcripſit, repugnare verò illis quæ verè ſcripſit Athanaſius.

Altera fraus Apollinariſtarum, quæ ad rem noſtram propiùs accedit, illa eſt; quòd quidam eorum Apollinarii ipſius ſcripta adulteraverint: atque hoc ipſorum teſtimonio comprobatur. Nam cùm Apollinariſtarum ſecta in duas factiones ſciſſa eſſet; Polemio quidem, Timotheo, aliiſque nonnullis impiè contendentibus *carnem Chriſti*

eſſe conſubſtantialem Verbo; Valentino autem iſtud negante: utraque pars affirmabat ſecum ſenſiſſe communem magiſtrum Apollinarium. Cujus teſtimonia aliquot cùm Timotheus ejuſque aſſeclæ produxiſſent: ſic reſpondit Valentinus. « Facite, ut intelligatis[a] quòd unio naturam honoravit, non autem fecit corpus conſubſtantiale Deo, ſicut vos fingere audetis, qui à veritate lapſi eſtis; & condeſcenſum Verbi ad uniendum ſibi corpus propter noſtram ſalutem nimio Dei erga homines amore factum contumeliâ afficitis, cùm dicitis factum eſſe corpus conſubſtantiale divinitati impatibili propter unionem. Quod omnem ſuperat impietatem: quamvis velint millies facere ſe ſapientes, pravè & doloſè divinas Scripturas interpretantes, & libros beatiſſimi Patris noſtri & Magiſtri Apollinarii; ut vos redarguunt, quæ à vobis appoſita ſunt, quæ ipſi adſcripſiſtis ad decipiendas animas ſimpliciorum, in caput veſtrum; ſiquidem veritati repugnatis, qui ſcitis alioqui durum eſſe contra ſtimulum calcitrare, & multo circuitu uſi eſtis. Sicut Judæi qui ſcelus in carnem Domini auſi ſunt, perierunt: ſic vos, qui propter carnem Salvatoris ſcandalum incurriſtis, quamvis multi ſitis, pro nihilo propter impietatem veſtram reputabimini.

[a] Ibid. pag. 709. & Caniſ. ant. Lect. tom. 4. pag. 116.

Et rurſum paulò poſt... « Ne igitur ad «
decipiendum ſimpliciores, quæ beatiſſimus «
Pater noſter & Magiſter appoſuit, mutare «
in veſtram blaſphemam appoſitionem ve- «
litis : illa enim rectè & piè appoſita erant «
à ſancto & divino viro, quæ habitudinem «
& honorem declarabant, non naturam. «
Quæ autem vos infideliter & impiè appo- «
ſuiſtis, conſubſtantiale declarant... «

Quæ Valentini verba Henricus Caniſius & alii Leontii Editores intelligunt de ſcriptorum Apollinarii depravatione facta à Timotheo atque ejuſdem factionis hominibus. Unde Caniſius & alii poſt ipſum hanc ad iſtum locum obſervationem appoſuerunt : *Erant*, inquiunt [a] illi, *qui Apollinarium ſic defenderent ut alii Origenem tempore Hieronymi, quaſi iſtorum libri ab aliis corrupti eſſent, ſuppoſitis falſis dogmatibus.* Ita Caniſius & alii : ubi obſervandum, inter Apollinarii & Origenis falſatores magnum eſſe diſcrimen. Illi enim qui fuerint, quo potiſſimùm tempore Apollinarii libris multa appoſuerint, diſcimus à Leontio : imò & tantùm non habemus fatentes reos. Nuſquam enim legimus à Timotheo aliiſque earumdem partium Hæreticis negatum eſſe crimen falſi, quod ipſis Valentinus expro-

[a] Ant. Lect. tom. 4. pag. 117. ad marg. Item. Tom. 9. magnæ Biblioth. Patr. pag. 709.

bravit. At ſi diſputationem Origenis cum Candido exceperis, falſati Origenis crimen ſic quibuſdam Hæreticis imponitur, ut quandonam crimen iſtud commiſſum fuerit, nemo definiat. Unde factum eſt, ut ſanctus Hieronymus & multi poſt illum ea de re dubitaverint. Productum autem à Leontio Valentini teſtimonium de adulteratis à Timotheo, atque ejuſdem ſectæ hominibus Apollinarii libris, non videtur eſſe poſſe ſuſpectum.

Concluſio Primæ Partis.

DUo ſunt quæ in hac prima parte demonſtraturum me ſpoponderam: nempe nonnulla veterum Patrum opera olim adulterata fuiſſe, hujuſque ſceleris non alios plerumque fuiſſe Auctores quàm Hæreticos. Utrumque, ni fallor, ſatis ſuperque demonſtratum eſt. Teſtes enim appellavimus omni exceptione majores, Dionyſium Corinthiorum Epiſcopum, Origenem, Euſebium, Epiphanium, Philaſtrium, Rufinum, Auguſtinum, Cyrillum Alexandrinum, Vincentium Lirinenſem, Gregorium Magnum, Anaſtaſium Sinaïtam, Iſidorum Hiſpalenſem, Nicolaum primum ſummum Pontificem, Photium, alioſque Scriptores celeberrimos: quin etiam oſtendimus hu-

jùs flagitii complures accuſatos fuiſſe & convictos in ſexta Synodo Oecumenica. Neque verò ignoramus, quæ veterum opera adulterantium manum experta ſint. His enim annumerantur libri Clementi Romano attributi, Ignatii atque Dionyſii Corinthii Epiſtolæ, Origenis libri ſaltem aliquot, Athanaſii Epiſtola ad Epictetum, Opuſcula varia Hieronymi, Auguſtini, Cyrilli Alexandrini, Iſidori Hiſpalenſis & Bernardi; ipſæ etiam ſummorum Pontificum Epiſtolæ aliquot, ipſa quintæ Synodi Acta. Neque ferè ulla eſt veterum Hæreticorum ſecta paulò celebrior, quæ non habuerit falſatores ſuos. In ſceleris partem venerunt Ebionæi, Manichæi, Apellitæ, Ariani, Eunomiani, Apollinariſtæ, Neſtoriani, Monothelitæ, Severiani, Acephali, Gajanitæ, Albigenſes, & aliæ ejuſmodi peſtes. Unde calumniæ convincuntur Rivetus cæterique Scriptores Hæretici, qui falſi crimen in ſolos ferè Monachos rejiciunt, cùm illud ſui ſimilibus viris imponere potiùs debuiſſent. Quæ cùm ita ſint, non videtur jam ullus eſſe timendi locus, ne certiſſima traditionis Patrum auctoritas imminuatur, ſi id affirmetur factum, quod non ſolùm certâ ratione factum eſſe conſtat, ſed etiam una Synodus generalis, ſummi Pontifices aliquot, & innumeri ſæculis ferè omnibus

Patres teſtimonio ſuo comprobarunt. Hac verò formidine nunquam, ut puto, perculſus fuiſſet vir doctus, niſi ego eorum redarguiſſem perfidiam, qui ſecundum ſancti Hilarii librum de Trinitate, atque editum inter ſancti Auguſtini opera librum *contra quinque hoſtium genera*, octavo & nono ſæculo adulteraverunt. Juſtam enim hanc reprehenſionem Cuſtantius negat: ego juſtiſſimam fuiſſe contendo, & deinceps, Deo adjuvante, ſum demonſtraturus.

PARS SECUNDA.

Sancti Hilarii Codices, qui olim in Aquiſgranenſi Palatio ſervabantur, à Felice Orgelitano Epiſcopo fuiſſe adulteratos.

PErtinebat hæc diſceptatio ad librum præcedentem, in quo egimus de Hæreticis qui veterum Patrum libros olim adulteraverunt. Illam tamen in hunc librum rejecimus, quia paulò fuſiùs pertractanda eſt, ut quæ pro Felice Cuſtantius protulit argumenta, ſingula accuratè diſcutiamus. Regebat Felix Orgelitanam in Catalania Eccleſiam, circa finem octavi ſæculi. Is ab Elipando Toletano Archiepiſcopo interrogatus, quid de humanitate Chriſti ſentiret, reſpondit, Chriſtum, in quantum homo eſt, eſſe Filium Dei *adoptivum*: erroremque hunc ita propoſuit, ut ipſum Elipandum in ſuam quoque pertraheret ſententiam.

Adversùs utrumque multi inſurrexerunt, tùm in Hiſpania, tùm in Gallia & Italia Catholicæ veritatis defenſores, inter quos eminebat celeberrimus tunc temporis Diaconus & Abbas Magiſter Albinus Flaccus

Alcuinus. Qui cùm ad Felicem ſcripſiſſet Epiſtolam *charitatis calamo*,[a] ut ipſe ait, *non contentionis ſtimulo, fraternæ ſalutis deſiderio, non mordacis reprehenſionis ſtilo, cupiens eum corrigere in Chriſti dilectione: Felix mox libellum, non Epiſtolari brevitate ſuccinctum, ſed ſermonum ſerie prolixum ipſi dirigere ſtuduit: in quo dividebat Chriſtum in duos filios, unum vocans proprium, alterum adoptivum.* Atque ad confirmandam hanc opinationem ſuam nonnulla proferebat ſanctorum Doctorum teſtimonia, quæ conſueta Hæreticis verſutia immutare ac pervertere non erubuit.

Fraudem ejus multiplicem detexit Alcuinus; atque inter alia illi exprobravit, quòd ubi beatus Hilarius ait, *adoratur*, ipſe Felix omnino perverſiſſimè dixerit *adoptatur.* Quam perfidiam ut obtegeret perjurus Hæreſiarcha, Aquiſgrani, quò venerat diſputaturus cum Alcuino, corrupit ipſos ſancti Hilarii Codices; atque in his verbum *adoptatur*, quemadmodum in libello citaverat, ſubſtituit in locum verbi *adoratur.*

Cuſtantius, Felicis causâ ſuſceptâ, lectionem ejus tanquam genuinam defendit. Ego quæſtionem hanc, non ita facilem & expeditam, in tres dividam partes, ne quod

[a] Lib. 1. contra Felicem. Edit. Pariſ. pag. 781.

omnino certum mihi videtur & exploratum, malè cum eo confundatur, quod poteſt eſſe controverſum. Quærere enim poſſumus 1. An quemadmodum Hincmarus tradit, Aquiſgranenſes ſancti Hilarii Codices re ipsâ à Felice Orgelitano fuerint adulterati. 2. An verbum *adoptatur*, quod Felix in Aquiſgranenſes Codices perfidè induxit, in aliquot minimè adulteratis Hilarii exemplaribus lectum fuerit ante Felicis tempora. 3. Si fortè variaverunt Codices, aliique *adoptatur*, alii *adoratur* habuerunt, utra lectio judicari debeat genuina. Quippe fieri potuit, ut Felix malâ fide Aquiſgranenſes Codices raſerit, & tamen ejus lectio ſincera ſit, atque excerpta ex accuratioribus ac vetuſtioribus aliarum regionum exemplaribus. Igitur ad primam quæſtionem quod ſpectat, contendo, nec illius facti, quod narrat Hincmarus, veritatem ullâ idoneâ ratione in dubium vocari, nec Felicem ab adulteratorum librorum crimine liberari poſſe. Utramque alteram quæſtionem fateor eſſe paulò obſcuriorem: tamen re diligenter excuſsâ, viſum eſt ſimilius vero, Felicis quidem ſpuriam, Alcuini autem & Hincmari lectionem eſſe genuinam. Quæ omnia priuſquàm fuſiùs diſputo, ſancti Hilarii locum, de quo controvertitur, integrum hîc proponere juvat.

Caput I.

Proponitur ſancti Hilarii locus, de quo controvertitur.

SAnctus Hilarius, poſtquam in ſecundo libro *de Trinitate* pluribus egit adversùs Sabellium atque Arium, & oſtendit Verbum divinum atque unigenitum Dei Filium ſic eſſe diſtinctum à Patre, ut tamen verè Deus ſit, quæ ſibi opponi poſſe judicabat, antè occupat ipſe & prævertit his verbis: *Sed ne fortè detineant*[a] *ſcrupuloſas mentium cogitationes cunæ, vagitus, partus atque conceptio, reddenda eſt ſingulis Dei dignitas:* deinde toto hoc capite vigeſimo ſexto oſtendit, quàm manifeſtè Dei dignitas appareat, vel in ipſo Chriſti Domini puriſſimo conceptu.

Tùm verò capite proximè ſequenti ſic loquitur: *Videamus*[b] *partum, vagitum & cunas dignitas quæ ſequatur.* Atque ubi ſingula breviter deſcripſit, quæ naſcente Chriſto mirabilia contigerunt, ita demum concludit: [c] *Sic per Magos cunarum ſordes adorantur, ſic vagitus per Angelorum divina gau-*

[a] Cap. 26. novæ Edit. pag. 800.

[b] Cap. 27. N. Edit. p. 801.

[c] Ibid. pag. 802.

dia

dia honoratur, ſic partui proclamans per prophetam Spiritus, & Angelus nuncians, & novæ lucis ſtella famulatur. Sic initia naſcendi Spiritus ſanctus ſuperveniens, & inumbrans virtus Altiſſimi moliuntur. Aliud intelligitur, aliud videtur, aliud oculis, aliud animo conſpicitur. Parit Virgo; partus à Deo eſt: infans vagit; laudantes Angeli audiuntur. Panni ſordent: Deus adoratur. Ita poteſtatis dignitas non amittitur, dùm carnis humilitas ADORATUR vel ADOPTATUR. Utra enim vox legenda ſit, controvertitur: cùm in aliis libris tam manuſcriptis, quàm editis nunc temporis legamus *adoratur*, in aliis *adoptatur.* Si primum legimus, erit hic ſenſus, *ita in Chriſto naſcente, dum carnis humilitas adoratur, poteſtatis dignitas remanet.* Si ſecundum, iſte erit ſenſus, *ita poteſtatis dignitas ab unigenito Dei Filio non amittitur, dùm ab ipſo carnis humilitas aſſumitur.* Uterque ſenſus orthodoxus eſt: ſi primum ſequimur, iſte locus conſecutio erit eorum ſolùm, quæ in illo ipſo capite, ubi legitur, dicta ſunt: ſi ſecundum, conſectarium referendum erit, non tam ad caput vigeſimum ſeptimum, in quo habetur, quàm ad caput vigeſimum ſextum, ubi agitur de admiranda Chriſti conceptione, in qua primùm unigenitus Dei Filius carnis humilitatem aſſumpſit. Priuſquàm autem diſqui-

rimus utra lectio præferenda ſit, utra genuina ſit dicenda, definiendum eſt, an id credibile ſit, quod legimus apud Hincmarum, poſteriorem hanc lectionem, *adoptatur*, in Codices Aquiſgranenſes fuiſſe à Felice Orgelitano perfidè invectam.

Caput II.

Quid ea de re Hincmarus tradiderit.

DIſertè ac conceptis verbis, neque ſemel aut in uno eodemque libro affirmat Hincmarus propoſitum modò ſancti Hilarii locum olim corruptum fuiſſe à Felice Orgelitano Epiſcopo. Nam & iſtud docuit in Præfatione Tractatûs *de Prædeſtinatione*.
» « Sicut ipſorum, inquit, [a] qui interfuerunt
» Concilio, relatione didicimus, quando di-
» væ memoriæ Domnus Carolus Felicem in-
» felicem Orgelitanæ civitatis Epiſcopum,
» Synodali decreto Hæreticum comproba-
» tum atque damnatum comperit, etiam re-
» victum invenit, quia corrupto muneribus
» juniore Bibliothecario Aquenſis Palatii li-
» brum beati Hilarii raſit; & ubi ſcriptum
» erat, quia in Dei Filio *carnis humilitas ado-*
» *ratur*, immiſit, *carnis humilitas adoptatur.*

Quam Felicis fraudem in Tractatu *de*

[a] Tom. 1. pag. 1.

non trina Deitate antea pariter expoſuerat his verbis: « Felix, inquit, [a] Orgelitanæ quondam civitatis Epiſcopus infelix, in libro « beati Hilarii, ubi idem Sanctus dixerat, « *carnis humilitas adoratur*, tempore Caroli « Magni Imperatoris, quoſcumque hinc codices arripere potuit, in omnibus adulteravit, *carnis humilitas adoptatur*; ut quia per « veritatem non poterat, de mendacio ſuam « adſtipularetur ſententiam. «

Quam narrationem Hincmari quò magis conſidero & perpendo attentiùs, eò magis miror potuiſſe illam à Petro Cuſtantio haberi ſuſpectam, atque etiam rejici tanquam falſam. Neque enim quicquam in ea obſcurum eſt aut incertum. Res geſta in ea deſcribitur non vagè, ſed definitè ac diſtinctè. Appellat Hincmarus librum, imò & verba ſancti Hilarii, quæ falſata fuiſſe contendit; nec in uno tantùm codice falſata, ſed in iis omnibus, quos Felix ex Aquiſgranenſi Bibliotheca arripere potuerat. Deſignat præterea tempus & locum, ubi fraus commiſſa eſt, nempè in Palatio Aquiſgranenſi, regnante Carolo Magno. Sceleris auctorem Felicem Orgelitanum nominat, cujus & participem ac conſcium fuiſſe ait juniorem Aquenſis Palatii Bibliothecarium à Felice muneribus corruptum: teſtes au-

[a] Tom. 1. pag. 465.

tem illos ipſos appellat, qui Concilio interfuerant, in quo perfidia iſta detecta fuit.

Qua ſanè in narratione non video quid deſiderari poſſit, quid argui. Singula cohærent inter ſe, nec quicquam occurrit, quod Hiſtoriæ illorum temporum adverſetur. Nam & certum eſt Carolum Magnum Aquiſgrani Palatium habuiſſe, in quo ſæpè commoratus eſt, & in illo Palatio fuiſſe Bibliothecam, illucque evocatum eſſe Felicem, & coram Concilio convictum ab Alcuino, qui coram Carolo & Epiſcopis, qui aderant, ſex continuis diebus, nempè [a] *à ſecunda uſque ad ſeptimam Sabbati*, cum Felice diſputavit, eumque per plura fugientem latibula, ſocordiæ atque Hæreſis convictum tandem ad ſanam mentem reduxit. Quæ quidem Alcuini in Concilio Aquiſgranenſi concertatio & victoria contigit ſub finem octavi ſæculi, anno ſcilicet 799. Hæc autem tempora non ita ſunt remota ab ætate Hincmari, ut non potuerit facilè plurimos videre ex iis, qui Concilio interfuerant, & cum iis verſari.

Jam verò Hincmari iſtud narrantis auctoritas ea eſt ſanè, quæ temerè ac ſine cauſa contemni non debeat & rejici. Certè illam non deſpiciebat Sirmondus, cùm ſcripſit [b], *In operibus Hincmari nullum eſſe, in quo*

[a] Anonym. in vit. Alcuini. | [b] Admon. ad Lector.

præſtans auctoris judicium cum ſcientiæ copia non eluceat. Illam non deſpiciebat eorumdem temporum æqualis Lupus Abbas Ferrarienſis, cùm ipſum Hincmarum ſic eſt [a] allocutus : *Nobilitatem veſtræ generoſitatis ornat eruditio ſalutaris, altitudinem officii commendat religio profeſſionis, in vobis nobilitas & ſapientia convenerunt.*

Neque verò credendum eſt hæc falsò & per adulationem eſſe ſcripta. Quiſquis enim hiſtoriam illorum temporum legerit, is ſentiet nullum tunc in Gallia fuiſſe Epiſcopum, cujus eruditionis & ſapientiæ fama illuſtrior, conſtantior apud Reges gratia, major inter Epiſcopos auctoritas, quàm Hincmari fuerit. Cùm ergo is extiterit Hincmarus, quis neget hanc ſaltem ejus dignitati atque auctoritati deberi reverentiam, ut temerè atque ex meris conjecturis non arguatur mendacii. Diſertum tam illuſtris Epiſcopi teſtimonium ſi rejicitur, aut debet illud contrariis aliorum teſtimoniis confutari: aut ſaltem debent in ejus narratione certa falſi indicia deprehendi. Atqui neutrum fit à Cuſtantio.

Ac primò nemo Veterum, quem ſciam, hac in re contradixit Hincmaro : nemo ipſi opponitur. Affirmat ille Felicem Orgelitanum, corrupto muneribus Aquenſis Pa-

[a] Epiſt. 42.

latii juniore Bibliothecario, adulteraviſſe ſancti Hilarii verba in iis omnibus codicibus, quos hinc arripere potuit: ait iſtius ſceleris *reviſtum* eſſe Felicem in Concilio Aquiſgranenſi, idque ſe didiciſſe ab iis qui interfuerant Concilio. Quod ſi falſum eſt, neceſſe eſt, ut mentiti fuerint vel illi qui factum iſtud retulerunt Hincmaro, vel ipſe Hincmarus qui id ſcripto mandavit. Eos qui Concilio interfuerant, de induſtria mentitos eſſe, atque celeberrimo Præſuli imponere malitiosè voluiſſe, quis ſibi perſuadeat? quis temerè audeat affirmare?

Neque magis ſimile vero eſt Hincmarum auſum præfractè mentiri, & Lectoribus imponere voluiſſe. Eſto enim, proprias ille opiniones aliquando defenderit pertinaciùs: fuerit interdum paulò iracundior, nec ſatis accuratus, ut Adverſarii contendunt. At nemo dixerit eum fuiſſe ſine judicio, ſine fronte: qualem fuiſſe oportet, ſi rem aliter, atque acceperat, hac in occaſione expoſuerit. Debuerat enim intelligere non poſſe id ſceleris impunè ab eo committi, qui tot tamque exacerbatos æmulos patiebatur & obtrectatores. Reclamaſſent profectò Gòtheſcalcus, Ratramnus, cæterique adverſarii, atque hominis impudentiam arguiſſent: ſiluiſſe autem illos, nec ea de re conqueſtos eſſe, vel ex eo manifeſtum red-

ditur, quòd cùm accuſationem hanc adverſùs Felicem primùm Hincmarus inſtituiſſet in Tractatu *de non trina Deitate*, eandem inſtauravit duobus poſt annis in ſecundo Tractatu *de Prædeſtinatione.* Cùm ergo ætate Hincmari nullus ejus narrationi reclamaverit, reliquum eſt, ut vel illa admittatur hodie, vel aliqua in ipſa rei narratæ ſerie argumenta falſi oſtendantur. Atqui non modò nulla habentur ejuſmodi argumenta: ſed etiam contraria proferuntur, quibus narrationis veritas non parum confirmatur.

CAPUT III.

Hincmari narrationem confirmari auctoritate veteris manuſcripti Codicis, quem laudavit Cuſtantius.

CUm ego Cuſtantio objeciſſem Hincmari narrationem de adulterato à Felice ſancti Hilarii libro, reſpondit [a] *nullam in ea relatione veri eſſe ſimilitudinem.* Ignoſcat vir eruditus, ſi hoc in loco admoneam ipſum non ſatis meminiſſe eorum, quæ in nova operum ſancti Hilarii editione ſcripſerat. Quam enim narrationem nunc ait

[a] Vind. vet. Cod. cap. 10. pag. 84.

nullam habere ſimilitudinem veri, eandem tunc judicavit ut minimùm veriſimilem, atque etiam aliquot argumentis approbavit.

Et verò ipſe laudavit veterem librum manu exaratum, qui nunc quidem aſſervatur in Monaſterio San-Germanenſi, antea fuerat in Bibliotheca Corbeienſi, olim verò in Aquiſgranenſi; cujus libri auctoritate Hincmari narrationis veritas non modò confirmatur, ſed etiam quodammodo oculis ſubjicitur. *Scriptus ille ante annos octingentos*, ut ipſe Cuſtantius[a] aſſeverat: & [b] *annorum eſt ferè nongentorum*: atque adeo æqualis eſt temporum Alcuini & Felicis. In eo porrò, fatente Cuſtantio, fraudis Felicianæ manifeſta etiamnum extant veſtigia. Felicis enim Orgelitani fraus in eo poſita eſt, quòd ille Aquiſgrani agens librum ſancti Hilarii raſerit, ut verbum *adoptatur* iſti alteri verbo *adoratur* ſubſtitueret. Atqui laudatus à Cuſtantio liber, ipſo eodem teſte, & ſuppar eſt[c] ætati Felicis, & olim [d] in Bibliotheca Aquiſgranenſi fuit, &[e] *poſtremas haſce ſyllabas* ptatur *loco abraſo exhibet*, atque adeo *is eſt*, *uti videtur*, [f] *quem Hincmarus à Felice Orgelitano, corrupto Aquiſgra-*

[a] Nov. Hil. Edit. pag. 802. in not. K.
[b] Ibid. pag. 1401.
[c] Ibid. pag. 1401.
[d] Ibid. Præf. pag. 5.
[e] Ibid. pag. 802.
[f] Ibid. pag. 1401.

nenſis Bibliothecæ præfecto adulteratum conqueſtus eſt. Quæ cùm ita ſint, quis non ſentiat hoc libro Hincmari narrationem confirmari, & illius veritatem quaſi oculis ſubjici?

Præterea dum fatetur doctiſſimus operum ſancti Hilarii Editor in illo veteri Codice priùs ſcriptum fuiſſe *adoratur*; deinde verò deletis iſtius verbi duabus poſtremis ſyllabis *ratur*, haſce *ptatur* in loco abraſo ſubſtitutas fuiſſe : hoc, inquam, dum fatetur, non negat factum eſſe malâ fide; imò in id videtur propendere, ut credat factum eſſe malâ fide : *malà forſitan fide*,[a] inquit, *ſed non malè adſcriptum eſt*, ADOPTATUR. Igitur Cuſtantius ſic contendit lectionem, quæ habet *adoptatur*, ſinceram eſſe & genuinam; ut tamen aliquis ipſi dubitandi locus videatur, an non malâ fide vetuſtiſſimus Codex raſus fuerit, ut ſubſtitueretur verbum hoc *adoptatur*.

Jam verò illius qui Codicem raſit, fides non potuit Cuſtantio ſuſpecta eſſe & dubia, niſi propter Hincmari narrationem. Tunc ergo exiſtimabat Cuſtantius in illa narratione eſſe ſaltem aliquam ſimilitudinem veri; narratio enim in qua nulla eſt ſimilitudo veri, nullum dat dubitandi locum de bona aut mala fide illius, ad quem nar-

[a] Ibid. pag. 802.

ratio ſpectat. Item propter ſolam Hincmari narrationem pronunciavit Cuſtantius Codicem illum, qui nunc eſt Germanenſis, nuperque erat Corbeienſis, fuiſſe olim Aquiſgranenſis Bibliothecæ: ergo narratio iſta ſaltem veriſimilis eſt, quod enim ne veriſimile quidem eſt, non poteſt eſſe homini prudenti cauſa & ratio alicujus rei affirmandæ aut negandæ. Denique niſi relatio Hincmari ſaltem veriſimilis eſſet, temerè profectò Cuſtantius diceret vetuſtum illum Codicem qui penes ipſum eſt, videri eum eſſe quem Hincmarus à Felice Orgelitano, corrupto Aquiſgranenſis Præfecto, adulteratum conqueſtus eſt. Atqui iſtud ait Cuſtantius: igitur relatio Hincmari videbatur ipſi veriſimilis, cùm novam operum ſancti Hilarii editionem adornabat. Verùm qui ita ante aliquot annos ſentiebat, mutatâ jam opinione pronunciat [a], *nullam veri eſſe ſimilitudinem in Hincmari relatione de loco Hilarii à Felice depravato.* Ejus eſt exponere nobis, quæ prioris opinionis abjiciendæ ratio fuerit. Equidem ſcio id poſtulaſſe neceſſitatem cauſæ, quam defendebat: ſed ejuſmodi rationem, neque ipſe producere velit, neque ſi producat, Lectores admittant. Aliquot alias prætexit hujus rei cauſas, ſed quas approbare nullo pacto poſſum.

[a] Vind. vet. Cod. cap. 10. pag. 84.

CAPUT IV.

Nulla eſſe argumenta, propter quæ Cuſtantius negat eſſe veriſimilem Hincmari narratiouem.

TRia ſunt aut quatuor argumenta, quibus Cuſtantius probare nititur, nullam in relatione Hincmari eſſe ſimilitudinem veri: quæ ſingula accuratè ſunt diſcutienda.

Obſervat primò, [a] *rem ab Hincmaro narrari, non quam propriis oculis vidit, ſed quam didicit relatione.* Verè hoc quidem; at rei geſtæ ſeriem Hincmarus, non ex incerto aliquo rumore collegerat; non ab iis acceperat, quorum teſtimonium contemni poſſit: ſed didicerat ex eorum ipſorum relatione, qui Aquiſgranenſi Concilio interfuerant, qui rei geſtæ teſtes fuerant oculati. Quos Cuſtantius cùm non audeat, ut jam monuimus, mendacii accuſare; tentat Hincmari ipſius, aut judicium, aut fidem in ſuſpicionem adducere, ſed infelici ſanè conatu: quippe qui accuſationem nullo teſte, nullo idoneo argumento approbat.

Aliena relatio, [b] inquit, *cùm perperam*

[a] Vind. vet. Cod. c. 10. p. 85. | [b] Ibid.

accipi, ac novis quibuſdam adjunctis exaggerari, aut infideliter tradi ſoleat, nunquam ſatis certum animum facit. Hoc poſtquam generatim effatus eſt, putat narrationem Hincmari abundè exploſam eſſe.

At ſi vagis ejuſmodi ſuſpicionibus & conjecturis locus eſt; quota pars, quæſo, Hiſtoriæ tam Eccleſiaſticæ quàm profanæ ſalva erit & integra? Vix enim in veteribus libris pauca quædam facta occurrunt, quæ propriis oculis viderint Hiſtorici, non acceperint ex aliorum relatione. Equidem facilè conceſſerim in his rebus, quas fide humanâ credimus, primas tenere quæ ab oculatis teſtibus traduntur: at non idcircò reſpuere debemus, & tanquam ſuſpectum negligere, ſi quid narratur quod ab eo qui refert non fuerit viſum oculis, ſed tantùm auribus acceptum, ſi modò ille idoneos ac fide dignos teſtes habuiſſe noſcatur. Atqui Hincmarus idoneos ſanè teſtes appellat, nempè illos ipſos qui Concilio, in quo detecta fraus eſt, adfuerant, Epiſcopos ſcilicet, aut ſaltem Eccleſiaſticos viros. Deſinat ergo ſperare Cuſtantius, narrationem Hincmari ob id unum ſuſpicione perſtrictum iri, quòd ille *rem narret non quam propriis oculis vidit, ſed quam didicit relatione.*

Objicit ſecundò [a] Alcuini ſilentium. At

[a] Ibid. pag. 85.

iſtud minimè debuiſſe objici brevi[a] fiet omnibus manifeſtum.

Eandem Hincmari narrationem Cuſtantius tertiò impugnat, ex eo quòd Hincmarus non conſtet ſibi. *Sed & Hincmari narrationi*, [b] inquit, *fidem detrahit, Hincmari ipſius in ea referenda variatio. Nam ſecundùm Præfationem libri ipſius* de Prædeſtinatione, *ut vidimus, Felix unum Aquenſis Palatii codicem corruperat: ſed ſecundum librum*, de non trina Deitate, *jam non unum, ſed omnes quotquot arripere potuit, libros Hilarii depravavit.* Liceat hîc eruditi viri attentionem & diligentiam deſiderare. Neque enim Hincmarus in Præfatione libri *de Prædeſtinatione* ait, unum duntaxat codicem libri ſancti Hilarii, ſecundi nempè *de Trinitate*, eſſe corruptum; ſed ait librum hunc à Felice raſum eſſe & corruptum; nec exprimit in quot hujus libri exemplaria iſta depravatio perfidè invecta ſit. Contrà in libro *de non trina Deitate* dixerat, *quoſcumque Felix arripere potuit*, ejuſdem libri codices ab eo fuiſſe adulteratos. Quæ ſanè non pugnant inter ſe; nam in utroque loco affirmat Hincmarus ſecundum ſancti Hilarii librum *de Trinitate* fuiſſe à Felice adulteratum: in uno quidem de exemplarium numero tacet; in altero autem docet de-

[a] Vid. infr. cap. 5. | [b] Vind. vet. Cod. c. 10. p. 91.

pravata fuiſſe exemplaria omnia, quæ Felix *hinc* arripere potuit, hoc eſt ex Aquenſi Palatio, cujus Bibliothecarium juniorem muneribus corruperat. Igitur quanquam circumſtantias & adjuncta neutro in loco ſimul omnia expreſſit Hincmarus: non eſt tamen dicendus idcircò diſſidere ſibi & variare.

Quare reprimenda videtur objurgatio, quâ in doctiſſimum Præſulem immeritò Cuſtantius inſurgit his verbis: [a] *Ita ille intra modum ſe continere non valens, ſemper exaggerare amat.* Rejicienda etiam conjectura, quæ ſubſequitur: *Niſi fortè quis Hincmarum* [b] *ita ſecum conciliare malit, ut ille per intervallum, quod inter librum* de Prædeſtinatione, *& Tractatum* de non trina Deitate *interceſſit, plures reipsà Hilarii libros conſuluerit.* Ubi eruditi viri attentionem liceat, ſine ulla ejus offenſione, rurſum deſiderare; huic enim videtur perſuaſum, primùm quidem editum eſſe ab Hincmaro librum *de Prædeſtinatione*, deinde Tractatum *de non trina Deitate*; cùm è contrario Sirmondus in ſynopſi Chronica doceat Tractatum *de non trina Deitate* anno 857. eſſe compoſitum, ſecundum verò *de Prædeſtinatione* volumen, de quo hîc agitur, non niſi anno 859. ſcriptum eſſe.

[a] Ibid. pag. 91. | [b] Ibid. pag. 92.

Quartò denique adversùs Hincmarum Cuſtantius ita inſurgit : *Si eà malitià fuiſſet Felix*,[a] *ut vel falſato Hilarii loco, quem ipſe depravaſſet, cùm non adeſſet ullus verus, hæreſim ſuam tueri conaretur, aptiorem ſanè conſilio ſuo delegiſſet. Is enim nihil eum juvat, cùm verbo* adoptatur *non ſubjungatur, nec ſubintelligi poſſit* à Patre : *multùm verò nocet propter adjuncta, quæ, quod animo intendebat, funditus deſtruunt.* Cui argumentationi priuſquàm reſpondeo, hominem interrogare liceat, quid ipſe reſponſurus ſit, ſi quis contendat Hilarii locum, de quo diſputamus, nec à Felice citatum eſſe unquam, nec ullo pacto immutatum ; atque ad utramque hanc propoſitionem probandam, hoc argumenti genere utatur : *Si aliquem Hilarii locum in hæreſis patrocinium adduxiſſet Felix, aut citando immutare voluiſſet, aptiorem ſanè conſilio ſuo delegiſſet. Is enim nihil eum juvat, cùm verbo* adoptatur *non ſubjungatur, nec ſubintelligi poſſit* à Patre : *multùm verò nocet propter adjuncta, &c*... Hoc, inquam, argumenti genere ſi quis adversùs Cuſtantium utatur : an ille idcircò neget, quod certum eſt, nempè illum Hilarii locum eſſe à Felice citatum adversùs Catholicos, & citando immutatum ? Neutiquam : ſed dicet[b] *ex*

[a] Vind. vet. Cod. cap. 10. pag. 89.

[b] Ibidem pag. 90.

Epiſtola diſcipuli Elipanti apud Alcuinum pag. 910. *licitum eſſe augurari ingenium & ignorantiam Magiſtri : nominatimque in congeſtis ex Miſſali Hiſpanico locis perſpici, quàm indiſcriminatim, quæ* adoptionis *nomen continebant, quamvis nihil ad rem facientia, colligerent & obtruderent.* Hoc ipſum reſpondemus Cuſtantio: ſi Felix eo fuiſſet ingenio, ut nihil niſi appoſitè objeciſſet Alcuino, valeret utique Cuſtantii argumentum: ſed cùm ille, pro Hæreticorum more, improvidus fuerit & impudens; improvidus, qui paſſim Catholicis Sanctorum Patrum loca opponeret, [a] *quæ Sectam ejus maximè deſtruebant*, & erant *ejuſdem ſenſibus perſpicuè contraria:* impudens, [b] qui ex his locis, quæ citabat, nonnulla detraheret, his alia adderet, alia perturbaret: cùm, inquam, talem fuiſſe Felicem cognoſcamus, quid mirum, ſi locum Hilarii adulteraverit, qui licèt adulteratus, tamen nihil aut parum cauſam ejus adjuvaret?

[a] Alc. lib. 7. adv. Felic. pag. 883. 889.

[b] Alc. l. 5. p. 872. Item. l. 7. p. 885. 889. &c.

CAPUT V.

Alcuini teſtimonio credibilem reddi Hincmari narrationem.

CUm primùm Felix & Elipantus errorem illum diſſeminarunt, quò Chriſtum, quà homo eſt, Dei filium *adoptivum* dumtaxat & *nuncupativum*, non proprium & ſecundùm naturam eſſe dicebant: Scriptores Catholici perverſam doctrinam & *novum* [a] *nomen* profanaſque [b] *vocum novitates* ab Hæreſiarchis induci conqueſti ſunt. Quare iſti ut novitatis nomen fugerent, quotquot potuerunt teſtimonia Patrum corraſerunt, ut probarent *adoptionis* nomen olim à Patribus fuiſſe Chriſto attributum. Atque inter alios Hilarium Felix Alcuino objecit. Reſpondit Alcuinus his verbis: « Nunc operæ pretium eſt [c] aliqua ex ſanctorum Doctorum libellis teſtimonia proferre, quæ tu « etiam contrario ſenſu flectere ad tuæ par- « tis confirmationem niteris. Quæ omnino « tibi eſſe adverſaria, & tui erroris ſectæ val- « de contraria intelligentur. Inſuper & quæ- « dam calliditatis tuæ nequitiâ ſubtrahis, «

[a] Alc. lib. 2. contra Felic. pag. 804.

[b] Alc. Ep. ad Elip. p. 909.

[c] Lib. 6. pag. 872.

„ quæ tuam hæreſim damnare videntur. Quæ-
„ dam verò conſuetâ tibi verſutiâ immutare
„ non times; ut in libris beati Hilarii feciſ-
„ ſe videris: ubi ille præcipuus Doctor & Ca-
„ tholicus ait, *Poteſtatis dignitas non amitti-
„ tur*, tu omnino perverſiſſimè dicis, *adopta-
„ tur*, ubi beatus Hilarius ait, *adoratur.* Car-
„ nis equidem à Magis humilitas *adorata eſt*,
„ & myſticis munerum ſpeciebus honorata,
„ non *adoptata.* Quod perſpicuè ex antece-
„ dentibus verbis ejuſdem Doctoris intelligi
„ poteſt, ubi ait, quod tu ipſe poſuiſti, in
„ pannis adhuc Deus adoratur. Idem ipſe qui
„ in cunabulis jacuit, ab Angelis Chriſtus Do-
„ minus prædicatur, & à Magis Deus *adora-
„ tur*, non à Patre *adoptatur* in filium. In quo
„ loco certiſſimè de Magorum adoratione
„ idem Pater Hilarius diſputat, non de pa-
„ terna adoptione, quam tu praviſſimè huic
„ loco inſerere conaris.

Hactenus Alcuinus, qui triplicis Felicem fraudis hoc in loco accuſat. Prima, eſt quòd *ſanctorum Doctorum teſtimonia contrario ſenſu flectere ad ſuæ partis confirmationem nitatur.* Secunda, quòd *quædam calliditatis ſuæ nequitiâ ſubtrahat, quæ ejus hæreſim damnare videntur.* Tertia denique, quòd *quædam conſuetâ ipſi verſutiâ immutare non timeat.* Atque hujus tertiæ fraudis exemplum ponit in Hilarii loco; cujus verba non ait contrarium

in ſenſum à Felice inflexa, aut aliquibus ſubtractis fuiſſe imminuta: ſed immutata fuiſſe aſſeverat. Quomodo immutata? Scilicet in verbis & in ſenſu: in verbis, quia Felix *omnino perverſiſſimè dicit*, ADOPTATUR, *ubi beatus Hilarius ait*, ADORATUR: in ſenſu, quia idem Felix *paternam adoptionem praviſſimè inſerere conatur*, ubi *certiſſimè de Magorum adoratione Hilarius diſputat.* Ex quo manifeſtè conſtat in eo poſitam fuiſſe Felicis fraudem, quòd in citandis Hilarii verbis, vocem hanc, *adoratur*, in illam, *adoptatur*, immutaverit: immutavit autem, ut in textu illo depravato pro Magorum adoratione, de qua ſola agebat Hilarius, paternam adoptionem ipſe inſereret.

Verùm, inquit Cuſtantius, [a] *undè probat (Alcuinus) Hilarium dixiſſe*, ADORATUR? Hoc verò nec probat Alcuinus, nec probare debuit; nam cùm res in aperto poſita eſſet & omnium oculis ſubjecta, non egebat probatione, ſed expoſitione. Ubique Alcuinus legebat, *adoratur*, nuſquam verò, ADOPTATUR: rem ut erat exponit: conſtanter ac ſine ulla tergiverſatione aſſeverat, Hilarium dicere, ADORATUR: Felicis perfidiam reprehendit: ſuam ipſi perverſitatem exprobat. Si quis aïenti non credebat, erant Hilarii codices in promptu,

[a] Vind. vet. Cod. cap. 10. pag. 88.

quos quiſque poſſet conſulere.

Addit Cuſtantius, *Alcuinum* [a] *non aſſerere, quòd ita in aliquo authentico exemplari vidiſſet.* Verùm ſi in authenticis Hilarii exemplaribus Alcuinus non legiſſet *adoratur*, hiſne auderet verbis adverſarium compellare: *tu omnino perverſiſſimè dicis* ADOPTATUR, *ubi beatus Hilarius ait*, ADORATUR? Hæc enim poſtrema verba, *Hilarius ait*, ADORATUR, quid aliud ſonant, quàm ita apud Hilarium legi, ita ſcriptum eſſe in libris Hilarii? Et verò quicumque aliquid recitant, quod legerint in Veterum ſcriptis, nonne omnes ſic loqui ſolent, *ita ait S. Hilarius, ita S. Hieronymus, ita S. Auguſtinus &c?* Cùm ergo diſertè pronunciet Alcuinus beatum Hilarium non dicere *adoptatur*, ſed *adoratur*: idem facit ac ſi affirmaret codices beati Hilarii non habere *adoptatur*, ſed *adoratur.* Iſtud ab eo ſignificari quiſquis negat, videtur loqui non ſatis ſeriò.

At Hilarium dixiſſe, *adoratur*, ideo tantùm Alcuinus aſſerit, quia [b] *antecedentia Hilarii verba illud neceſſariò poſtulare falsò ſibi perſuaſerat.* Ita Cuſtantius; qui ſi Alcuini locum, de quo diſputatur, paulò attentiùs conſideraſſet, obſervaſſet utique duo hîc ab eruditiſſimo Abbate præſtari. 1. Affirmat Hilarium reipsâ dicere *adoratur*: 2. Ut oſ-

[a] Ibid. | [b] Ibid.

tendat lectionem hanc non ex corruptione aliqua inductam, ſed ſinceram & genuinam eſſe, addit, nullam eſſe hoc in loco de adoptione quæſtionem; ſed carnis Chriſti humilitatem dici à Magis adoratam & myſticis munerum ſpeciebus honoratam: *quod perſpicuè*, inquit, *ex antecedentibus ejuſdem Doctoris verbis intelligi poteſt.* Quibus verbis confirmat quidem lectionem ſuam: nullo autem pacto ſignificat, quemadmodum Cuſtantius contendit, illam non haberi in manuſcriptis exemplaribus: imò contrarium manifeſtè teſtatur.

1. Cùm Felicem Alcuinus his compellavit verbis: *tu omnino perverſiſſimè dicis* ADOPTATUR, *ubi beatus Hilarius ait* ADORATUR: non aliud certè ſignificatum voluit, quàm Felicem quidem dixiſſe *adoptatur*, Hilarium verò ſcripſiſſe *adoratur.* Si enim jam tum in libris Hilarii lectum fuiſſet *adoptatur*, Hilarii verba fideliter recitaſſet Felix: nec poſſet perverſitatis idcirco argui, quòd ſicut apud Hilarium legerat, ipſe dixiſſet *adoptatur*: ſed hoc unum Felici objiceretur, quòd vocem hanc *adoptatur*, alio ſenſu quàm quo Hilarius intellexerat, ipſe fuiſſet interpretatus.

2. Alcuinus non ſolùm affirmat *omnino perverſiſſimè* à Felice dictum eſſe *adoptatur*; ſed ſimul addit beatum Hilarium dicere

adoratur, ubi Felix dicit *adoptatur.* Undè autem, quæſo, Alcuinus reſcire potuit, reipsâ beatum Hilarium dicere *adoratur*, niſi ex ipſis Hilarii libris, quos inſpexerat? Ergo vel ipſo Alcuino teſte verbum *adoratur*, jam tum octavo ſæculo in ſcriptis manu codicibus legebatur.

3. Felici Alcuinus crimini vertit, quòd paternam adoptionem praviſſimè huic loco *inſerere conatus fuerit*, ac conſuetâ ipſi verſutiâ verba ſancti Doctoris *immutare non timuerit.* Certè ſi ſancti Hilarii exemplaria jam tum habuiſſent *adoptatur*, non *adoratur*, Hilarii verba *immutaſſet* non Felix, ſed Alcuinus; novam vocem huic Hilarii loco *inſeruiſſet* Alcuinus, non Felix. Sed Felici Alcuinus exprobrat, quòd Hilarii verba, conſuetâ ſibi verſutiâ, *immutet*, quòd adoptionem praviſſimè huic loco *inſerat.* Igitur, ipſius Alcuini teſtimonio manifeſtè evincitur exemplaria Hilarii octavo jam tum ſæculo habuiſſe *adoratur*, non *adoptatur.*

At verò, inquit Cuſtantius [a], in memorato Alcuini « loco illud imprimis obſervandum, nullatenus de libris adulteratis, ſed de unis Patrum teſtimoniis à Felice ſiniſtrè acceptis aut citatis agi.... (tamen) ei erat non ſine indignatione exprobrandum, ſi falſati Codicis regii reus extitiſ-

[a] Vind. vet. Cod. cap. 10. pag. 87.

ſet... præſertim cùm Alcuinus proximè poſt « ipſius (Felicis) condemnationem ſcripſerit; « cùm illum nihil eorum latere potuerit, quæ « Felix malâ fide geſſiſſet; cùm eo in opere « nihil omittat, unde infelici Epiſcopo invi- « diam faceret; cùm ipſum etiam arguat, « quòd eum Hilarii locum aliter, quàm opor- « teret, referret. «

Ita Cuſtantius, qui videtur hoc loco tempora non ſatis diligenter obſervaſſe. *Alcuinum*, inquit, *nihil eorum latere potuit, quæ Felix malâ fide geſſiſſet.* Quid tum? Neque enim dicimus commiſſam à Felice in falſandis Hilarii Codicibus Aquiſgranenſibus, fraudem ignoratam eſſe ab Alcuino. Quippe detecta illa eſt in Concilio Aquiſgranenſi, cui Alcuinus intererat, cujus pars magna fuit, in quo manus cum ipſo Felice conſeruit, convictumque adegit ad hæreſim omnino ejurandam. Quare ergo, inquit Cuſtantius, Alcuinus, qui *nihil omittit, undè infelici Epiſcopo invidiam faciat*, hujus fraudis non meminit in libris ſeptem, quos adversùs eundem Felicem ſcripſit? At ſi priùs editi ſunt libri, quàm commiſſa fraus eſt, an debuit illius meminiſſe Alcuinus?

Certum quidem eſt ſeptem Alcuini libros adversùs Felicem ſcriptos eſſe poſt illius condemnationem; ſed non idcirco ſcripti ſunt poſt Aquiſgranenſe Concilium. Sæ-

piùs enim Felix damnatus eſt : primùm anno 792. in Concilio Ratiſponenſi, deinde etiam ab Adriano Papa : tum duobus pòſt annis in Concilio Francofordienſi anno 794. Iterum Romæ in Synodo, quam ibi Leo tertius anno 799. celebravit : denique eodem anno in Concilio Aquiſgranenſi. Igitur Felix damnatus fuerat Ratiſponæ ab Epiſcopis, & Romæ ab Hadriano, fortaſſe etiam Francofurti, cùm ſeptem Alcuini adversùs ipſum libri editi ſunt : ſed nondum damnatus fuerat Aquiſgrani. Nam cùm ſcripſit Alcuinus, Felix ad vomitum reverſus hæreſim ſuam adhuc retinebat, illique adhærebat pertinaciter, ut ex ipſorum librorum lectione conſtat ; illam autem in Concilio Aquiſgranenſi ſic abjecit & ejuravit, ut eandem poſtea nunquam auſus fuerit palam defendere aut profiteri : ſcripſit ergo Alcuinus ante hoc poſtremum Concilium ; atque adeo antequam Felix Aquenſis Palatii Codices adulteraſſet.

Quæ cùm ita ſint, quis non miretur Cuſtantium ſic loquentem : [a]*Hincmari narrationi fidem detrahit Alcuini, Concilii Francofordienſis, aliorumque, qui contra Felicem aut Elipantum ſcripſerunt, etiam occaſione datâ de ea non tacendi, ſilentium?* Exiſtimat nempe eruditus Monachus, Alcuinum, Pauli-

[a] Ibid. pag. 91.

num Aquileienſem Patriarcham, Concilii Francofordienſis Patres, alioſque, qui contra Felicem ſcripſerunt ante Concilium Aquiſgranenſe, quid Felix Agriſgrani aliquot poſt annis facturus eſſet, divinare & ipſi in anteceſſum exprobrare debuiſſe. Et quia rem illi tacuerunt, quæ nondum geſta erat, alios, qui rem eandem narrant, poſtquam facta eſt, omni fide indignos pronuntiat.

At ſaltem Alcuini libri quatuor adversùs Elipantum, inquiet, ſcripti ſunt, poſtquam Felix Codices Hilarii falſaſſe convictus eſt in Concilio Aquiſgranenſi. Ita eſt ſanè: ſed hæc Feliciana fraus tunc commemorari non debuit; tum quia Elipantus eo non utebatur loco, quem Felix adulteraverat; tum quia Felix [a] jam *veraciter convictus, atque Deo dans gloriam, veramque confeſſus fidem, in pacem Catholicæ unitatis reverſus erat cum ſuis diſcipulis, qui ibi (Aquiſgrani) tunc temporis erant præſentes.* Si quid ergo Felix antehac peccaverat: hujus memoriam deleri decuit, non renovari. Geminæ fraudis hac in cauſa Felix reus fuit & convictus. In primam delapſus eſt, cùm ſcripto libello Alcuini Epiſtolam confutavit; in illo enim libello citavit ſancti Hilarii locum, ſed perversè immutatum, cùm ad erroris ſui con-

[a] Alc. lib. 1. adv. Elip. pag. 939.

firmationem vocem *adoptatur*, huic alteri *adoratur*, perfidè ſubſtituiſſet. Verſutiam hominis Alcuinus detexit in libro ſexto adversùs Felicem, & acerrimè exagitavit. Fraudem alteram non alio videtur conſilio texuiſſe Felix, quàm ut priorem tegeret vel excuſaret. Nam cùm veniſſet Aquiſgranum, ibi cum Alcuino coram Carolo Rege & Epiſcopis diſputaturus, timuit ne quam ſibi perfidiam jam ſcripto objecerat Alcuinus, hanc rurſum in publico conventu ingereret, & productis Hilarii Codicibus manifeſtam faceret. Quare, corrupto muneribus Aquenſis Palatii bibliothecario juniore, ſancti Hilarii Codices raſit, & ubi ſcriptum fuerat *adoratur*, ipſe poſuit *adoptatur*. Sed cùm nec iſtud Patribus latuiſſet, fraus ipſi vertit in opprobrium, mox etiam in ſalutem. Nam in illo ipſo Concilio *convictus veram confeſſus eſt fidem*, quam oppugnaverat, atque *in pacem catholicæ unitatis reverſus*; depoſitus quidem eſt ab Epiſcopatu, & in Catalaniam reverti prohibitus, ac Lugduni conſiſtere juſſus: à nullo tamen Catholico, poſtea quandiu vixit, aut dicto, aut ſcripto vexatus fuit. Et vero Felici ſincerè, ut tunc quidem videbatur, veritatem amplexo, & ſuos ad ſanam mentem, quantum in ſe erat, revocanti exprobrare crimina, quæ Hæreticus perpetrave-

rat, barbari hominis fuiſſet, inhumani, & à chriſtiana charitate ac manſuetudine alieni. Hæreſim Elipantus pertinaciter retinuit; in hunc Alcuinus inſurrexit: exagitat decrepitum ſenem, omnibus modis urget & hortatur, ut Felicem tandem imitetur. At Elipantum dum ſollicitè admonet, & acerrimè confutat, ſimul diligenter cavet, ne ullo aſperiori verbo Felicem jam Catholicum offendat. Hæc ergo cauſa eſt, cur Alcuinus nec in libris ſeptem, quos adversùs Felicem ſcripſit, nec in libris quatuor adversùs Elipantum, commiſſæ Aquiſgrani fraudis meminerit: nempe libri adversùs Felicem ſcripti ſunt ante Concilium Aquiſgranenſe, ubi commiſſa fraus eſt: libri verò contra Elipantum ſcripti ſunt quidem poſt Aquiſgranenſe Concilium: ſed tunc Felix erat ad ſanam mentem reverſus, & Alcuino reconciliatus. Verùm etiamſi ea de re tacuit Alcuinus, facti tamen memoriam conſervaverunt, qui Concilio interfuerant Patres, à quibus illud Hincmarus accepit, acceptum verò litteris mandavit & poſteritati conſervavit.

Potuiſſet multò potiori jure Cuſtantius nobis objicere Agobardi Lugdunenſis ſilentium; is enim poſt Aquiſgranenſe Concilium ſcripſit, mortuo jam Felice, imperante Ludovico Pio, cui librum ſuum obtulit:

& illa ipſa examinat [a] ſancti Hilarii verba, quæ Hincmarus dicit in Aquiſgranenſibus exemplaribus à Felice fuiſſe adulterata: quo certè in loco de Felicis fraude tacere non debuit, ſi illam cognitam habuit. Verùm quis miretur, commiſſum Aquiſgrani ſcelus latuiſſe Agobardo, qui Aquiſgranenſi Synodo non interfuerat? Quippe Aquiſgranenſes Codices eraſiſſe vix compertus eſt Felix, cùm ipſe errorem agnovit, ejuravit, deteſtatus eſt, fidemque catholicam ex animo & ſincerè viſus eſt amplecti: imò & diſcipulis ſuis, qui Aquiſgrani aderant, ut idem facerent, perſuaſit; & cæteros qui aberant, datis litteris, quantum in ſe erat, ad ſanam mentem revocavit. Cùm ſic ſe geſſiſſet, Aquiſgranenſes Patres non modò non vulgaverunt, quæ ille adhuc Hæreticus perfidè perpetraverat: ſed etiam hominem magnis laudibus cumulatum voluerunt.

Cujus rei non alium appellabo teſtem, quàm Alcuinum ipſum, qui ſcribens ad Elipantum de Felice, ſic loquitur. « Felicem,[b]
» quem tu charitate ſummum, pudicum,
» moribuſque ornatum adſeris, nos habemus
» in caſtris Chriſti: atque utinam & tu cum
» tuis ſequacibus illius exemplo edoctus, ad

[a] Lib. adverſ. Felicem num. 40. magnæ Biblioth. Patr. tom. 14. pag. 253.
[b] Lib. 1. adv. Elip. p. 933.

veræ fidei cognitionem pervenias. » Rurſum. « Quem vos habuiſtis, inquit, [a] quaſi ſcutum perfidiæ veſtræ, nunc Eccleſia eum habet ſagittam potentem & acutam cum carbonibus deſolatoriis. » Iterum. « Idem Felix, inquit, [b] veraciter convictus, atque Deo dans gloriam, veramque confeſſus fidem, in pacem catholicæ unitatis reverſus eſt cum ſuis diſcipulis, qui ibi (Aquiſgrani) tunc temporis erant præſentes. Cujus te cum tuis diſcipulis, venerande Pater, humilitatem ſectari ſuadeo. » Denique, « ſi quis dubitet, ait, [c] de ratione catholicæ fidei, illius religioſi viri (Felicis) & magni nominis inter ſuos edoctus exemplo, ſine ulla dubitatione, univerſalis Eccleſiæ ſequens concordiam, laudet & prædicet miſericordiam Dei omnipotentis, qui non vult mortem peccatoris, ſed ut convertatur & vivat. » Ita Alcuinus de Felice, poſtquam iſte Aquiſgrani abjecit errorem. Cùm ergo Aquiſgranenſes Patres ſic affecti eſſent erga Felicem, putarentque catholicæ unitatis intereſſe, ut viri merita extollerentur: quis, illos, quantum in ſe erat, contractam à Felice, ex perfida Codicum Aquiſgranenſium violatione, infamiam ſilentio prætermiſiſſe miretur, hujuſque memoriam

[a] Ibid. pag. 935.
[b] Ibid. pag. 939.
[c] In fin. lib. 4. adverſ. Elip. pag. 993.

obliteratam voluiſſe: nec paſſos eſſe, ut poſtea Felix, quem in veritate tuenda conſtantem fore deinceps exiſtimabant, à quoquam Catholico vellicaretur & ſcriptis vexaretur?

Atque hoc ita verum eſt, ut cùm primùm ad confutandos Felicis jam vita functi errores, ſeſe Agobardus accinxit, *quidam ex fratribus*, inquit [a], *iſtud indignè tulerint, arbitrati Agobardum non id facere zelo fidei, ſed zelo invidentiæ, atque inanis gloriæ cupiditate.* Neque verò ille invidiæ atque ambitioſæ maledicentiæ notam effugiſſet, niſi ſe ipſe purgaſſet, productâ *ſcedulâ à Felice* adhuc vivente clam editâ, ubi *ſub ſpecie interrogationis & reſponſionis diligenter & fraudulenter inſtauraverat, quantum in ſe fuit, omnem pravitatem dogmatis ſui, in qua dudum detectus & convictus, & propter quam ab honore Epiſcopatûs depoſitus fuerat.* Quæ Felicis nequitia, ubi vulgato Agobardi libro innotuit, ſuſpicor hanc in cauſa fuiſſe, cur illi, qui adhuc in vivis ſupererant ex Concilio Aquiſgranenſi Patres, non amplius religioni duxerint ea palam enarrare, quæ idem Felix perfidè Aquiſgrani geſſerat. Antequam Agobardi liber ederetur, plerique homines pii Felicem di-

[a] Agob. lib. adverſ. Felic num. 1. magn. Biblioth. Patrum tom. 14. pag. 243.

ligebant, propter inſigne chriſtianæ humilitatis exemplum, quod erroribus ejuratis univerſæ Eccleſiæ præbuerat, atque idcirco ipſius famæ & nomini, quantum poterant, conſulebant. Vulgatus Agobardi liber manifeſtam fecit Felicis improbitatem, & in errore ad mortem uſque pertinaciam; atque ita religione eos exolvit, qui corde tacito ſcelus premebant hominis, quem reſipuiſſe & in fide catholica perſeveraſſe arbitrabantur. Quandiu habitus eſt Catholicus, nefas eſſe duxerunt quidquam de ejus nomine detrahere: poſtquam compertus eſt fidem, quam Eccleſiæ coram Imperatore atque Epiſcopis juraverat, fefelliſſe, utile fuit vafrum atque ad dolos compoſitum relapſi in pravam doctrinam Heretici ingenium cognoſci, & perpetratum Aquiſgrani ſcelus revelari. Ita rem contigiſſe ſimillimum vero eſt.

Quæ ſi ita ſint, nemo non intelligit quàm facilè cum Hincmari narratione concilietur, tum Concilii Francofordienſis, tum Alcuini, tum Agobardi ſilentium. Francofordienſe enim Concilium antè celebratum eſt, quàm Aquigranenſes Codices à Felice fuiſſent adulterati. Alcuinus adversùs Elipantum ſcripſit poſt Aquiſgranenſem Synodum: ſed tunc putabatur Felix catholicam fidem ſincerè atque ex animo ample-

xus, & in ea deinceps conſtanter permanſurus. Agobardus cùm ſcripſit, commiſſam à Felice fraudem ignorabat, quia illam hactenus tacuerant Patres Aquiſgranenſes, rati Felicem ad mortem uſque in catholica fide perſeveraſſe. Felicis ſcelus commemoravit Hincmarus, quia cognitâ poſt editum Agobardi librum perversâ reverſi ad vomitum Hæretici inconſtantiâ; Patres Aquiſgranenſes, qui tum erant in vivis, ſcelera hominis divulgare non ampliùs religioni duxerant.

Caput VI.

Felicianæ Lectioni Antiqui Scriptores faveantne, an adverſentur.

NArrationem Hincmari nulla ex parte infirmari poſſe & labefactari, Codiceſque Aquiſgranenſes reipsâ fuiſſe perfidè adulteratos à Felice, manifeſtè, ut puto, demonſtratum eſt. Quia tamen fieri potuit, ut quam lectionem Felix in codices aliquot fraudulenter invexit, ea tamen in vetuſtis exemplaribus aliis extaret ante Felicis tempora; hoc ipſum nunc ſolo veritatis indagandæ ſtudio, non amore contentionis, quàm diligentiſſimè potero, ſum examinaturus.

examinaturus. Variæ autem ſeſe mihi offerunt regulæ, ex quibus nunc dijudicari poſſit, utrùm verbum iſtud *adoptatur* in loco, de quo controverſia eſt, lectum fuerit apud ſanctum Hilarium ante Felicis tempora. Prima eſt, teſtimonium veterum Scriptorum, qui Hilarii locum hunc laudaverunt. Secunda, antiquorum exemplarium auctoritas. Tertia, Hilarii ſtylus & ratio loquendi. Quarta, ejuſdem ſcopus & totius orationis ſeries. Propoſitam quæſtionem ad omnes iſtas regulas expendamus.

Quatuor ſunt, quos ſciam, Scriptores paulò antiquiores, qui de iſto Hilarii loco egerunt: nempe Felix & Alcuinus octavo ſæculo, Agobardus Lugdunenſis & Hincmarus Remenſis nono. Primus omnium Felix iſtum Hilarii locum exſcripſit in libello adversùs Alcuinum, & ita exſcripſit, ut affirmaret ab Hilario dictum fuiſſe, *carnis humilitas adoptatur.* Atque ita fuiſſe ſcriptum in exemplaribus Hiſpanicis, quæ ille habebat præ manibus, inde ego colligegerem, niſi ſtatim hanc ipſam ob cauſam objurgatus fuiſſet ab Alcuino objiciente, verba Hilarii ab ipſo immutari, & perverſiſſimè ſcribi *adoptatur*, ubi beatus Hilarius ait *adoratur.* Neque uſquam legimus Felicem ſeſe ab impacto falſi crimine purgaviſſe: imò ex his, quæ jam diſſeruimus,

conſtat priorem hanc perjuri Hæreſiarchæ fraudem, alterâ fraude Aquiſgrani commiſsâ eſſe confirmatam. Quare Felicis hoc loco auctoritas contemni prorsùs, & pro nihilo haberi debet.

Contrà verò magni ponderis eſt teſtimonium Alcuini aïentis, ſanctum Hilarium non dixiſſe *adoptatur*, ſed *adoratur*. Neque enim is eſt Alcuinus, qui dici poſſit crimen falſi adverſario intuliſſe temerè, nec conſultis Hilarii exemplaribus. Venerat [a] nuper ex Britannia, accerſitus à Carolo Magno, ut pugnaret cum Felice: non ignorabat ſapientiſſimi Principis, atque eruditorum omnium, qui tunc in ipſius aula magno numero verſabantur, oculos in ſe converſos, nec parvam ſingulorum eſſe expectationem: ſciebat ſibi rem eſſe cum viro ſtrenuo, diſerto, cui nihil ficti criminis impunè objici poſſet. Hoc in rerum articulo poſitum hominem, ingenioſum ſanè, eruditum, prudentem, quis ſibi perſuadeat, graviſſimam Felici criminationem, re non provisâ, non conſideratâ, intentaſſe? Quis putet famam ſuam ſtultè profundere voluiſſe, negando apud Hilarium reperiri verba, quæ per ſe quiſque in ipſis Hilarii libris legere atque inſpicere facilè poſſet?

Alcuino apertè ſuffragatur Hincmarus,

[a] Lib. 1. adv. Elip. pag. 938.

qui niſi in ſinceris Hilarii exemplaribus legiſſet *adoratur*, pro ſua æquitate & prudentia, nunquam Felici exprobraſſet, quòd in Aquiſgranenſibus codicibus huic priori verbo iſtud alterum, *adoptatur*, perfidè ſubſtituiſſet. Porro ſi quid Hincmaro hac in re excidiſſet improvidè ac falsò dictum, profectò non tacuiſſent, qui eum acerrimè impugnabant adverſarii : nec ſi iſti eum mendacii arguiſſent, ipſe eandem ac falſi convictam narrationem denuò inſtaurare auſus eſſet.

Atque iſte Alcuini Hincmarique conſenſus, in rejicienda Felicis lectione, tanti mihi eſſe videtur momenti, ut rem planè definitam dicerem, niſi me retineret Agobardi Lugdunenſis auctoritas. Hanc quidem mihi Cuſtantius non opponit : ſed relligioni eſt quidquam prætermittere, quod ad veritatem elucidandam conferre poſſit. Non diſſimulabo igitur, quæſtionem, quæ expenſis Alcuini atque Hincmari teſtimoniis expedita videbatur, contrario Agobardi teſtimonio perplexam reddi & difficilem. Agobardus enim propoſitum à Felice, non in ſcedula poſt mortem relicta, ſed in Tractatu *de Incarnatione Salvatoris*, quem multò antè compoſuerat, eumdem Hilari locum ipſe examinans, non negat, quemadmodum Alcuinus, verbum *adoptatur* habe-

ri apud Hilarium : imò verò cùm his verbis utitur , [a] *dicit beatus Hilarius ... carnis humilitas adoptatur*, videtur diſertè fateri, ſanctiſſimum Doctorem ita fuiſſe locutum, ut ſcripſerat Felix. Atque hoc ipſum multò apertiùs capite ſuperiori ſignificaverat, cùm dixit : [b] *Legit etiam Felix .... in ſancti Hilarii libris ... intromiſſum nomen adoptionis*. Addo, Agobardum dici non poſſe hoc in loco deceptum Felicis perfidiâ : nam & ipſe ſancti Hilarii libros conſuluerat ; ſi quidem ex antecedentibus & conſequentibus probat Felicem verba ſancti Doctoris [c] *alio & contrario hauſiſſe ſenſu* , & ad Filii adoptionem à Patre ea tranſtuliſſe , quæ *de carnis aſſumptione vel ſuſceptione* dicta fuerant. Quare neceſſarium eſt , ut fateamur exemplar Hilarii , quod vidit Agobardus, reipsâ habuiſſe verbum *adoptatur.*

Sed neque minùs certò conſtat exemplaria, quæ Alcuinus atque Hincmarus viderant , habuiſſe *adoratur*, non verò *adoptatur.* Reſtat ergo, ut expendamus utra exemplaria fide digniora ſint. Certè nulla cauſa eſt, cur in ſuſpicionem falſi vocemus exemplaria illa, quæ legit Alcuinus , antequam Felix , corrupto muneribus Aquenſis Palatii juniore Bibliothecario , codices Hilarii

[a] Lib. adverſ. Felicem cap. 40. magnæ Bibliothecæ Patrum tom. 14. pag. 253.

[b] Ibid. cap. 39.

[c] Ibid.

raſiſſet atque adulteraſſet. Contrà verò codices, quos Agobardus habuit in manibus, non ſunt ab omni ſuſpicione immunes.

1. Facilè fieri potuit, ut qui habebantur Lugduni codices ſancti Hilarii, ex illo corrupto Aquiſgranenſi fonte manaverint. Quippe cùm ſuum adversùs Felicem librum ſcripſit Agobardus, multi jam anni effluxerant, ex quo Felix Aquiſgranenſes codices violaverat; librum enim hunc non videtur compoſuiſſe, antequam ipſe à Ludovico Pio Imperatore veniam obtinuiſſet, quem idcirco vocat [a] *benignorum benigniſſimum, manſuetorumque tranquilliſſimum:* non eſt autem Ludovico reconciliatus Agobardus ante annum Chriſti 837: Aquiſgranenſes verò codices à Felice corrupti ſunt anno Chriſti 799. Quare inter factam à Felice fraudem, & ſcriptum ab Agobardo librum, quadraginta ferè anni intercedunt. Quo temporis intervallo ſpuria Felicis lectio potuit latiſſimè propagari; præſertim cùm certum ſit ævo illo Carolino plurimos exſcribendis Veterum libris incubuiſſe, & elegantiorem ſcribendi formam eſſe ſecutos; unde factum eſt, ut recèns ſcripti libri magis eſſent in uſu communi, utpote nitidiores & commodiores.

[a] Lib. adverſ. Felic. Præfat. Magnæ Biblioth. Patrum, tom. 14. pag. 243.

2. Suſpicionem iſtud maximè auget, quòd jam tum ab initio Felix aliquot Lugduni habuerit diſcipulos, ut intelligere eſt ex Alcuini ad fratres Lugdunenſes Epiſtola [a],
„ in qua ſic illos alloquitur : « Novas verò,
„ fratres chariſſimi, Hiſpanici erroris Sectas
„ totâ vobis cavete intentione. Sanctorum
„ Patrum in fide ſequimini veſtigia, & uni-
„ verſali Eccleſiæ ſanctiſſimâ vos adjungite
„ unanimitate »... Tum paucis interjectis...
„ « [b] De adoptione verò, quam quidam in-
„ juriosè Chriſto Deo ingerere contendunt,
„ ex auctoritate Synodali habetis reſpon-
„ ſum. » De quibus fruſtrà Alcuinus fratres Lugdunenſes admoneret, ſi nemo tunc in illis regionibus errorem Felicis diſſeminaſſet.

3. Neque iſtud prætermittendum eſt, ab Aquiſgranenſis Concilii temporibus, ad mortem uſque Felicem Lugduni ſubſtitiſſe; atque ibi multos externâ pietatis ſpecie deluſos, ſibi devinxiſſe : ut ipſe Agobardus docet, illorum ſimplicitatem arguens [c] : *Qui incautè admirantes vitam prædicti Felicis, probanda putant cuncta quæ dixit : neſcientes quia non ex vita hominis metienda fides, ſed ex fide probanda eſt vita. Quanquam enim multi benè credentes, malè vivendo pe-*

[a] Alc. Ep. 69. pag. 1587.
[b] Ibid. pag. 1588.
[c] Lib. adv. Felic. cap. 2. magn. Biblioth. Patr. tom. 14. pag. 243.

reant: nullus tamen malè credens, benè vivendo ſalvatur. Cùm ergo Felix tamdiu Lugduni vixerit, & ibi ſectatores multos atque admiratores habuerit, faciliùs potuit adulterinam lectionem ſuam in Lugdunenſes ſancti Hilarii codices invehere.

4. Neque Agobardus Felicis fraudem, atque inſidias præcavere potuit; quippe qui non modò perdiù profugus fuerit: ſed etiam ea ignoraverit, quæ Aquiſgrani geſta erant; nec legiſſe videtur, quæ vel Etherius Uxamenſis, ac Beatus Abbas, vel Paulinus Aquileienſis, vel Alcuinus Diaconus, olim adversùs Felicem ſcripſerant.

5. Denique illud etiam hoc loco debet obſervari, quòd Hincmarus Remenſis ea fuerit aſpernatus, quæ ab Agobardo ſcripta fuerant. Nam cùm ipſe non niſi viginti circiter annis poſt editum ab Agobardo librum adversùs Felicem ſcripſerit Tractatum *de non trina Deitate*, & ſecundum volumen *de Prædeſtinatione*, in his profectò non eſſet auſus palam affirmare ſemel & iterum, corruptum fuiſſe à Felice ſecundum ſancti Hilarii librum *de Trinitate*; verbumque *adoptatur*, huic alteri *adoratur*, raſis perfidè codicibus, eſſe ſubſtitutum; ſi quæ Agobardus ea de re ſcripſerat, aliquo in loco habenda eſſe crediditſſet. Neque enim dubitare poſſumus, quin Agobardi li-

ber Hincmaro fuerit cognitus, & ab eo lectus diligenter; quippe, ut ſuperiùs monebam, nonniſi poſtquam Agobardus Ludovico reconciliatus eſt, liber ille ſcriptus eſt, atque optimo Imperatori dicatus ac miſſus. Porro apud Ludovicum jam tum Hincmarus frequenter verſabatur, & plurimùm gratiâ pollebat, à quo aliquot antè annis obtinuerat, ut Hilduinus San-Dionyſianus Abbas ab exilio revocaretur, reſtitueretur in Monaſterium, atque in Aulam rediret. Cùm ergo Hincmarus non videatur ignorare potuiſſe Hilarii locum, de quo diſputamus, laudatum eſſe ab Agobardo tanquam genuinum: conjecturâ non improbabili dici poteſt, viſos ab Agobardo codices Lugdunenſes, ab Hincmaro iis eſſe annumeratos, qui vel à Felice adulterati, vel ex adulteratis exſcripti fuerant.

Atque hæ rationes ſunt, propter quas Alcuini auctoritatem hac in cauſa Agobardi auctoritati anteponendam eſſe judicem.

Caput VII.

Utri Lectioni faveant antiquæ Editiones, & manuſcripti Codices.

Lectio illa, quam genuinam eſſe credimus, etiamnum habetur in antiquiſſimis operum ſancti Hilarii editionibus; legitur enim, ipſo teſte Cuſtantio, & in editione, quam Badius Aſcenſius Pariſiis adornavit ante ducentos annos, & in his duabus, quæ paucis pòſt illam annis Baſileæ prodierunt. Extat quoque apud Ludovicum Miræum, cujus editionem Cuſtantius [a] judicat cæteris *omnibus, quæ antè & pòſt prodiere, caſtigatiorem.* Quæ cùm ita ſint, nemini dubium eſſe poteſt, quin ſaltem in manuſcriptis aliquot codicibus verbum *adoratur*, ſcriptum fuerit in eo ipſo loco, in quem Felix verbum *adoptatur* inducere voluit.

Nam ad Badium quod attinet, quamvis *exemplarium penuria* [b] ſe laboraſſe fateatur: concedit tamen Cuſtantius [c] ab ipſo conſultum eſſe ſaltem unum è codicibus, qui nunc ſunt Colbertini. Uſus eſt præterea

[a] Præf. in nov. oper. S. Hil. Edit. pag. 3.

[b] In fine operis.

[c] Vind. vet. cod. c. 7. p. 67.

Georgii Cribelli editione, quem omnium primum libros *de Trinitate* typis mandaſſe certum eſt, atque adeo habuiſſe præ oculis aliquot manuſcriptos codices, quos ſequeretur.

Jam verò Eraſmus, qui primæ Baſileenſi editioni præfuit, cæteros [a] quidem *Hilarii Tractatus, aut laboris tædio neglexit, aut propter veterum codicum penuriam emendare non valuit: ad libros verò de Trinitate caſtigandos potiſſimum animum appulit.* Non deerant ergo manuſcripti codices, quibuſcum illi libri conferrentur, & ad quos emendarentur.

» Eraſmi [b] laborem laudavit Miræus, ipſe
» diligentiâ vicit. Nam ſcriptis exemplari-
» bus accuratè collatis, quidquid in eis à
» Frobeniana (ſive Baſileenſi) editione di-
» verſum nactus eſt, non minore curâ nota-
» vit. Plurimos codices miræ antiquitatis ſe
» contuliſſe teſtatur (ſed ex his) unos nomi-
» nat Victorinos... » Cùm tamen ille in notandis variis lectionibus accuratus & diligens, in loco à nobis controverſo, & ſcribat *adoratur*, nec obſervet ſe uſquam legiſſe *adoptatur*: inde colligitur ex codicibus, quos conſuluit, nullos habuiſſe *adoptatur*, cunctos vulgatam lectionem retinuiſ-

[a] Præf. in nov. oper. S. Hil. Edit. pag. 3.

[b] Ibid.

ſe. Vulgatam ergo lectionem exhibebant non modò exemplaria, quæ Cribellus vel Badius primùm exſcripſerunt: ſed etiam illa omnia, quæ in emendandis libris *de Trinitate*, poſteà ſecuti ſunt tam Eraſmus, quàm Miræus.

Non equidem ignoro plurimas, maximè à Pariſienſibus Typographis, prodiiſſe poſteà operum ſancti Hilarii Editiones, in quibus vulgatæ jam lectioni *adoratur*, Feliciana hæc *adoptatur*, ſubſtituta eſt: verùm Librariorumne oſcitantiâ id irrepſerit, an ex veteribus manuſcriptis codicibus vox illa *adoratur*, in iſtam *adoptatur*, immutata fuerit, Editores non aperiunt: imò nec veteri lectioni locum reliquerunt inter varias lectiones, quas in unum collectas ad calcem totius operis repræſentant. Quorum negligentiam hoc in loco non eſt imitatus Cuſtantius; pleraque enim expoſuit rationum momenta, quæ hinc inde proferuntur. Qua in re fidem ejus & diligentiam laudo: judicium tamen, quo Felicianam lectionem alteri anteponit, nec ſequi, nec laudare poſſum.

Eſto enim, Feliciana lectio in quibuſdam editis & manuſcriptis codicibus, etiam antiquis, reperiatur: ſaltem, ipſo fatente Cuſtantio, nec in antiquiſſimis editionibus, nec in omnibus manuſcriptis occurrit. Imò

multa mihi perſuadent, lectionem illam, quam defendimus, eſſe alterâ antiquiorem, eſſe primævam, atque adeo ſinceram.

Ac primò abraſus ille codex, quem laudat Cuſtantius, quem in Bibliotheca Aquiſgranenſi extitiſſe ait tempore Caroli Magni, habebat olim verbum iſtud *adoratur*; ſi quidem hoc aliud verbum *adoptatur*, nonniſi in loco abraſo nunc exhibet. Codex autem ille, ſi verè fuit Aquiſgrani, regnante Carolo Magno, eſt ſanè antiquiſſimus, nec ſæculo octavo poſterior, fortaſſè anterior. Quæ ergo in illo primitus lectio fuit, cenſeri debet antiquiſſima.

Secundò etiamſi non haberetur vetuſtus ille codex, firmiſſimis tamen argumentis probari poſſet reipsâ codices omnes, qui octavo ſæculo exeunte, aſſervabantur Aquiſgrani, habuiſſe verbum *adoratur*. Nam ſi illorum aliquis habuiſſet verbum *adoptatur*, nec corrumpendus fuiſſet muneribus junior Bibliothecarius, nec abradendi codices: ſed exhibendi illi, in quibus legeretur, *adoptatur*. Atqui tamen Felix & Bibliothecarium muneribus corrupit, & codices abraſit: nullum ergo Aquiſgrani codicem reperit, in quo lectionem, quam invexerat, demonſtrare poſſet.

Tertiò addo Alcuinum in Gallia, ubi tum vivebat, nullum octavo ſæculo habuiſſe

præ manibus, aut legiſſe ſancti Hilarii codicem, qui Felicianam lectionem in loco ſano & integro contineret. Nam ſi Alcuinus aliquem ejuſmodi codicem nactus eſſet, neque exprobraret Felici, quòd verba ſancti Hilarii, *conſuetâ ſibi verſutiâ immutaret*, neque tam aſſeveranter pronunciaret Felicem *omnino perverſiſſimè dicere* adoptatur, *ubi beatus Hilarius ait* adoratur. Cùm ergo Felici Alcuinus perfidiam exprobret, non imprudentiam, inde manifeſtè colligitur, nullum tunc ab Alcuino viſum fuiſſe codicem, ſive antiquum, ſive recentiorem, qui verba ſancti Hilarii, prout à Felice citata erant, haberet.

Quartò, ſed neque Felix in Hiſpania, ubi Orgelitanam Eccleſiam regebat, ullum videtur reperire potuiſſe codicem, quo probaret vocem hanc *adoptatur*, reipsâ in loco citato haberi apud Hilarium. Si quis enim, ſive antiquior, ſive etiam recentior codex ipſi faviſſet, hunc ſanè exhibuiſſet, ad repellendam criminationem falſi, qua impetebatur. Nuſquam tamen exhibuit: ſed ſe convertit ad dolos, primamque fraudem novâ fraude cumulavit; ſi quidem corrupto muneribus juniore Bibliothecario Aquiſgranenſi, abraſit codices, ut veteri & genuinæ lectioni inductam à ſe novam & ſpuriam ſubſtitueret.

Quintò nec iſtud contemni debet, quod Alcuinus, cùm Felici perfidiam in verbis ſancti Hilarii immutandis exprobravit, iſtud ſolâ facti evidentiâ adductus, objeciſſe videatur. Neque enim cauſæ neceſſitas poſtulabat, ut iſto reſponſi genere uteretur. Poterat, quod de aliis multis Patrum locis cum laude hoc in eodem libro ipſe executus eſt, quodque poſteà Agobardus perfecit, poterat, inquam, facili negotio demonſtrare verbum iſtud *adoptatur*, hoc in loco referri non poſſe ad Filii adoptionem à Patre, ſed neceſſariò intelligendum fuiſſe de carnis, ſive naturæ humanæ adoptione à Filio; atque adeo verba Hilarii à Felice in ſenſum alienum pravè detorqueri. Cùm ergo reſponſionem hanc facilem ſanè & omnibus obviam Alcuinus habuerit in promptu, nec eâ uſus fuerit: credibile eſt eum ſolâ notitiâ rei manifeſtâ, & codicum omnium auctoritate impulſum eſſe, ut verba Hilarii à Felice immutata fuiſſe diceret; neque enim eruditi viri & ingenioſi, qualis certè Alcuinus fuit, dubiam & incertam reſponſionem adhibent, ubi præſtò eſt certa & indubitata.

Ex his evidenti, ni fallor, conjecturâ colligitur, ſcriptos, ante Felicis tempora ſancti Hilarii codices omnes habuiſſe lectionem illam, quam propugnamus, tanquam

primævam & genuinam. Quòd ſi poſt illa tempora, exarati libri non pauci Felicianam lectionem continent, imprudentiâ Librariorum factum eſt, qui corruptis à Felice exemplaribus integra ac ſincera poſtpoſuerunt: neque iſtorum malè providus error ullo pacto nocet cauſæ, quam defendimus. Si quis igitur ſtat adhuc pro Felicis lectione: nihil ille proficiet, niſi codices producat, quos reipsâ conſtet eſſe Felice antiquiores. Et verò duos ejuſmodi laudat Cuſtantius, de quibus quid ſentiendum ſit, proximè ſequenti capite definiemus.

Caput VIII.

De Codicibus Colbertino & Carnutenſi.

OPponit ergo nobis Cuſtantius vetuſtiſſimos codices duos, Colbertinum & Carnutenſem, quos ait [a] *annos circiter mille præ ſe ferre*, & [b] *deſcriptos eſſe ante Caroli Magni tempora*, atque adeo habere [c] *ætatem Alcuino & Felice ſuperiorem.* Id ſi verum eſt, dicendum ſanè codices jam tum ante Felicis tempora variaſſe: neque ar-

[a] Nov. Hil. Ed. pag. 1401.
[b] Vind. vet. Cod. c. 7. p. 65.
[c] Ibid. pag. 67.

guendus eſſet Felix, quòd verbum *adoptatur*, primus omnium in librum Hilarii invexiſſet, ſed quòd in codices, in quibus non erat, induxiſſet. At quo tandem argumento nixus, tam certò definit Adverſarius Colbertini & Carnutenſis codicum ætatem? Quid enim? Si quis dixerit, iſtos tempora Caroli Magni attingere quidem, non ſuperare. Inficiabitur Cuſtantius, ſcio. Sed quâ ratione opinionem ille ſuam approbabit? Indubitanter affirmat codices eſſe annorum circiter mille, aitque id ex *certa notitia* cognoſci. Sed undè, quæſo, deducta eſt illa notitia tam certa, tam definita? Nulla in ipſis codicibus appoſita eſt Epocha, nulla nota temporibus inſcripta eſt.

Totum de codicum ætate judicium [a] *ex ſola characterum inſpectione* factum eſt; atque hanc unam regulam ſecutus Adverſarius, tanquam ex tripode pronuntiat, codices *præſe ferre annos circiter mille*, & procul dubio antiquiores eſſe Caroli Magni temporibus. Verùm cùm non auſit ille codicibus ſuis annos omnino mille aſſignare, ſed tantùm circiter mille: peto quid reſponſurus ſit, ſi quis libros ſcriptos dicat regnante Pipino Caroli patre, qui ante annos nongentos quinquaginta florebat. Facilè opinionem hanc feret, ut puto; nam

[a] Ibid.

qui

qui libris ſcriptis annos aſſignat nongentos quinquaginta, annos aſſignat circiter mille. At ſi quis rursùm à Pipini ævo ad Caroli ejus filii ac ſucceſſoris tempora, eorumdem codicum ætatem removerit: iſtud verò non patietur Cuſtantius. Exiſtimat ergo ex una characterum inſpectione figi ac determinari poſſe punctum aliquod temporis, ultra quod non fuiſſe ſcriptos codices certum ſit ac definitum. Si ita ſentit Cuſtantius, profectò ſolus ita ſentit.

Sit ſanè in ſcripturæ genere, in litterarum forma quidam character, ex quo librorum manuſcriptorum ætas cognoſci queat: ſed judicium, quod fit ex ejuſmodi regula, non debet anguſtis paucorum annorum finibus contrahi: temeréque faciat quiſquis illo ſolo uſus criterio pronunciarit, ſcriptum eſſe codicem temporibus unius Regis, potiuſquàm ejus anteceſſoris aut ſucceſſoris. In his enim judiciis facilè aberratur aliquot aut etiam pluribus annis, imò integris interdum ſæculis.

Nam quis in illa arte magis verſatus, quàm Mabillonius fuit? Atqui tamen judicaverat codicem Hilarii, qui aſſervatur in Archivo Eccleſiæ Vaticanæ, ſcriptum eſſe [a] *ſub finem quarti ſæculi, aut ineunte quinto*, cùm ſæculo ſexto certè non ſit antiquior,

[a] Lib. 5. de Re dipl. pag. 356.

fortaſſe multò poſterior, ut poſteà dicturi ſumus: ſcripturamque illius exhibuit inter ſpecimina ſcripturæ Romanæ ſecundæ ætatis, quartique aut quinti ſæculi, cùm tamen collocari non potuerit niſi inter ſpecimina ſcripturæ ſexti, aut fortaſſe noni ſæculi.

Idem Mabillonius in Tabella xv. [a] inter ſpecimina ſcripturæ ſæculi decimi-quarti, exhibet Thevenotianum codicem, qui complectitur librum primum *de Imitatione Chriſti*, cum alio opuſculo *de Paupertate, Humilitate, & Patientia*; & cum *Meditationibus* Domni Guigonis, Cartuſiæ Prioris quinti: aitque codicem hunc ad annos quadringentos accedere, hoc eſt, ſcriptum eſſe ſæculo decimo-quarto, atque adeò antè Thomæ Kempenſis tempora, quem fatentur omnes ad annum Chriſti 1471 vitam protraxiſſe. Neque ſolus ita ſenſit Mabillonius: ſed addit in eadem ſecum ſententia fuiſſe Antonium Faurum, & Blaſium Feronium, Doctores Sorbonicos, Carolum Freſnium de Cangio, Antonium Vion Herovallium, Stephanum Baluzium, Thevenotum ipſum & alios. Atqui ut ante aliquot annos doctiſſimus [b] Antiquarius demonſtrabat, manifeſtum eſt hoc in loco

[a] De Re dipl. l. 5. pag. 372. num. 4.

[b] Du Molinet. Biblioth. critiq. tom. 1. pag. 20. & 21.

& Mabillonium, & eruditiſſimos viros, quos laudat, à vero aberraſſe. Nam certè hujus codicis ſcriptura non eſt antiquior ipſis opuſculis, quæ in illo codice continentur, una eâdemque manu exarata. In illo autem codice continetur opuſculum *de Paupertate, Humilitate & Patientia,* quod nemo dubitat eſſe ipſius Thomæ Kempenſis, ne Mabillonius [a] quidem: ergo Thevenotiani codicis ſcriptura non eſt antiquior ſæculo decimo-quinto, & ipſius Thomæ Kempenſis temporibus.

Prætereà, idem Mabillonius in eadem Tabella xv. æri incuſam repræſentat ſcripturam codicis Gerardi-montenſis, in quo codice [b] deſcripti habentur libri quatuor *de Imitatione Chriſti,* cum quibuſdam opuſculis; & ſcriptum olim fuiſſe codicem ſignificat à Ludovico de Monte, qui ante annum 1400. obiit. Hoc autem falſum eſſe rurſum [c] demonſtratum eſt; ſi quidem in eo codice, eâdem manu deſcriptum habetur Opuſculum *de Diſciplina Clauſtralium,* quod nonniſi ſæculo decimo-quinto ab ipſo Thoma Kempenſi compoſitum eſſe omnes eruditi viri hactenus confeſſi ſunt.

Similiter deceptus eſt Theodoricus Ruinartius Mabillonii ſocius. Quippe in Ap-

[a] Animadv. in vind. Kemp. pag. 40.

[b] De Re dipl. l. 5. p. 372. n. 5.

[c] Du Molinet. ibid. ut ſupr.

pendice ad Opera Gregorii Turonenſis ſæpiùs laudat manuſcriptum codicem Corbeienſem, quem in Præfatione[a] dixit ipſius Gregorii ætate exaratum. In quo ſi re ipsâ reperiuntur monumenta omnia, quæ in Appendice producta dicuntur ex codice Corbeienſi, dubitari non poteſt, quin iſte codex duobus aut tribus ſæculis ſit Gregorio Turonenſi poſterior. Certè inſtrumentum, quod quarto loco poſitum eſt [b] inter inſtrumenta electionum, atque erutum dicitur ex codice Corbeienſi, non eſt antiquius temporibus Caroli Magni; ſi quidem in eo non ſolùm annus Incarnationis Domini, ſed etiam Indictio appellatur: quem uſum Mabillonius apud Francos in Diplomatibus invaluiſſe negat ante Carolina tempora. Jam verò à morte Gregorii Turonenſis ad Caroli Magni obitum anni plures quàm ducenti effluxerunt. Igitur codex in quo tale inſtrumentum exſcriptum habetur, non eſt æqualis temporum Gregorii, ſed ducentis & amplius annis ipſo poſterior eſt.

Quos eruditorum hominum lapſus & errores in dijudicanda ſcripturarum ætate hîc annotatos velim, non ut ipſorum Manibus contumeliam irrogem: ſed ut demum Cuſtantius intelligat in ejuſmodi judiciis etiam

[a] Num. 148. | [b] Pag. 1356.

à peritis iſtarum rerum æſtimatoribus aberrari aliquando pluribus annis : interdum etiam integris ſæculis. Deſinat ergo ille codicibus Colbertino & Carnutenſi ex ſola ſcripturæ inſpectione anguſtum aliquod temporis intervallum aſſignare, quo ſcriptos eſſe certò ac definitè ſtatuat : imitetur potiùs eruditam Chriſtophori Pfaffii prudentiam, à quo primùm edita nuper prodiit in lucem integra *Firmiani Lactantii Epitome Inſtitutionum divinarum*, cum tribus aliis veterum Scriptorum opuſculis pariter ἀνεκδότοις.

Ille enim cùm codicis manuſcripti, quo uſus eſt, ætatem longævam laudaſſet ; ſignificaſſetque codicem viſum eſſe ſibi antiquitate ſuperare eorum codicum litteras, quas Theodoricus Ruinartius in Appendice nova ad editionem ſecundam operis Mabilloniani *de Re diplomatica*, fol. 636. 637. exhibet : hæc ſtatim adjicienda putavit [a]. « Hoc ipſo tamen nihil determinatum « hîc volumus, ſed eruditorum potiùs viro- « rum cenſuræ lubentiſſimè nos ſubjicimus, « qui optimè novimus in diſcernendis codi- « cibus MSS. determinandaque eorum æta- « te demonſtrationes Mathematicas adhibe- « ri non poſſe. Etenim antiquitas codicum « MSS. qui mille annorum ætatem ferunt, «

[a] Differt. Prælim. §. 9. pag. 12.

„ non quoad ſæcula determinari poteſt, ſed
„ quoad aliquot ſæculorum decurſum. Unde
„ nec quiſquam hactenus fuit, qui certas da-
„ re regulas ſuſtinuerit, queis diſtingui ve-
„ tuſtiſſimi illi codices quoad ſæcula poſſint.
„ Nec enim quovis ſæculo æqualis ſemper
„ ſcriptura eſt, ſed diverſiſſima ſæpiùs pro
„ ratione Librariorum, uti & noſtris tempo-
„ ribus diverſiſſimam in diverſis ſcribendi ra-
„ tionem obſervamus. Sæpè enim Librarii
„ Græci Latina, & Latini Græca deſcripſe-
„ runt, quæ itidem diverſitas litterarum du-
„ ctus maximè variat. Atque in vetuſtiſſimis
„ codicibus nunquam ferè annus apponitur,
„ quo ſcripti ii fuerint, cùm in recentioribus
„ is è contrario ſæpiùs videatur annotatus,
„ etſi & hîc fraus aliquando ſubſit manifeſta,
„ falſos annos ſupponentibus Librariis, prout
„ & falſos ſæpè titulos veris ſupponunt. Ita-
„ que nonniſi conjecturis hîc locus ſupereſt;
„ & qui optimè conjicit, quæ fortunæ res
„ eſt, optimus in diſcernenda MSS. codicum
„ ætate Criticus videbitur.

Cenſet igitur doctiſſimus Pfaffius in judiciis, quæ de vetuſtiſſimorum codicum ætate fiunt, *nonniſi conjecturis locum eſſe: antiquitatem codicum, qui mille annorum ætatem ferunt, determinari non poſſe quoad ſæcula, ſed tantùm quoad aliquot ſæculorum decurſum: nec quemquam hactenus auſum eſſe certas dare*

regulas, queis diſtingui vetuſtiſſimi illi codices quoad ſæcula poſſint. Cui judicio videtur quodammodo ſubſcripſiſſe eruditus D. Petri Cuſtantii ſodalis Domnus Nicolaus Le Nourry, cujus ſtudio & cura Pfaffii liber typis Pariſienſibus editus eſt. Neque verò quicquam hoc in loco Pfaffius affirmavit aut confeſſus eſt, quod periti iſtarum rerum æſtimatores velint improbare. Quæ cùm ita ſint: tamen Domnus Petrus Cuſtantius, ubi agitur de codicibus Colbertino & Carnutenſi, quos ipſe judicat [a] *annos præ ſe ferre circiter mille*, indubitanter affirmat ambos *ætatem habere Alcuino & Felice ſuperiorem*: utrumque octavo ſæculo ſcriptum eſſe ſic ſtatuit, ut præfractè neget iſtorum ætatem uſque ad Felicis & Alcuini tempora poſſe removeri: ſimulque pronunciat *non merâ conjecturâ* ita à ſe judicari, ſed *ex certa notitia, ſolamque characterum inſpectionem ſatis per ſe idoneam eſſe ad iſtud aſſerendum.* Quod cùm novum ſit & paradoxum, affirmantis eſt regulas exhibere, quas ipſe ſecutus certam ſibi notitiam comparavit ejus rei, quam omnes hactenus crediderant nonniſi in conjectura eſſe poſitam. At cùm nullas hujus judicii exercendi regulas certas protulerit: examinemus, utrùm amborum codicum ætatem ex prudenti

[a] Vind. vet. Cod. cap. 7. pag. 66. 67.

ſaltem ac felici conjectura conſecutus fuerit.

Ait ille, utrumque codicem *Alcuini & Felicis ætatem ſuperare*: utrumque *præ ſe ferre annos circiter mille*. Peto igitur, unde id hauſerit; quave conjecturâ nixus amborum codicum ætatem ſic definiat. Nempe *uterque ſcriptus eſt*, inquit [a], *Romanis*, & *ut vocant*, *uncialibus litteris*. Inde colligit vir eruditus utrumque ſcriptum eſſe *ante Caroli Magni tempora*; utrumque *habere ætatem Alcuino & Felice ſuperiorem*: idcirco ait, *ambos præ ſe ferre annos circiter mille*; atque adeo exaratos eſſe, vel circa finem ſeptimi ſæculi, vel circa initium octavi; ſiquidem ab octavi ſæculi initio ad noſtra uſque tempora numerantur anni omnino mille.

At videat quàm parum inter nos conveniat. Quia codices iſti Romanas & unciales litteras exhibent, idcirco Cuſtantius ait illos, aut ſub finem ſeptimi ſæculi, aut ſub initium octavi eſſe exaratos: ego hanc eandem ob cauſam nego his temporibus dici poſſe exaratos. Ratio in promptu eſt. Codices Romanis uncialibuſque litteris exarati, dici debent eâ ætate ſcripti, quâ iſta ſcribendi forma fuit in uſu communi, non illâ, quâ maximè iſtud ſcripturæ genus obſoleverat. Atqui uſus ſcribendi Romanis & uncialibus litteris circa medium

[a] Ibid. pag. 69.

ſeptimum ſæculum jam obſoleverat, nec niſi à Carolo Magno revocatus eſt ſub finem octavi ſæculi. Non peto aïenti mihi ut credat Cuſtantius : ſed ne Mabillonii harum rerum peritiſſimi auctoritatem contemnat.

In libris deſcribendis, inquit Mabillonius,[a] non defuit etiam ſua ſcripturæ mutatio. Nam uſque ad ſæculi ſexti finem, imò uſque ad medium ſeptimum, apud Francos veteris ſcripturæ Romanæ perennavit uſus, tum quæ in diplomatis per id tempus obtinuerat Franco-gallica, in artem etiam librariam propagata eſt. » Idem paulò antè dixerat « primâ ſtirpe extinctâ Carolum Magnum litteras expolire cœpiſſe, & in elegantiorem formam commutaſſe... Denique Carolinos Reges Romanum characterem majorem in priſtinam illam aureæ ætatis formam proximè revocaſſe.

Igitur cùm doceat Mabillonius, *veteris Romanæ ſcripturæ uſum apud Francos non perennaviſſe ultra medium ſeptimum ſæculum*; ab illo tempore uſque ad Caroli Magni tempora Franco-gallicam ſcripturam in artem etiam librariam tranſiiſſe : Librarios tunc rariùs uſos fuiſſe Romanis illis majoribus & uncialibus litteris : Carolinos Reges Romanum characterem majorem in

[a] Lib. 1. de Re dipl. cap. 11. n. 14. pag. 51.

priſtinam illam aureæ ætatis formam proximè revocaſſe: hæc, inquam, cùm Mabillonius doceat, nonne apertè contradicit Cuſtantio, qui ex characterum inſpectione definitè ſtatuit codices Colbertinum & Carnutenſem ſcriptos eſſe illo planè temporis intervallo, quo characteres, quos iſti codices referunt, rariùs uſurpatos fuiſſe Mabillonius ait. Ex eo quod codices illi majoribus litteris Romanis & uncialibus ſcripti ſint, colligi debuit ſcriptos eſſe, vel ante ſæculum ſeptimum, cùm genus illud ſcripturæ maximè erat in uſu; vel ſiquidem pudebat ætatem tam longævam illis affingere, ævo potiùs Carolino, quo ſcriptura hæc ſeptimo & octavo ſæculo neglecta revocari cœpit.

At Colbertinum ſaltem Carolinis temporibus antiquiorem eſſe contendit Cuſtantius; quia in illo [a] *voces ita arctè conjunctæ atque copulatæ ſunt, ut unumquemque verſum verbum unum diceres.* Equidem non ſum neſcius Mabillonium docere [b] « poſt auream
» Latinorum ætatem, qui ſingula vocabula
» ſingulis punctis diſtinguebant, nullam ferè
» verborum diſtinctionem à Notariis eſſe fa-
» ctam uſque ad Carolum Magnum, qui pro-
» curante Alcuino, punctorum diſtinctiones

[a] Vind. vet. Cod. cap. 7. pag. 66.

[b] Lib. 1. de Re dipl. cap. 1. n. 15. pag. 51. & 52.

vel ſubdiſtinctiones reſtituit. » Eundemque «
addere : « piiſſimum Principem hoc in nego- «
tio adhibuiſſe Paulum Warnefridi & Al- «
cuinum Diaconos peritiſſimos, in quibus ille «
Homilias per annum legi ſolitas, & aliquot «
Auguſtini Epiſtolas, hic vero librum, qui «
Comes appellatur, interpunctionibus illu- «
ſtrarunt. «

Ac primò ſi in manuſcriptis codicibus nulla ferè vocum diſtinctio à Notariis facta eſt ſæculis illis barbaris, quæ Caroli Magni tempora proximè præceſſerunt, ut poſt Mabillonium contendit Cuſtantius: ergo non poteſt dici ſæculis illis ſcriptus fuiſſe Carnutenſis codex, in quo reſtituta à Carolinis Regibus vocum diſtinctio apparet: igitur non modò non poteſt affirmari codicem iſtum Carolinis temporibus eſſe antiquiorem; ſed etiam contrarium certum eſt ex ipſa Mabillonii & Cuſtantii regula.

Deinde cùm dicitur Carolus Magnus *vocabulorum & punctorum diſtinctiones reſtituiſſe :* non eſt credendum morem hunc ſtatim & uno die fuiſſe inductum. Id factum eſt ſenſim ſine ſenſu. Undè affirmat idem Mabillonius [a] *interpunctionum uſum ſeriùs quidem in Diplomatibus obtinuiſſe ; in libris verò ita obſervatum eſſe ab annis ferè octingentis :* id eſt nonniſi poſt tempora Caroli

[a] Ibid.

Calvi ; quippe hæc cùm ſcribebat Mabillonius, jam octingenti anni & ampliùs à Caroli Calvi obitu effluxerant. Quæ cùm ita ſint, mirum non eſt occurrere ſcriptos ætate ipſius Caroli Magni aut Ludovici Pii codices, in quibus nec ſeparata ſint abinvicem vocabula, nec punctorum diſtinctiones habeantur.

Igitur ex eo quòd codices Colbertinus & Carnutenſis ſcripti ſint Romanis & uncialibus litteris, Colbertinuſque ita ſcriptus ſit, ut nullæ in eo verborum diſtinctiones ſint : inde colligi non poteſt ſcriptos eſſe ante Caroli Magni, aut etiam Ludovici Pii & Caroli Calvi tempora : imò inde contrarium de Colbertino quidem codice non improbabili argumento, de Carnutenſi autem certâ ratione concludi. Nulla ſunt ergo & evanida argumenta, quibus Cuſtantius confidenter affirmat, iſtos codices annos præ ſe ferre circiter mille, & eſſe antiquiores temporibus Caroli Magni.

Præterea firmiſſima eſt ratio, ob quam iidem dici debeant ſcripti poſt Alcuini & Felicis ætatem. Habent enim illi verbum *adoptatur*, eo ipſo in loco ubi Alcuinus ait Hilarium dixiſſe *adoratur*, non *adoptatur*. Habent lectionem, quam à Felice in libros Hilarii primùm invectam Hincmarus ex Patrum Aquiſgranenſium teſtimonio do-

cet. Hac regulà multò tutiùs codicum ætas dijudicatur, quàm petitis ex ſcriptura conjecturis, quanquam nec illæ conjecturæ favent Cuſtantio, ut oſtendimus; nec ſi faverent, locum haberent ullum in hac quæſtione, ubi contrarium profertur Alcuini & Patrum Concilii Aquiſgranenſis teſtimonium, qui ea referunt quæ viderant.

Jam verò ſi codices Colbertinus & Carnutenſis poſt commiſſam à Felice ſub finem octavi ſæculi fraudem ſcripti ſunt; utique recentiores ſunt illis ipſis codicibus, quos Alcuinus contra Felicem ſcribens conſuluerat; recentiores etiam ſunt illo ipſo codice, qui nunc eſt Germanenſis, anteà fuit Corbeienſis, olim fuerat Aquiſgranenſis, quem Cuſtantius docet eſſe illum ipſum, de cujus depravatione à Felice factâ Hincmarus conqueſtus eſt. In quo poſteriori codice Feliciana lectio, quam Cuſtantius tutatur, extat quidem, ſed *in loco abraſo*; undè colligitur non extitiſſe in eo verbum *adoptatur*, antequam membrana raderetur. Iſta ergo lectio non eſt primæva, ſed invectitia; non nativa, ſed adſcita.

Caput IX.

De Codice Vaticano.

Eſtat codex ille, qui in Archivo Eccleſiæ Vaticanæ aſſervatus continet duodecim ſancti Hilarii libros *de Trinitate*, cum duobus libris in Conſtantium, & vulgò æſtimatur omnium antiquiſſimus: quo quidem in codice ſcriptum nunc eſt *adoratur.* Quia tamen religio eſt mihi quicquam prætermittere, quod ad veritatem elucidandam conferre poſſit: non diſſimulabo rem, quæ videtur latuiſſe Cuſtantio, nempè in eo codice primitùs ſcriptum fuiſſe, *adoptatur.* Ita enim accepi ab eruditiſſimo viro, qui librum illum rogatu meo diligenter inſpexit: animadvertitque, abraſis litteris *p* & *t*, ſuperinductam fuiſſe & ſecundis curis adjectam litteram *r* aliâ manu, diverſoque atramento, quantum in vetuſtiſſima ſcriptura conjici potuit. Verùm duo ſunt, quæ hîc velim accuratè obſervari.

Primùm: omnino incertum eſſe, quandonam hæc codicis emendatio facta fuerit. Si illa paulò recentior eſt, nec niſi poſterioribus ſæculis inducta: quæ vetuſto co-

dici inerat olim lectio, & poſtmodùm abraſa eſt, hæc Cuſtantii cauſam multùm adjuvat, magnumque illi auctoritatis pondus addit; non tamen litem planè decidit, ut intelligetur ex his, quæ poſtea dicturi ſumus. Si verò codicis emendatio antiquior eſt, & illum ipſum auctorem habet, qui librum non ita multò poſtquam exaratus fuit, recognovit & cum anterioribus exemplaribus contulit: ea res opinionem meam confirmat ac ſtabilit. Neque enim credibile eſt ſtudioſum illum, à quo ſcriptus codex recognitus eſt, & à Librarii mendis repurgatus, inductam à Librario lectionem repudiaturum fuiſſe, niſi inſpectis anterioribus exemplaribus mendoſam eſſe comperiſſet. Quæ res ſi ita ſe habuit, conſequens eſt priſcis jam tum ſæculis fuiſſe judicatum, lectionem illam *adoptatur*, falſam & ſpuriam, hanc verò *adoratur*, ſinceram eſſe ac genuinam. Sed quoniam definiri non poteſt, quonam tempore & cujus operâ facta fuerit emendatio, an illius qui iſtud exemplar cum aliis ſe contuliſſe teſtatur, an alterius, qui ætate ſit poſterior: nolim ad cauſæ meæ defenſionem tam incerto uti argumento.

Secundò igitur obſervandum, codicem hunc Vaticanum non mihi videri tam antiquum, quàm vulgò creditur, etſi nullus

dubito quin valde antiquus ſit. Ait [a] quidem Joannes Mabillonius ſcriptum eſſe codicem *ſub finem ſæculi quarti, aut ineunte quinto*; ſed iſtud viro erudito, ut jam monui, excidit per incogitantiam & errorem: neque enim potuit ſcriptum dicere, niſi *ſub finem quinti ſæculi, aut ineunte ſexto.* Quippe codicis ætatem probat ex inſcriptione ad calcem libri primi in Conſtantium appoſita, quæ his verbis legitur: *Contuli in nomine Domini Jeſu Chriſti aput Kaſulis conſtitutus anno quarto-decimo Traſamundi Regis:* ſtatimque obſervat ex Holſtenio annum hunc Traſamundi *convenire anno Chriſti quingenteſimo-decimo:* unde colligendum eſt, exaratum eſſe codicem ineunte ſæculo ſexto, ſi ejus ætas ex illa inſcriptione æſtimatur.

At debetne codicis ætas æſtimari ex modo relata inſcriptione? Hoc mihi valde incertum videtur; quia incertum eſt, ſincera, an ſpuria ſit iſta inſcriptio, aut potiùs illa inſcriptionis pars, quæ locum & annum deſignat, quo codex collatus dicitur.

Interdum enim contigit, ut [b] *malè feriati nebulones*, quo veteribus chartis pretium adderent, iis falſas apponerent inſcriptiones, quibus antiquiſſimi temporis nota ali-

[a] Lib. 5. de Re diplom. pag. 356.

[b] Mabil. lib. 5. de Re dipl. pag. 344.

qua

qua contineretur. Cujus rei inſigne nobis exemplum Mabillonius ipſe [a] ſuppeditat, in veteri quodam inſtrumento, quod Ravennæ ſcriptum eſt anno Juſtiniani Imperatoris 38, & Chriſti 564; nuncque aſſervatur in Bibliothecæ regiæ ſcriniis, ubi illud vidimus. Iſti igitur inſtrumento appoſita olim videbatur inſcriptio hæc, *C. Julii Cæſaris teſtamentum L. Piſone ſocero recitatum in domo Idibus Septembris.* Quæ quidem inſcriptio conſpici jam nequit; quippe cùm illa poſita eſſet in averſa parte, jam obducta eſt tela, quam cum vetuſtiſſima charta, ne diffluerct in partes, planè conglutinaverunt: ſed illic inſcriptionem iſtam ab eruditiſſimis hominibus viſam olim fuiſſe, ipſorum qui viderunt teſtimonio conſtat. Inſtrumenti ergo ætatem ex falſo titulo judicans poſt Hamonem Mabillonius, illius ſcripturam repræſentaverat inter ſpecimina ſcripturæ Romanæ primæ ætatis, quanquam inſtrumentum nonniſi ſexto ſæculo jam vergente ſcriptum eſt. Fraudem ipſe poſtea detexit vir eruditus; conqueriturque [b] *titulum ſuperiorem Regio inſtrumento perperam impoſitum fuiſſe à nebulone quodam malè feriato, qui Hamoni ſibique ſubinde fucum fecerit.* Quod regio illi inſtrumento contigit, ut propter adjunctam ipſi inſcriptio-

[a] Ibid.

[b] Ibid.

nem falſam viſum fuerit multò antiquius, quàm eſt: hoc ego de Vaticano Hilarii codice ſuſpicor; jure, an injuriâ, prudens Lector judicaturus eſt.

1. Si codicis Vaticani ſcriptura ſpectetur ſola, nullâ habitâ ratione illius notæ temporis, quam ſuſpectam eſſe dico, judicabitur iſta ſcriptura noni, aut etiam poſterioris alicujus ſæculi eſſe potiùs, quàm ſexti. Certè habemus codicem Evangelia continentem, ſæculo nono haud antiquiorem, cujus ſcriptura in pleriſque ſimillima eſt ſcripturæ codicis Vaticani. Imò codici huic noſtro cùm manus quædam otioſa poſteà adjecerit ſententias aliquot, alias quidem in ſumma pagina, alias verò in margine laterali, animadverti ſuperadditam hanc ſcripturam, quæ poſterioris ſanè temporis eſt, multò magis accedere ad ſcripturam codicis Vaticani. Quin etiam cùm manus multò recentior ſcripſerit in laterali margine iſta tria verba, *dele Domine iniquitatem*; horum ſcriptura viſa eſt non abſimilis inſcriptioni, cujus mihi fides ſuſpecta.

2. Eandem inſcriptionem ne ipſi quidem Mabillonio certæ & exploratæ fidei viſam eſſe autumo. Nam quanquam ipſius plurimùm referebat ſinceram eſſe: de illa tamen iſtud unum auſus eſt pronuntiare,

hanc eſſe [a] *cujuſdam ſtudioſi*; hanc [b] *clauſulam ab incerto quodam libris Hilarii de Trinitate* (debuit dicere *primo Hilarii libro in Conſtantium*) eſſe *ſubjunctam in codice Eccleſiæ Vaticanæ*. Ut plenam fidem faceret ejuſmodi inſcriptio, debuerat vel illius eſſe à quo liber exaratus eſt, vel ſaltem alterius cujus fides eſſet cognita. Atqui *incerti* eſt auctoris : non eſt ergo ejus fides planè explorata & certò cognita.

3. Inſcriptionis ejuſdem auctoritatem iſtud magnopere minuit, quòd ſi ſcriptura codicis cum ſubjuncta inſcriptione conferatur, ſtatim ſeſe prodit oculis, non modò altera manus, quod minimè mirum eſſet, ſed ſcripturæ genus omnino diverſum. Scriptura enim codicis Romana eſt, quadrata, nec lectu adeo difficilis : in inſcriptione litteræ minutiſſimæ, atque in poſteriori ejuſdem parte forma litterarum tam perverſa, tam inuſitata, ut qui in illam oculos maximè intendunt eruditi viri, vix poſſint inter ſe conſentire, quomodo ſit legendum.

4. Cùm Vaticanus codex quatuordecim omnino ſancti Hilarii libros contineat, nempè duodecim *de Trinitate*, & duos *in Conſtantium* : ad omnium calcem, ſi duos

[a] De Re dipl. lib. 5. tab. 6. pag. 356.

[b] Ibid. lib. 1. cap. 11. num. 5. pag. 47.

aut tres exceperis, ubi nihil legitur, adjecta eſt vox iſta *contuli*, aliquando ſola, aliquando cum his aliis *in nomine Domini Jeſu Chriſti*: ſemel tantùm, ad calcem ſcilicet libri primi in Conſtantium integra legitur inſcriptio, *contuli in nomine Domini Jeſu Chriſti aput Kaſulis conſtitutus anno quarto-decimo Traſamundi Regis.* Et cùm in hoc ſolo libro occurrat pars inſcriptionis poſterior, quâ tempus ac locus, ubi codex recognitus eſt & cum aliis collatus, deſignatur: hoc prætereà habet ſingulare, ut non iiſdem videatur exarata characteribus, quibus pars illa anterior, *contuli in nomine Domini Jeſu Chriſti*, quæ in pluribus aliis ejuſdem codicis libris recurrit. Porro hanc ſcripturæ & characterum diverſitatem ſtatim ſentiet, quiſquis attentis oculis perluſtraverit ſextam [a] Mabillonii tabulam, in qua vir eruditus inſcriptionem ipſam accuratè depictam voluit, prout eſt in autographo, & iiſdem expreſſam lineamentis.

In illa porro tabula priora inſcriptionis verba hæc, *contuli in nomine Domini Jeſu Chriſti*, minutiſſimis quidem ſcripta ſunt litteris, ſed quarum forma Romana ſit, communis, non barbara, non inuſitata; & quæ multùm accedat ad genus illud ſcripturæ, quo ipſe codex exaratus eſt: contrà

[a] De Re diplom. lib. 5. pag. 355.

verò poſteriora inſcriptionis verba iſta, *aput Kaſulis conſtitutus anno quarto-decimo Traſamundi Regis*, quæ loci ac temporis notam continent, litteris planè diverſis expreſſa ſunt, tam horridis, tam remotis ab uſu communi, ut nonniſi ab iis, qui iſtis aſſueverunt, legi poſſint. Deinde in priori inſcriptionis parte, ut & in ipſo codicis corpore, ſingulæ litteræ ſingulis ferè ductibus exaratæ ſunt, & ſi duas aut tres excipias vix ullo inter ſe nexu compactæ: at in poſteriori parte litteræ nexis inter ſe lineamentis ſic vinciuntur, ut uno manûs calamique ductu, plures continenter exaratas eſſe certum videatur. Quare, ſi inſcriptio in Tabula Mabilloniana accuratè repræſentatur, qualis eſt in autographo: nullo pacto dubitare poſſum, quin priorem ejus partem hanc, *contuli in nomine Domini Jeſu Chriſti*, quæ in pluribus ejuſdem codicis libris repetitur, alia manus ſcripſerit; alia verò poſteriorem partem iſtam, *aput Kaſulis conſtitutus anno quarto-decimo Traſamundi Regis*, quæ nonniſi ſemel in illo codice habetur. Ex quo manifeſtè colligendum eſſet, ſecundam iſtam partem poſteriùs adjectam eſſe, atque adeo eſſe adventitiam ac ſpuriam.

Verùm facile fieri poteſt, ut Mabilloniana Tabula autographum adamuſſim non

expreſſerit; potuit enim, & qui Romæ ex autographo ſpecimen expinxit, & qui expictum Pariſiis æri incidit, paululùm deflectere à veris autographi lineamentis. Imò & reipsâ ita contigiſſe monitus ſum ab erudito viro, qui codicem ipſum nuper rogatu meo Romæ inſpexit. Is enim affirmat, litterarum hujus inſcriptionis formam paulò magis *ordinariam*, nec tam barbaram eſſe in autographo, quàm apud Mabillonium: neque ullam animadverti ſeu manûs, ſeu atramenti differentiam in diverſis inſcriptionis partibus. Ad atramentum quod attinet, etiamſi in diverſis inſcriptionis partibus diverſæ eſſet ætatis; minimè tamen mirum eſſet, quòd nulla hujus diverſitatis indicia poſt tot elapſa ſæcula ſeſe jam oculis proderent; norunt enim iſtarum rerum periti viri, in iis codicibus vel inſtrumentis, quæ diverſis ſæculis ſcripta eſſe conſtat, non ſemper eam eſſe in atramento diverſitatem, quæ oculis obſervari poſſit. Quod ſpectat ad manum, quam eamdem ſibi viſam eſſe ait in omnibus inſcriptionis partibus; ne ipſius judicio planè acquieſcam, præpedit alterius eruditi hominis auctoritas, qui cùm ante aliquot annos eundem codicem etiam rogatus à me diligenter inſpexiſſet, atque adhibito vitro, quo viſa amplificantur, apices ſingulos attentè con-

ſideraſſet, reſcripſit priorum quidem hujus inſcriptionis verborum lectionem facilem eſſe & cuique obviam, poſteriorum autem ita difficilem, ut vix certò ſtatui poſſit quomodo ſit legendum. Rem autem ita ſe habere idcirco adducor ut credam, quòd qui codicem inſpexerunt docti viri, priorem inſcriptionis partem omnes eodem modo legerint, alteram alii aliter legant. Quippe Joannes Durandus, & cum ipſo Mabillonius legunt *aput Kaſulis*, ubi [a] *qui Archivi Vaticani catalogum ordinavit*, legerat *Putzalis*: ſic etiam ubi Mabillonius ait ſcriptum eſſe *Traſamundi*, alius vir eruditus teſtatur ſe, re diligenter obſervatâ, legiſſe *Tranſamundi*. Quæ legentium varietas demonſtrat in his poſterioribus verbis formam litterarum eſſe paulò obſoletiorem, quàm in anterioribus; atque adeo fidelem & accuratam hac in parte eſſe Mabillonii tabulam.

Porro ſi priora inſcriptionis verba, quæ in pluribus ejuſdem codicis libris recurrunt, alio ſcribendi genere exarata ſint, atque poſteriora, quæ ſemel tantùm in illo codice habentur: juſta eſt cauſa timendi, ne loci & temporis nota, quæ his ſolis poſterioribus verbis continetur, alienâ manu & perperam adjecta ſit, ut vetuſto codici pretium adderetur: quemadmodum

[a] Mabill. lib. 5. de Re diplom. pag. 356.

veteri illi inſtrumento, quod nunc in bibliotheca regia aſſervatur, titulus perperam additus fuerat.

Atque hæ cauſæ ſunt, cur adjuncta codici Vaticano loci ac temporis nota mihi ſuſpecta fuerit. Eorum eſt, qui in volvendis & dijudicandis vetuſtis codicibus plurimùm verſati ſunt, pronuntiare quid ſit ea de re ſentiendum. Si codex cenſebitur exaratus initio ſexti ſæculi, dicendum erit, jam tum variaſſe Hilarii exemplaria, lectionemque perfidè inductam à Felice in Codices Aquiſgranenſes, fuiſſe tamen antea in aliquot ſancti Hilarii exemplaria mendosè invectam.

CAPUT X.

Inductam à Felice in Aquiſgranenſes Codices lectionem, ſuſpectam reddi ex ipſo ſancti Hilarii ſtylo ac ratione loquendi.

INveſtigavimus hactenus utri lectioni, Felicianæ, an alteri faveant veteres Scriptores, aut antiqui codices manuſcripti: conſulamus nunc ipſum ſancti Hilarii ſtylum, & conſuetam ejus loquendi rationem. Hanc enim diximus tertiam eſſe regulam, quâ judicetur, an Feliciana lectio ſpuria ſit. Con-

tendebat Felix Orgelitanus à ſancto Hilario ſcriptum eſſe, *carnis humilitas adoptatur*, ubi Alcuinus legebat, *carnis humilitas adoratur.* Nihil attinet nunc dicere, quàm improvidè, quàm inſulsè Felix ut probaret Chriſtum, quatenus homo eſt, eſſe Filium Dei adoptivum, ejuſmodi verba laudaverit; quæ ſi talia fuiſſent, qualia ille volebat, aſſumptam quidem à Filio carnis humilitatem demonſtrarent, eandem verò adoptatam eſſe à Patre minimè ſignificarent. Hoc unum nunc quærimus, utrùm judicari debeat Felix verbum hoc *adoptatur*, induxiſſe ex minimè corruptis exemplaribus. Dico autem, lectionem hanc vel ex illo capite ſuſpectam eſſe, quòd iſte loquendi modus, ut carnis humilitas dicatur à Chriſto *adoptata*, inſolens ſit apud Hilarium & planè inuſitatus. Quippe quoties ea de re loquitur ſanctus Hilarius, loquitur autem ſæpiſſimè, dicere ſolet naturam humanam à Verbo divino eſſe aſſumptam vel ſuſceptam, *adoptatam* nuſquam dicit. Cujus rei juvat aliqua exempla referre.

Tractatu in Pſ. 65. *In æternam gloriam* ait [a] *transferri aſſumptæ*, non verò adoptatæ, *ex virgine carnis naturam.* Tractatu in Pſ. 124. Chriſtum eſſe docet [b] *montem ſuperimminentem & excelſum, in quo ipſi nos*

[a] Num. 12. nov. Edit. p. 177. | [b] Num. 3. pag. 403.

metipſos ſpeculamur per aſſumptionem, non per adoptionem, *carnis noſtræ corporiſque*. Tractatu in Pſ. 143. poſtquam illum retulit Evangelii verſum, ubi Christus Dominus ait, [a] *omnia data ſunt mihi in cælo & in terra:* ſtatim adjicit [b], *data poſt hominis aſſumptionem*, non autem poſt hominis adoptionem: eodem rurſum in loco, *fuit cauſa donandi*, inquit [c], *quia qui in forma Dei erat, formam ſervi accepit, & ſe de forma Dei evacuans, formam ſervi aſſumens, uſque ad mortem obediens fuit. Obedientiæ ergo illi per quam habitus ſervilis aſſumitur, & habitui illi ſervili id donatur....* Ubi forma ſervi *accepta*, non adoptata, habitus ſervilis *aſſumptus*, non adoptatus dicitur.

Neque verò alias in Tractatibus in Pſalmos, alias in libris de Trinitate loquendi formulas Hilarius uſurpat. Nam & in libro ſexto de Trinitate ſic loquitur: *Neminem tam alienum à communi ſenſu exiſtimo eſſe*, inquit, [d] *ut cùm in omnibus Evangeliorum libris ex profeſſione filii aſſumptionem corporeæ humilitatis intelligat... tamen in hac tam aſſidua humilitatis conteſtatione inſolentiæ eum arguat, quòd ſibi Patrem Deum dicat:* & in libro nono ejuſdem operis ait [e] *in formam*

[a] Math. 28. 18.
[b] Num. 7. pag. 554.
[c] Ibid.
[d] Num. 25. pag. 894.
[e] Num. 41. pag. 1011.

Dei aſſumi aſſumptionem formæ ſervilis : quo utroque in loco Hilarius dixit corporeæ humilitatis & formæ ſervilis *aſſumptionem*, non adoptionem.

Plura hîc congerere poſſem, quibus apertè demonſtratur maximè familiarem fuiſſe eximio Doctori iſtam loquendi formulam, ut naturam humanam, humilitatem carnis, formam ſervi, à Chriſto *acceptam*, *ſuſceptam*, *aſſumptam* diceret: hanc verò, quâ natura humana à Filio Dei *adoptata* dicitur, ipſi planè inuſitatam fuiſſe & inſolentem. Quod quiſquis obſervat, Felicis quidem ſuſpectam habeat, Alcuini verò lectionem multò potiorem judicet neceſſe eſt. Si enim ſanctus Hilarius noluiſſet hoc in loco ſignificare carnis humilitatem à Magis eſſe adoratam, ſed de ſuſcepta à Chriſto carnis humilitate loqueretur, pro perpetuo ſuo more diceret, *carnis humilitas aſſumitur*, non ſcriberet *carnis humilitas adoptatur.*

Unicus eſt Hilarii locus, in quo *adoptionis* nomen videtur eo ſenſu uſurpaſſe, quem Cuſtantius propugnat. Petitur ille ex Tractatu in Pſalmum centeſimum vigeſimumſeptimum, ubi hæc leguntur: *Docemur*, [a] inquit Hilarius, *eum eſſe, qui promiſſus ſit gentibus, cuique à Patre Eccleſiæ hæreditas per*

[a] Num. 8. nov. Edit. pag. 417.

ADOPTIONEM *corporis, quod ex Virgine præſumpturus eſſet, deſponſa ſit.* Ita locum hunc exhibet Cuſtantius, cui manuſcripti duo codices, Regius ſcilicet & Turonenſis, necnon operum ſancti Zenonis Veronenſis editio ſuffragantur. Verùm cæteræ omnes editiones, cæterique codices manuſcripti omnes pro iſta voce, *adoptionem*, alteram hanc habent *adeptionem.* Quàm facilè fieri potuerit, ut Librarii Amanuenſes, ſive calami, ſive oculorum, aut etiam aurium lapſu, alterutram ex his duabus vocibus pro altera ſcriberent, nemo non intelligit.

Antiquam lectionem eſſe præferendam, vocemque hanc, *adeptionem*, in textu fuiſſe retinendam, mihi planè perſuadet ipſa orationis ſeries. Quippe commodior multò perfectiorque videtur ſenſus, ſi dicatur Eccleſiæ hæreditas Chriſto tunc deſponſa, cùm ille *adeptus* eſt corpus, quod ex Virgine præſumpturus erat, quàm ſi dicatur eidem deſponſa, cum ille *adoptavit* corpus, quod ex Virgine præſumpturus erat. Quippe meliùs congruunt hæc duo, *præſumpturus erat*, & *adeptus eſt*, quàm iſta, *præſumpturus erat*, & *adoptavit.* Neque enim Filius Dei corpus ex Virgine priùs fuit aſſumpturus, quàm iſtud ipſe elegiſſet ſive adoptaſſet : nam apud Hilarium [a] *adoptio* eſt *electio quæ fit*

[a] De Trinit. lib. 12. num. 15. nov. Edit. pag. 1113.

per voluntatem; atque adeo adoptare eſt eligere. Futurum autem fuit ab æterno, ut Filius Dei corpus ex Virgine aſſumeret: hoc ergo ab æterno ſibi elegerat atque adoptaverat... At corpus quod ab æterno elegerat, nonniſi in tempore adeptus eſt: tuncque Eccleſiæ hæreditas, quæ ipſi à Patre parata fuerat, reipsâ deſponſa eſt.

Quæ cùm ita ſint, quis vitio vertat, quòd Cuſtantii lectione rejectâ, anteriorum Editionum lectionem amplectamur, legamuſque apud Hilarium, *Eccleſiæ hæreditatem* Chriſto Domino *à Patre eſſe deſponſam*, non per adoptionem, ſed *per adeptionem corporis, quod ex Virgine præſumpturus eſſet*? Qui loquendi modus ſanè convenit cum iis quæ in Tractatu præcedenti dicta fuiſſe Cuſtantius hoc in loco obſervat. *Hanc habet Dominus Jeſus retributionem*, inquit Hilarius, [a] *ab immortali ejus natura humanæ infirmitatis ſuſcepta nativitas, ut quia fructus ventris factus ipſe eſt, merces quoque ejus gentium fiat hæreditas, & hæreditas ipſa ſint filii.* Ita Hilarius, ubi duo obſervanda ſunt. Primùm, *ab immortali Chriſti natura humanæ infirmitatis nativitatem ſuſceptam dici*, non adoptatam. Alterum, *mercedem ejus fieri gentium hæreditatem, quia fructus ventris factus ipſe eſt.* Fructus autem ventris factus ipſe eſt,

[a] Tract. in Pſ. 126. num. 17. pag. 421.

non quando ab æterno elegit atque adoptavit, ut corpus ſumeret ex Virgine, ſed quando in tempore corpus illud adeptus eſt, quod olim ab æterno aſſumere ſtatuerat. Utut eſt, ſaltem conſtat, à Cuſtantio approbatam hoc loco lectionem, valde incertam eſſe; atque adeo non eſſe certam judicandi regulam, ſed ipſam potiùs ex aliis locis minimè dubiis judicari debere.

Neque verò mirari debemus, quòd ſanctus Hilarius, quoties de ſuſcepta à Verbo divino natura humana loquitur, verbum *adoptandi* tam ſollicitè devitet. Intelligebat ſcilicet acutiſſimus vir atque eximius Doctor iſto vocabulo abuti poſſe Novatores illos, qui Chriſtum Filium Dei dumtaxat adoptivum eſſe mentiebantur: quam hæreſim ipſe diſertiſſimè ac ſæpiſſimè impugnat. Nam quanquam Neſtorio atque ejus aſſeclis multò eſt antiquior; quia tamen manus ſæpè conſeruit cum Arianis, ex quorum hæreſi conſequens erat Chriſtum non eſſe verè, propriè, ac ſecundùm naturam, ſed tantùm per adoptionem & nuncupationem Filium Dei; iſtud etiam ipſe expreſsè confutat, & in eo confutando libri ſexti *de Trinitate* partem longè maximam inſumit. *Ceſſet*, inquit, [a] *ſermo temerarius . . . ac verum Dei Filium, non ex adop-*

[a] Lib. ſext. de Trin. num. 22. & ſeq. pag. 892. & ſeq.

tione, ſed ex natura intelligant. Deinde verò Catholicam veritatem multis argumentis demonſtrat.

Ac primò teſtimonium profert Dei Patris, qui de Chriſto Domino ſemel & iterum dixit [a]: *Hic eſt Filius meus dilectus in quo complacui.* Quibus verbis ſignificari, ait [b] Hilarius, *non per communionem adoptivæ hæreditatis, cognomentum Filii unigenito Deo eſſe additum, ſed per ſignificationem proprietatis ipſi proprium eſſe ac ſingulare:* HIC EST FILIUS MEUS... *cæteris donatum eſſe adoptionis nomen.*

Secundum Hilarii argumentum petitur ex Chriſti verbis, cæcum illum natum, cui lumen reſtituerat, ſic interrogantis [c]: *Tu credis in Filium Dei?* Quæ & alia ſimilia poſtquam retulit ſanctus Doctor in hunc modum exclamat [d]: *Quid nunc agimus? concedimus tantùm Jeſu Chriſto nomen adoptionis, per quod & in Patre ſibi Deo nuncupando temerariæ eum arguimus præſumptionis.* Oſtendit etiam Filii [e] nomen in Chriſto *non eſſe nomen adoptionis*, vel ex eo quòd proprietates, quæ alteri non conveniant quàm illi qui verè ac ſecundùm naturam Filius Dei ſit, per Filium ad filii nomen adjectæ ſint.

[a] Matth. 3. 17. & 17. 5.
[b] Ibid. num. 23. pag. 893.
[c] Joan. 9. 35.
[d] Lib. 6. num. 25.
[e] Ibid. n. 26, 27, 28, 29, 30. & 31.

Tertiò docet [a] *Filium Dei Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum ab Apoſtolis creditum, non ex nuncupatione, ſed ex natura; neque ex adoptione, ſed ex nativitate.* Ubi fusè de illis diſcipulorum apud Joannem verbis diſputat, [b] *Nunc ergo ſcimus quia noſti omnia, & non habes neceſſe ut aliquis te interroget: in hoc credimus, quia à Deo exiſti.*

Quartò venit ad confeſſionem ipſius Petri Apoſtolorum Principis. « Non eſt Evangelica & Apoſtolica fides, inquit [c], Filium Dei nomine potiuſquàm naturâ credidiſſe. Si enim *adoptionis* hæc nuncupatio eſt, & non idcirco Filius eſt, quia exierit à Deo, quæro unde beatus Simon Bar-jona eſt, confeſſus, *Tu es Chriſtus Filius Dei vivi?* Anne cum omnibus poteſtas ſit per ſacramentum regenerationis in filios Dei naſci? Si ſecundùm hanc nuncupationem Filius Dei Chriſtus eſt, interrogo, quid illud ſit, quòd Petro non caro, neque ſanguis revelavit, ſed Pater qui in cœlis eſt?... Si ex *adoptione* filius eſt; unde hæc in Petro beata confeſſio eſt, hoc Filio deferens, quod eſt commune Sanctorum?

Quintò Joannem etiam eandem veritatem confeſſum eſſe oſtendit. « Loquatur, inquit [d], ſuâ, ut ſolet, voce (Joannes)

[a] Ibid. n. 32. & ſeq.
[b] Joan. 16. 36.
[c] Hilar. ibid. n. 36, 37, 38.
[d] Ibid. n. 39.

Deum

« *Deum nemo vidit unquam, niſi unigenitus Filius, qui eſt in ſinu Patris.* Naturæ fides non ſatis explicata videbatur, ex nomine Filii, niſi proprietatis extrinſecus virtus per exceptionis ſignificantiam adderetur. Præter Filium enim, & unigenitum cognominans, ſuſpiciones penitùs *adoptionis* exſecuit, cùm veritatem nominis unigeniti natura præſtaret.

Deinde alium ejuſdem Joannis locum referens, *Sic enim dilexit mundum Deus, ita ut Filium ſuum unigenitum daret*, exclamat [a] « Deus diligens mundum, *non adoptivum*, ſed ſuum, ſed unigenitum dedit. Hîc proprietas eſt, nativitas eſt, veritas eſt: non creatio eſt, non adoptio eſt, non falſitas eſt. Hinc dilectionis & charitatis fides eſt, mundi ſaluti & Filium, & ſuum, & unigenitum præſtitiſſe. » Rursùm ex aliis ejuſdem Evangeliſtæ verbis docet [b] in Chriſto unigenito Deo non eſſe nomen *filii ex adoptionis conſuetudine*: nihil hîc *adoptiva nomina loci habere*: ab eo *affirmari creationem qui prædicat adoptionem.*

Sextò nomen *adoptionis* in Chriſto pariter ſanctus Hilarius rejicit auctoritate divi Pauli, cujus loca plurima [c] profert.

Denique idem ſanctus Doctor Chriſtum

[a] Ibid. n. 40.
[b] Ibid. n. 41, 42, 43.
[c] Ibid. n. 44, 45, 46.

Dominum fuiſſe Dei Filium no ſolâ *adoptionis* indulgentiâ, ſed naturæ poteſtate, probat & Dæmonum & ipſorum Judæo-
» rum confeſſione. Dæmonum quidem: « cla-
» mant enim, inquit [a], & ſæpè clamant,
» *quid mihi & tibi eſt Jeſu Fili Dei altiſſimi?*
» Judæorum autem, dum ita interrogant,
» inquit [b], *Tu es Chriſtus Filius Dei benedicti?* Sa-
» cramentum neſcientes, naturam tamen non
» ignorant... neſciunt de Maria Chriſtum,
» ſed Chriſtum Dei Filium eſſe non ambi-
» gunt.

Cùm ergo ſanctus Hilarius tam ſtudioſè, tam ſæpè *adoptionis* nomen à Chriſto amoverit, cùm eos Hæreticis annumeret, qui docuerant Chriſtum eſſe Filium Dei *adoptivum*; cùm *adoptandi* verbum, ubicumque agit de ſuſcepta à Verbo divino naturæ noſtræ infirmitate, ſollicitè fugiat: non facilè crediderim ipſum ſcripſiſſe *carnis humilitas adoptatur*, ubi Alcuinus legebat *carnis humilitas adoratur.*

Crediderim potiùs Felicem, cùm locum hunc laudavit in ſcripto adversùs Alcuinum libello, immutaſſe verba ſancti Doctoris; atque ad hanc fraudem ſeſe convertiſſe; quia jam non audebat, ut antea fecerat, Catholicis objectare ſancti Hilarii verba, quæ de populo Iſraëlitico dicta ipſe

[d] Ibid. n. 49.

Felix ad Chriſtum Dominum fraudulenter
tranſtulerat. Is autem erat ſancti Hilarii
locus : « Ex adoptione, inquit Hilarius[a], «
eſt Filius, non ex generatione : neque ei «
proprietas, ſed nuncupatio eſt. Nam licèt «
primogenitus meus de eo ſcriptum ſit, longè «
tamen multúmque differt *Filius meus dile-* «
ctus, & *Filius primogenitus meus*. Ubi enim «
nativitas eſt, ibi *Filius meus dilectus*: ubi ve- «
rò electio ex gentibus eſt, & adoptio per «
voluntatem eſt, ibi *Filius primogenitus meus.* » «
Ita quidem Hilarius : verùm ibi ſanctiſſi-
mus Doctor hæc Evangelii verba, [b] *Filius
meus dilectus*, quæ de Chriſto dicta ſunt,
iſtis Exodi verbis opponit, [c] *Filius primoge-
nitus meus Iſraël*, quæ ad populum Iſraëliti-
cum referuntur : atque ex utriſque colligit,
Chriſtum quidem Filium Dei eſſe ex ge-
neratione, ex proprietate ; Iſraëlem verò
eſſe filium Dei dumtaxat ex adoptione, ex
nuncupatione. Quare neceſſe eſt magnam
fuiſſe Felicis aut cæcitatem, ſi ipſe non vi-
dit, ea quæ iſto in loco Hilarius habet de
adoptione, ad ſolum Iſraëliticum populum
pertinere ; aut potiùs impudentiam, ſi quod
de Iſraëlitis dictum ſciebat, ipſe malâ fi-
de tranſtulerit ad Chriſtum, auſus affirma-
re geminum his verbis ab eximio Doctore

[a] Lib. 12. de Trin. num. 15. nov. Edit. pag. 1119.

[b] Math. 3. 17.

[c] Exod. 4. 22.

diſtinctum eſſe in Chriſto Filium, naturalem alium, alium adoptivum.

Hanc perjuri Hæreſiarchæ fraudem Doctores Catholici ſtatim animadverterunt; præ cæteris autem confutavit Paulinus Aquileienſis, in libris, quos Alcuino hortante contra Felicem compoſitos edidit, certè ante Concilium Aquiſgranenſe, quo autem anno difficile eſt definire. Duo enim extant Paulini Aquileienſis ſcripta adversùs Felicem: nempè libellus, qui nihil aliud continet, quàm orationem à Paulino contra Felicis atque Elipandi errorem habitam, vel in Concilio Francofordienſi, ut vulgò creditur, vel ut ego cenſeo, in Concilio Ratiſponenſi; ſiquidem in hujus orationis fine Paulinus manifeſtè ſignificat, cùm hæc ſcriberet, nondum latam fuiſſe ab Adriano ſummo Pontifice ſententiam adversùs Felicem: lata autem illa eſt paulò poſt Concilium Ratiſponenſe, atque ante Concilium Francofordienſe. Alterum & multò prolixius Paulini opus contra Felicem conſtat libris tribus, quos Carolo Regi, necdum Imperatori, obtulit, fortaſſe antequam Alcuinus ſcripſiſſet adversùs Felicem; certè priuſquam Felix hæreſim ſuam palam ejuraſſet in Concilio Aquiſgranenſi: quibus in libris videtur Paulinus confutare ſcriptum quod Felix vulgaverat, cùm primùm er-

rorem ſuum diſſeminare cœpit.

In his ergo Paulinus exagitat Felicem, qui ſuprà laudatum ſancti Hilarii locum, malâ fide produxerat: *Hilarium*, inquit[a], *beatæ memoriæ Pictavienſis ſedis Antiſtitem cur lacerare non parcis? Poſt illud quoque, quod per Arrium pertulit, cur illi alium minaris exilium? .... Ponis Hilarii verba, ſed non juxta ejuſdem ſenſum Doctoris.* Deinde pluribus demonſtrat de populo Iſraëlitico dicta ab Hilario fuiſſe, quæ Felix ad Chriſtum Dominum perfidè tranſtulerat. Denique ex variis Hilarii locis evincit, ipſum, ubi de Chriſto Filio Dei ageretur, à nomine adoptionis vehementer abhorruiſſe. « Nam quia remoto, inquit[b], nuncupativo veri Dei & adoptativo proprii Filii, Chriſtum verum Deum, verumque Dei Filium in libris pro cauſa fidei editis (Hilarius) profeſſus fuerit, nullus prorſus ignorat, qui eoſdem libros diligenti lectitare ſtuduerit curâ. »

Sic revictus Felix, cùm non haberet, quo ſuam hanc aut cæcitatem, aut impudentiam excuſaret, pro Hæreticorum more aliò divertit; & omiſſo deinceps duodecimo Hilarii de Trinitate libro, quæſivit in ſecundo, unde cauſam ſuam defenderet.

[a] Lib. 3. contra Felicem. Ad calcem oper. Alcuini p. 1854.

[b] Ibid. pag. 1855. & ſeq.

Verùm quia nec in ſecundo libro genuina ſancti Doctoris verba quicquam offerebant, quod Catholicis opponi poſſet, fraudulentus homo convertit ſe ad dolos: locum elegit, quem leviſſima aliquot litterularum immutatione putavit ſic corrumpi poſſe, ut fraudem Catholici non ſentirent. Ipſum ſpes ſua fefellit. Nam contrà inſurgens Alcuinus hominem graviſſimè objurgavit, quòd verbis Hilarii immutatis dixiſſet *adoptatur*, ubi beatus Doctor ait *adoratur.* Alcuinum partes ſuas tueri potuiſſe, non ſolùm exhibitis ſancti Hilarii codicibus, ſed etiam ex ipſo ſanctiſſimi Epiſcopi ſtylo atque ejus ratione loquendi hactenus oſtendimus: ſupereſt ut videamus, utram ex his duabus vocibus orationis ſeries ac contextus exigat.

Caput XI.

Utram lectionem, Felicianamne, an aliam, ſancti Hilarii ſcopus atque orationis ſeries exigat.

Cum tam in editis, quàm in manuſcriptis libris nunc reperiatur utraque lectio, & in aliis quidem ſit verbum *adoratur*, in aliis verò *adoptatur*: utra genuina

ſit & alteri anteponenda, colligi quidem poteſt ex factis hiſtoricis; atque adeo ex narratione Alcuini & Hincmari, qui hujus diverſitatis quæ prima origo fuerit, apertè declarant. Poteſt etiam iſtud dijudicari, ut jam fecimus ex Hilarii ſtylo & loquendi conſuetudine: ſed non poteſt certiùs definiri, quàm ex ſcopo ſancti Hilarii atque ex ejus orationis ſerie. Quid ergo Hilarii ſcopus, quid orationis ſeries exigant, nunc demum eſt examinandum.

Si retinetur antiquiorum Editionum iſta lectio : *ita poteſtatis dignitas non amittitur, dum carnis humilitas adoratur:* particula *dum* vim habebit particulæ cauſalis; & ſenſus erit: *ita poteſtatis dignitas non amittitur*, quandoquidem vel ſiquidem *carnis humilitas adoratur.* Neque verò hæc interpretatio abhorret ab Hilarii ſtylo, apud quem conjunctio illa *dum*, non ſemel ſumitur pro particula cauſali. Atque ut non recedamus ab eo libro, in quo verba, de quibus nunc quæſtio eſt, reperiuntur: ſic Hilarius ipſe concludit ejuſdem libri ſecundi caput trigeſimum primum: [a] « ita natura & muneris « & honoris ſignificata eſt, cùm in ſpiritu « Deum ſpiritum docuit adorandum: & li- « bertatem ac ſcientiam adorantium & ado- « randi infinitatem, dum in ſpiritu Deus «

[a] Pag. 805.

„ ſpiritus adoratur, oſtendens: „ ubi particula *dum* neceſſariò cauſalis eſt; cùm ſenſus ſit, Chriſtum mulieri Samaritanæ *& libertatem ac ſcientiam adorantium & adorandi infinitatem oſtendere, ex eo quòd in ſpiritu Deus ſpiritus adoratur*, ſive, *quia in ſpiritu Deus ſpiritus adoratur.* Poſſem & alia ſancti Hilarii loca proferre, ex quibus uſum iſtum particulæ *dum*, in ipſius libris non eſſe infrequentem manifeſtum eſt. Sed pluribus ejuſmodi locis appellandis nunc ſuperſedeo, quia neminem eſſe puto, qui rem tam certam in dubium revocare velit.

Secundam autem lectionem ſi recipimus, & huic verbo *adoratur*, iſtud alterum *adoptatur*, ſubſtituimus, erit iſte ſenſus: *ita poteſtatis dignitas non amittitur, dum carnis humilitas* aſſumitur, ſive adſciſcitur. Neque enim inficiabor ſolam hanc ſignificationem iſto in loco tribui poſſe verbo *adoptatur*; atque adeo magnam Felicis fuiſſe imprudentiam, qui inde probare voluerit Chriſtum à Patre adoptatum fuiſſe in Filium. Quare ultrò fateor Alcuinum & Hincmarum, qui audacem Felicis in loco hoc depravando perfidiam reprehendunt, potuiſſe & ipſi improbrare amentiam, ac facilè demonſtrare cum Agobardo verbum iſtud *adoptatur*, alium eò loci habere ſignificatum, quàm quem Felix volebat. Sed judicarunt illi

fruſtra ſe diſputaturos de ſenſu verborum, cùm verba ipſa, quæ Felix proferebat, non haberentur apud Hilarium. Verùm ea de re nunc non agimus: examinandum utra lectio meliùs cum ſancti Hilarii ſcopo congruat, utram ſeries orationis exigat.

Iſta concluſio, *ita poteſtatis dignitas non amittitur*, &c. habetur in fine capitis [a] vigeſimi ſeptimi: debet ergo, ſi ad rem poſita eſt accommodatè, debet, inquam, conſequi ex his quæ in hoc ipſo capite continentur. Atqui ſi rejectâ lectione Felicianâ *adoptatur*, ſervamus antiquam *adoratur*, multò meliùs concluſio capiti vigeſimo-ſeptimo congruit, ut quiſque facilè intelliget, poſtquam paucis explicuerimus, quis ſancti Hilarii ſcopus ſit, quæ orationis ejus ſeries.

Igitur ſanctus Hilarius, cùm de divina unigeniti Filii Dei generatione & natura pluribus egiſſet, nonnullas etiam argutias, quibus vana & ſubtilis Hæreticorum impietas Catholicæ plebis ſimplicitati fucum facere potuiſſet, antevertere ſtatuit: ſuumque hoc conſilium his verbis ſignificat: « Sed ne fortè detineant [b] ſcrupuloſas men- «
tium cogitationes, cunæ, vagitus, partus «
atque conceptio, reddenda eſt ſingulis Dei «
dignitas. » Deinde totum iſtud argumen- «
tum ſic dividit, ut declaret ſe primò actu-

[a] Lib. 2. de Trin. pag. 802. | [b] Lib. 2. de Trin. n. 26. p. 800.

rum de ſolo Chriſti conceptu : *Videamus igitur*, ait [a], *quæ ſunt miniſteria conceptus*. Atque ut demònſtret Chriſtum Dominum, cùm primùm in conceptu humanam carnem aſſumpſit, manifeſtaſſe majeſtatis ſuæ dignitatem ; recenſet prodigia, quæ Chriſti conceptionem comitata ſunt, aut proximè ſecuta ; atque illud imprimis quòd Chriſtus matrem habeat virginem [b], *cujus interiora Spiritus ſanctus deſuper veniens ſanctificavit, quamque obumbravit virtus Altiſſimi*. Quo clarè propoſito totum caput his verbis abſolvit : *Hæc conceptionis eſt dignitas*, quaſi diceret, *ita ſit ut in ipſo conceptu dum carnis humilitas aſſumitur, non amittatur Dei dignitas*. Quare ſi locus ille, quem examinamus, haberetur in fine capitis vigeſimi-ſexti, contenderem quidem modum loquendi abhorrere ab Hilarii ſtylo ; ſed facilè concederem ſententiam ipſam magis cohærere cum Hilarii textu ; ſi quidem Verbum divinum tunc potiſſimum carnis humilitatem aſſumpſiſſe & adoptaſſe ſibi dicendum eſt, cùm primùm Chriſtus in ſinu virginis conceptus eſt.

Verùm iſte locus non in vigeſimi-ſexti, ſed in vigeſimi-ſeptimi capitis fine habetur : in quo vigeſimo-ſeptimo capite non jam Hilarius agit de Chriſti conceptione, ſed tan-

[a] Ibid. pag. 801. | [b] Ibid.

tùm de ejus nativitate, vagitu & cunis; probandumque ſuſcipit in his etiam tribus manifeſtam eſſe Dei dignitatem: unde caput iſtud ſic inchoat. [a] *Videamus partum, vagitum & cunas, dignitas quæ ſequatur.* In iſtis autem divinam relucere dignitatem ex eo conficit, quòd [b] *& per Magos cunarum ſordes adorentur, & vagitus per Angelorum divina gaudia honoretur, & partui proclamans per Prophetam Spiritus & Angelus nuncians, & novæ lucis ſtella famuletur.* Quæ ſingula poſtquam deſcripſit, hæc rurſum addit. [c] *Aliud intelligitur, aliud videtur: aliud oculis, aliud animo conſpicitur. Parit Virgo: partus à Deo eſt. Infans vagit: laudantes Angeli audiuntur. Panni ſordent: Deus adoratur.* Quibus abſolutis, nullâ aliâ re interjectâ, ſic demum concludit. *Ita poteſtatis dignitas non amittitur, dum carnis humilitas adoratur.* Quæ quiſquis legit, ſtatim ſentit concluſionem ipſam ad hæc referri debere, quæ proximè dicta ſunt: nempe ad initia naſcendi, ad vagitum & cunas, non verò ad conceptionem, de qua actum fuerat in ſuperiori capite.

Hoc autem ſi ſemel admittitur, jam non erit ambiguum, utra lectio ſit alteri anteponenda. Nam ſi verbum *adoratur* retine-

[a] Lib. 2. de Trin. cap. 27. pag. 801.

[b] Ibid. pag. 802.

[c] Ibid.

mus, ſenſus erit planus, concluſio naturalis; quid enim naturale & pronum magis, quàm poſtquam dixeris naſcenti Chriſto *& partui Virginis proclamantem per prophetam ſpiritum, nunciantem Angelum, novæque lucis ſtellam famulari; vagientem infantem per Angelorum divina gaudia honorari, jacentem in cunarum ſordibus adorari à Magis:* hoc, inquam, ubi dixeris, quid proclive magis eſt, quàm ſic orationem concludere: *Ita poteſtatis dignitas non amittitur, dum carnis humilitas adoratur?* Quaſi dicas, ita poteſtatis dignitas non amittitur, *ſi quidem* carnis humilitas adoratur: vel quod in idem recidit, ita dum carnis humilitas adoratur, *interea* poteſtatis dignitas non amittitur.

Omnia certè cohærent, ſenſus clarus eſt, & concluſio ritè deducta ex antecedentibus. At ſi verbum *adoptatur*, in locum iſtius *adoratur*, poſueris: jam concluſio non erit propria hujus vigeſimi-ſeptimi capitis, ubi habetur. Quippe qui loquitur accuratè, dicere non poteſt Chriſtum naſcendo carnis humilitatem adoptaſſe ſibi & ſuſcepiſſe, ſed ſuſceptam in ipſa conceptione & novem jam menſes latentem in ſinu Virginis foras manifeſtaſſe naſcendo. Multò minùs dici debet, Chriſtus per vagitum & cunas carnis humilitatem adoptaſſe ſibi & aſſumpſiſſe:

ſed potiùs adoptatam dudum & aſſumptam in conceptu per vagitum & cunas demonſtraſſe infirmitati naturæ noſtræ ac miſeriis obnoxiam. Ex ipſa ergo orationis ſerie conſtat antiquæ lectioni, *adoratur*, Felicianam, *adoptatur*, eſſe poſtponendam. Poſtquam enim ſanctus Hilarius oſtendit, naſciturum Chriſtum eſſe proclamatum *Emmanuelem*, vagientem *eſſe honoratum ab Angelis*, jacentem in cunis *eſſe à Magis adoratum*: nonne ſic orationem concludere debuit, *ita dum carnis humilitas adoratur, poteſtatis dignitas non amittitur?* non ſecùs ac ſi diceret, ita poteſtatis dignitatem non eſſe amiſſam ex eo demonſtratur, quòd carnis humilitas fuerit adorata.

Neque enim evidentiori potuit argumento demonſtrari, Chriſtum ſuſceptâ carnis humilitate, poteſtatis, ſeu majeſtatis divinæ dignitatem retinuiſſe, quàm ſi oſtenderetur ipſum in illa carnis humilitate fuiſſe adoratum. Quippe ſola majeſtas divina adoratur. Beatos Angelos, cæteroſque Sanctos, Virginem Deiparam honore ſuo proſequi & debitâ reverentiâ licet: ſolum Deum fas eſt adorare. Cùm ergo Hilarius toto illo in capite hoc unum habuerit probandum, & reipsâ probaverit, carnis humilitate, vagitu, cunis, majeſtatis divinæ dignitatem non eſſe violatam, potuitne magis idoneis

& ad rem accommodatis verbis conclude-re, quàm his: *ita poteſtatis dignitas non amittitur*, ſi quidem *carnis humilitas adoratur*: vel quod idem ſonat, *dum carnis humilitas adoratur?*

Caput XII.

Petita ex Dionyſii Petavii teſtimonio objectio diluitur.

ERuditiſſimus Societatis noſtræ Theologus Dionyſius Petavius declarat [a] 1. Non eſſe ſine idonea veterum codicum auctoritate reponendum *adoratur* pro *adoptatur*. 2. De germana Hilarii lectione non eſſe temerè aſſentiendum Hincmaro. 3. Minùs profectò cohærere cum antecedentibus verbum *adoratur*, quàm *adoptatur*; minúſque aptam videri orationem, ſi *adorandi* vox repetatur. Ex quibus abſolutè colligit retinendum eſſe *adoptatur*. Cujus verbis, ſalvâ quæ maxima debetur eruditiſſimo viro, reverentiâ, hæc habeo quæ reſpondeam.

1. Cùm docet non eſſe ſine idonea veterum codicum auctoritate reponendum *adoratur*, apertè ſignificat non recuſare ſe, quin reponi debeat verbum *adoratur*, ſi mo-

[a] Lib. 7. de Incarn. cap. 4.

dò adſit idonea veterum codicum auctoritas. Atqui ejuſmodi auctoritatem non deeſſe ſuprà oſtendimus. Huic enim lectioni non modò favent antiquiſſimæ omnes editiones, quæ utique ex ſcriptis codicibus factæ ſunt, ſed etiam ipſo Cuſtantio fatente, plures ex his qui nunc habentur codices manu exarati. Huic præterea lectioni ſuffragatur Alcuinus, qui diſertè docet Felicem *perverſiſſimè dicere* ADOPTATUR, *ubi divus Hilarius ait* ADORATUR. Porro nemo non intelligit teſtimonium hoc Alcuini affirmantis Hilarium reipsâ dixiſſe *adoratur*, inſtar eſſe vetuſtiſſimi codicis, imò & plurium codicum vetuſtiſſimorum; neque enim vir ætate ſuâ doctiſſimus Felici crimini verteret, quòd *omnino perverſiſſimè dicit* adoptatur, *ubi divus Hilarius ait* adoratur, niſi perſuaſum ipſi fuiſſet, omnes Hilarii codices tunc reipsâ habuiſſe verbum iſtud *adoratur.*

2. Cùm idem Petavius negavit de germana Hilarii lectione temerè aſſentiendum eſſe Hincmaro, non ſatis adverterat, 1. Alcuinum Hincmaro quodammodo præluſiſſe, & ea ſcripſiſſe, quæ narrationem ejus omnino credibilem reddunt. 2. Hincmarum, quam Felici intenderat de libro Hilarii depravato criminationem, eandem in alio poſtea opere renovaſſe; unde colligi-

tur, neminem tunc fuiſſe, qui ei accuſationi contradiceret. 3. Denique Felicianæ fraudis veſtigia etiamnum ſupereſſe in antiquo codice, qui olim Aquiſgranenſis fuerit.

3. Cùm ait Petavius, minùs cohærere cum antecedentibus verbum *adoratur*, quàm *adoptatur*, non poſſumus quin refragemur, propter rationes, quas ſuperiori capite deduximus. Ne tamen videamur tanti viri auctoritatem temerè & imprudenter negligere: liceat illi opponere alium ex eadem Societate noſtra nobiliſſimum Theologum Gabrielem Vaſqueſium, cujus quidem eruditio fortaſſe minor fuit quàm Petavii, ſed ingenium non minùs acre & perſpicax, nec minor in ea tractanda quæſtione dili-
» gentia. Ille ergo ſic loquitur: « Quamvis
» in aliquibus codicibus recenter excuſis [a],
» ſit verbum illud *adoptatur*, in aliis tamen
» legitur *adoratur*: in quo facilè potuit incu-
» riâ Scriptorum error aliquis irrepere. Hanc
» verò eſſe lectionem germanam, ex optimo
» ſenſu, quem reddit verbum *adoratur*, mi-
» hi habeo perſuaſum: cùm tamen verbum
» *adoptatur*, vix aliquem bonum ſenſum ex-
» primere valeat. Verba Hilarii de Chriſti
» nativitate ſecundùm carnem ſunt hæc:
» *Aliud intelligitur, aliud videtur, aliud ocu-*

[a] Tom. 1. in 3. part. S. Thomæ q. 23. diſp. 89. cap. 15. pag. 613. Edit. Lugd.

lis,

lis, aliud animo conſpicitur: parit Virgo, partus à Deo eſt: Infans vagit, laudantes Angeli audiuntur: panni ſordent, Deus adoratur. Ita poteſtatis dignitas non amittitur, dum carnis humilitas adoratur. Illa particula *dum*, vim habet cauſalis, perinde atque particula *ſiquidem*. Reddit ergo optimè cauſam, cur dignitas poteſtatis non amittatur inter partum, vagitus & ſordidos pannos, dicens: *dum carnis humilitas adoratur.* Cùm enim adoratur, relucet in ea majeſtas ſuæ Deitatis, ob quam cum illa adoratur. Si verò legas *adoptatur*, vix ſenſus præcedentibus cohærere poteſt. » Hactenus Vaſqueſius, qui ſanè pronuntiat verbo illo *adoratur* optimum ſenſum exhiberi: contrà verò vix ſenſum præcedentibus cohærere poſſe, ſi legamus *adoptatur.* Cùm ergo hac in parte apertè repugnet Petavio; nos in re controverſa auctoritatem ſequimur, quàm re examinatâ & expenſo accuratè Hilarii textu veritati propiorem eſſe duximus.

Concluſio Secundæ Partis.

HActenus Hincmari ſuam Felici in falſandis Hilarii codicibus perfidiam exprobrantis narrationem omnino credibilem; nec ullo pacto infirmari poſſe demonſtravimus. Quæ enim magis credibilis nar-

ratio, quàm quæ omni ex parte cohæret ſibi, cui oculati teſtes ſuffragati ſunt, cui cùm facta eſt, nemo contradixit? Adde quod Hincmaro hac in re quodammodo præluſerit Alcuinus; quòd Felicianæ fraudis manifeſta etiamnum hodie extent veſtigia in vetuſtiſſimo codice, qui olim fuit Aquiſgranenſis; quòd Hilarii ſtylus, quòd ſenſus atque orationis ſeries Felicianam lectionem reſpuat; quòd antiqui codices, ſi qui hanc habent, probari certò non poſſint ipſo Felice antiquiores. Quæ cùm ita ſint, deſinat tandem Cuſtantius ſpuriam & adulterinam lectionem defendere; hancque à ſe non ſatis prudenter genuinæ antepoſitam eſſe fateatur. At non ſolius Felicis patrocinium ſuſcepit ille adversùs Hincmarum, Gotheſcalci etiam fautores à crimine falſi ipſis ab eodem Præſule impoſito purgare conatur: quod jure-ne, an injuriâ tentatum ſit, videamus.

PARS TERTIA.

Editum inter opera ſancti Auguſtini librum contra quinque hoſtium genera, *à Gotheſcalci aſſeclis fuiſſe adulteratum.*

QUamvis inter Remenſes Antiſtites vix alium reperias, ſi magnum illum Remigium exceperis, qui auctoritate, ſuiſque in Eccleſiam Gallicanam meritis cum Hincmaro conferri poſſit: plurimos tamen, & noſtrâ, & ſuperiori ætate tantus ille Præſul paſſus eſt obtrectatores, etiam inter eos qui Catholici haberi volunt. Neque verò hujus rei cauſa obſcura eſt. Bellum ille acerrimum indixit Gotheſcalco Orbacenſi Monacho, proſcriptam dudum Prædeſtinatianorum hæreſim renovanti. Cùm ergo his poſtremis temporibus non deſint, qui vel objectos Gotheſcalco errores animo foveant, vel ſaltem negent ita Gotheſcalcum olim ſenſiſſe, ut ipſi objiciebatur: non mirum eſt ejuſmodi viros iniquiores eſſe Hincmaro.

At Domnus Petrus Cuſtantius, qui hac in quæſtione nolit, ut puto, Gotheſcalci patronis annumerari, non debuerat Hinc-

mari objurgatoribus ſeſe adjungere: adjunxit tamen, & celeberrimum Præſulem, ex Monaſterio San-Dionyſiano ad ſacras infulas evectum, variis modis proſcindit. Hunc [a] non modò *turpiter allucinatum*, & [b] *falſæ cauſæ defenſorem fuiſſe ait*: ſed etiam [c] *propriæ cauſæ ſtudio irretitum… ſolâ philautiâ, ſolâ cauſæ, quam temerè ſuſceperat, atque iniquiùs defenſitabat, neceſſitate conſtrictum, varia exempla*, quibus falſi crimen Hæreticis olim fuiſſe familiare demonſtraret, *undequaque conquiſiviſſe; eorum numerum, quantùm potuit, auxiſſe*; atque in iis adducendis minimè *accuratum* fuiſſe.

Equidem non diffiteor Hincmarum jure reprehendi, quòd non animadverterit criminationem, quam Donato [d] Auguſtinus, *tanquam furi divinorum eloquiorum & violatori* intulerat, ab eodem Auguſtino poſteà eſſe revocatam. Verùm ſi ſemel memoriæ vitio, aut negligentiâ lapſus eſt Hincmarus, non idcirco in cæteris omnibus erraſſe cenſendus eſt. Certè nihil ille Arianis, nihil Neſtorianæ hæreſis antecurſoribus, nihil Macario Antiocheno exprobravit, quod non meritò ipſis objiciatur, quod non priùs iiſdem objeciſſent ſanctus Ambroſius,

[a] Vind. vet. Cod. pag. 49.
[b] Ibid. pag. 98.
[c] Ibid. pag. 48. 49. 50.

[d] Vid. ſupr. lib. 1. part. 1. c. 12.

Socrates, & ſexta Synodus Oecumenica, ut [a] ſuprà demonſtratum eſt. Quæ omnia facilè etiam, ut opinor, condonarentur Hincmaro, ſi nullam ille eorum feciſſet mentionem, qui ſanctorum Hilarii & Auguſtini codices aliquot falſaverant. Verùm iſtud non prætermiſit: & arguit falſi lectionem unam aut alteram, quam ſanctorum Hilarii & Auguſtini Editores genuinam rati textui inſeruerunt. Hoc Hincmari crimen eſt: cujus cauſa utrum æqua ſit, an iniqua, nunc expendendum.

Ac primò de Hilarii loco, quem Felix Orgelitanus corrupit, egimus: reſtat ut de alio nunc agamus, quem in librum *contra quinque hoſtium genera* (qui liber tunc temporis Auguſtino tribuebatur) Gotheſcalci fautores invexerunt. Priuſquam tamen locum illum adulterinum excutiamus, quædam prætermittenda ſunt, cùm de auctore libri *contra quinque hoſtium genera*, tùm etiam de contentione illa, quæ adulterandi illius libri occaſionem dedit.

[a] Lib. 1. part. 1. cap. 13. & 14. & lib. 2. part. 1. cap. 17.

Caput I.

Liber contra quinque hoſtium genera, *Auguſtinumne, an alium auctorem habeat, controverſum eſt: controverſiam hanc definire non neceſſe eſt ad præſentem cauſam pertractandam.*

EXtat inter opera ſancti Auguſtini Tractatus, qui inſcribitur, *adversùs quinque hæreſes*, ſive *contra quinque hoſtium genera.* Qui Tractatus, ſitne reipsâ Auguſtini, an alterius auctoris, qui non multò poſt Auguſtini mortem in Africa vixerit, controvertitur inter eruditos viros. Illius quidem nec meminit Poſſidius in ſincero Indice, nec ipſe Auguſtinus in libris Retractationum. At Beda veterum codicum auctoritatem ſecutus eundem, jam tum octavo ſæculo laudavit tanquam genuinum Auguſtini fœtum. Nec aliter ſenſit, qui ſequenti ſæculo florebat Hincmarus, quanquam vetuſtiſſima, quæ tum habebantur, hujus libri exemplaria, quatuordecim & amplius conquiſita ſollicitè collegerit, & collecta curioſiùs inſpexerit. Cum Hincmaro hac in re conſentiebant ejus adverſarii. Atque his omnibus poſteà ſeſe adjunxere Bellarminus, Schola Lovanienſis, pluresque eruditi viri.

Eraſmus omnium primus, quem ſciam, à communi opinione receſſit : non auſus tamen librum omnino abjudicare Auguſtino, cenſuit vel non eſſe Auguſtini, vel ab Auguſtino juniore compoſitum. Quam cenſuram nemo conſultus ac prudens probaverit; neque enim iſte liber ullo pacto dici poteſt ab Auguſtino juniore compoſitus. Nam quiſquis librum legerit, manifeſtè intelliget ſcriptum eſſe ſæviente Vandalicâ perſecutione, atque adeo Auguſtino ſeniore vel mortuo. Præterea ſi librum compoſuiſſet Auguſtinus junior, videtur ejus mentionem facturus eſſe in libris Retractationum, quemadmodum & aliorum operum meminit, quæ vel in ſeceſſu antequam ſacro fonte ablueretur, vel paulò poſtquam ablutus eſt, tam in Italia, quàm in Africa, ſcripſerat.

Qui poſtremam operum ſancti Auguſtini Editionem adornarunt, tanquam res extra dubium & controverſiam omnem eſſet poſita, librum in Appendicem rejecerunt, veluti ſpurium, his duabus potiſſimum rationibus ducti. Prior eſt, quòd in capitibus 6. & 7. hujus operis ea legantur, quæ *nonniſi tempori Vandalicæ perſecutionis poſt Auguſtini mortem excitatæ conveniunt.* Altera, quòd *dictio nec ſatis accurata, nec tam ſeria ſit, quàm ſolet eſſe Auguſtini.* Petitam ab Aria-

norum Vandalorumque perſecutione rationem, ſi ſola eſſet, fortaſſe contemnerem; cùm certum ſit duobus ante Auguſtini obitum annis Africam ingreſſos eſſe Vandalos, eâque ferè totâ potitos, jam tum Catholicis multa mala intuliſſe. At non poſſum non moveri, tum Poſſidii ſilentio, tum ſtyli diverſitate, quæ mihi librum iſtum cum aliis indubitatis Auguſtini operibus conferenti viſa eſt non parva.

Hæc ego nunc paulò fuſiùs expoſui, quæ in illa ipſa Diſceptatione, quam Cuſtantius confutat, non diſſimulaveram. Neque enim paſſus ſum Lectoribus latere, quæ eſſet ſuper ea re doctorum hominum opinio, quid Eraſmus ſenſiſſet, quid in nova ſua Editione Cuſtantii Sodales ſtatuiſſent.

Conqueritur tamen ille, & me arguit, quòd Tractatum illum identidem appellaverim *librum Auguſtini*. « Sic Auguſtino, inquit[a], librum *contra quinque hoſtium genera*, quamvis illius non eſſe demonſtratum ſit, tribuere non ceſſat (Germonius.) » Equidem in eo capite[b], ubi Hincmari verba referebam, & interpretabar, & variis obſervationibus explanabam, vitandæ prolixitatis & confuſionis cauſâ, uſus ſum ipſis Hincmari verbis; & Tractatum, quem ſemper ille appellabat *librum ſancti Auguſtini*, eo-

[a] Pag. 139. | [b] Cap. 3.

dem etiam vocavi nomine. Atque iſtud licere mihi eò confidentiùs putabam, quòd & liber etiamnum extet inter opera beati Auguſtini, & reipsâ tribuatur ſancto Auguſtino à pluribus eruditis viris antiquiſque Scriptoribus, maximè verò ab iis quorum hoc in loco cauſa agebatur. Sed quanquam uſurpatam ab Hincmaro loquendi formulam non dimiſi, quandiù in explanandis ejus verbis immoratus ſum; tamen ubi primùm ad alia tranſivi, ab ea appellatione abſtinui diligenter. Nam ſtatim in ipſo capitis proximè ſequentis ingreſſu [a], & deinceps circuitione utor, & Tractatum, quem Hincmari veſtigiis inſiſtens, appellaveram *Librum Auguſtini*, appello poſteà, *Tractatum, qui ſub nomine Auguſtini habetur inſcriptus*. Quæ cùm ita ſint, videat Cuſtantius, quâ fide ſcripſerit, *non ceſſare me librum hunc Auguſtino tribuere.*

Quòd ſi contendit Tractatum hunc nuſquam debuiſſe appellari *librum Auguſtini*, nec etiam in eo loco, ubi animadverſiones ſcribebam in verba Hincmari, qui appellatione hac utebatur: non tricabor in re tam levi. Inviſam ſibi appellationem in Diſceptatione mea deleat, per me licet: modò pariter in ſua emendet verba, quibus perſuadere conatur, non poſſe id evinci,

[a] Cap 4. pag. 390. 393.

quod propoſueram, niſi liber *contra quinque hoſtium genera*, Auguſtinum habeat auctorem. Id enim falsò ſtatuitur. Adverſarii
» verba refero. « Eò illum, inquit[a] de me ſer-
» monem habens, eò illum cogit probatio-
» num penuria, ut cùm Auguſtini codices
» conſultò falſatos eſſe ſuadere præconcepto
» conſilio ſuſceperit, ad unum locum ex li-
» bro, qui Auguſtini non ſit, tota coangu-
» ſtetur tantæ rei probatio.

Hoc unum in Diſceptatione mea intendebam, ut demonſtrarem diffidendum eſſe illis Auguſtini codicibus, quos à Gotheſcalci fautoribus ſcriptos, vel poſſeſſos novimus. Iſtud verò planè demonſtratum eſt, ſi modò conſtat ab his perfidè & datâ operâ, adulteratum fuiſſe librum, qui quanquam non erat Auguſtini, ab ipſis tamen tribuebatur Auguſtino. Erraverint illi, nec ne, cùm librum tribuerunt Auguſtino, nihili, aut parvi admodum intereſt. Librum hunc eſſe Auguſtini tunc temporis receptum erat apud omnes, imprimis apud Gotheſcalci diſcipulos & fautores, à quibus laudabatur ut verus Auguſtini fœtus: quod cùm ipſis perſuaſum eſſet, tamen non veriti ſunt perfidas & adulteras in librum hunc manus immittere. Hoc ſi ſemel verum eſt, quis non videt inde manifeſtè conſequi, Gotheſcal-

[a] Vind. vet. Cod. cap. 15. pag. 139.

ci diſcipulos & fautores ſic factos fuiſſe, ut ad ſuam & magiſtri cauſam muniendam, non timerent ipſa ſancti Auguſtini opera adulterare? Nam ſic argumentari licet. Illi ad cauſam ſuam muniendam, non timuerunt ſancti Auguſtini opera adulterare, à quibus reipsâ conſtat, adulteratum fuiſſe librum, quem ipſi putabant eſſe ſancti Auguſtini. Atqui, ut poſteà demonſtrabitur, conſtat à Gotheſcalci fautoribus reipsâ adulteratum fuiſſe librum, quem ipſi putabant eſſe ſancti Auguſtini. Ergo Gotheſcalci fautores ad cauſam ſuam muniendam non timuerunt adulterare ipſa ſancti Auguſtini opera. Reclamet quantumvis Adverſarius, & dicat, Gotheſcalci fautores in eo erraviſſe, quòd ſancto Auguſtino attribuerint librum, qui alterius erat auctoris: non idcirco negare poterit,in his fuiſſe voluntatem adulterandi operaS.Auguſtini,ubi cauſæ ſuæ neceſſitas & commodum exigeret. Ad probandum enim hanc in his fuiſſe voluntatem ſatis eſt, ab iiſdem adulteratum eſſe librum, quem ipſi cenſebant eſſe Auguſtini. Iſta autem ipſorum voluntas ſi ſemel innotuerit, nemo non fatebitur diffitendum eſſe iis codicibus, quos à tam impuro fonte ad nos uſque derivatos eſſe, vel ſcimus, vel probabiliter conjicimus.

CAPUT II.

Hincmaruſne, an Gotheſcalcus veritatis partes defenderint in ea controverſia, quæ adulterandi libri contra quinque hoſtium genera *occaſionem dedit, nihil nunc attinet definire.*

EXarſit nono ſæculo Hincmarum inter & Gotheſcalcum Ratramnumque acris ac pertinax contentio, utrùm quemadmodum dicitur *Deus trinus & unus*, ita etiam dici poſſet, *trina & una Deitas*. Docebat Hincmarus, *Deitatem* nomen eſſe naturæ; neque illam magis poſſe catholicè dici trinam, quàm ipſam divinam naturam. Quamobrem prohibuerat, ne in beatorum Martyrum Hymno *Sanctorum meritis* recitaretur clauſula, quæ ab illo verſu incipit, *Te trina Deitas unaque poſcimus*. Adversùs Hincmarum Ratramnus & Gotheſcalcus ſuſceptâ hujus verſiculi defenſione inſurrexerunt, rati Deitatem poſſe ac debere dici trinam & unam, unam ratione naturæ, trinam ratione perſonarum. Pugnatum eſt utrinque æquali ardore, ſed non æquali fide. Quidam enim ex his, qui Gotheſcalci partes defendebant, ut probarent ſecum olim ſen-

ſiſſe præſtantiſſimum Eccleſiæ lumen ſanctum Auguſtinum, librum adulteraverunt, quem tunc temporis omnes eſſe Auguſtini arbitrabantur. Quam ipſorum perfidiam graviter reprehendit Hincmarus, & palam retexit coram Carolo Calvo Rege in Concilio Sueſſionenſi.

Cuſtantius facti invidiam infringi atque ex parte imminui putat, ſi in illa controverſia *de non dicenda trina Deitate*, veram Gotheſcalcus, falſam Hincmarus cauſam defenderit. Quare in eo demonſtrando integris [a] capitibus duobus à pagina 169. ad paginam 189. plurimùm deſudat, labore ſanè inutili & ſupervacaneo.

Ac primò non æquè certum eſt, ac Cuſtantius exiſtimat, iniquam hac in occaſione cauſam Hincmari fuiſſe. Non equidem ignoro uſu nunc receptum eſſe in Eccleſia Catholica, ut Deitas dicatur trina & una, trina ſecundùm perſonas, una ſecundùm naturam; unde Eccleſia Romana ab aliquot ſæculis in feſto Corporis Chriſti ad Matutinas preces Hymnum canit *Sacris ſolemniis*, cujus clauſula ab hoc verſu incipit, *Te trina Deitas unaque poſcimus.* Scio etiam uſitatas fuiſſe antiquis Patribus ſimiles planè locutiones; atque in ipſorum operibus ubi de ſanctiſſima Trinitate agitur,

[a] Cap. 18. & 19.

frequenter legi *trinam potentiam*, *trinam virtutem*, *trinam veritatem*, *trinam unitatem*, &c. Sed facilè fieri poſſet, ut quemadmodum vox illa ὁμοȣ́σιος, *conſubſtantialis*, repudiata olim in poſteriori Antiocheno Concilio adversùs Paulum Samoſatenum, poſteà recepta eſt, & ſi ita loqui fas eſt, conſecrata in Concilio Nicæno adversùs Arium: ita etiam voces hæ, *trina Deitas*, quæ nullam nunc faciunt, nullam primis Eccleſiæ temporibus ambiguitatem fecerant, ævo tamen Hincmari viſæ fuerint ambiguæ; quod tunc in uſu vulgari *trina Deitas* idem ſonaret, ac *tres Deitates*. Id ſi ita contigiſſet, jam non deberet Hincmari cauſa omni ex parte injuſta dici. Ita autem contigiſſe, poſſemus fortaſſe ex eo colligere, quòd plures Epiſcopi aſſenſi ſint Hincmaro, quibus etiam videtur faviſſe Eccleſia Romana, ſiquidem & ipſa ab illo tempore ex beatorum Martyrum Hymno *Sanctorum meritis* ſuſtulit primum hunc clauſulæ verſum, *Te trina Deitas unaque poſcimus*; atque in ejus locum ſubſtituit illum, quem Hincmarus volebat, *Te ſumma Deitas unaque poſcimus*: quanquam rebus ſucceſſione temporum immutatis, idem verſus, qui ex Hymno *Sanctorum meritis* ſublatus fuerat, in Hymno *Sacris ſolemniis* fuit reſtitutus.

Verùm quid neceſſe eſt fruſtra laborare

in excuſando Hincmaro? Falſam ille cauſam hac in occaſione defenderit, veram Gotheſcalcus, quid inde colligitur? Hoc unum ſcilicet, nempe Gotheſcalci fautores malis artibus bonam cauſam propugnaſſe; atque librum, quem putabant eſſe Auguſtini adulteraſſe, ut partes veritatis tuerentur. Cùm veritas ab his ſtaret, habebant ſanè in Patrum operibus loca plurima, quibus adverſarios refellere poterant. Hæc cùm in promptu eſſent, maluerunt nova & ſpuria comminiſci, quàm legitimis & genuinis inſiſtere. Quâ ipſorum perfidiâ veritas cauſæ, quam propugnabant, non eſt labefactata, ſed perverſum fraudulentumque ipſorum ingenium eſt manifeſtatum: atque ita præmoniti ſunt Poſteri, ut ab iis ſibi caverent codicibus, quos perfidi homines pertractarunt atque exſcripſerunt. Atque hæc in anteceſſum dicta ſint, ne rurſum Cuſtantius dimiſsâ causâ, quam agimus ad alia divertat.

CAPUT III.

Falſatum fuiſſe ſæculo nono librum contra quinque hoſtium genera, *qui tum ſancto Auguſtino unanimi omnium conſenſu tribuebatur: atque id demonſtratum eſſe ab Hincmaro in Concilio Sueſſionenſi.*

CUm quâdam die in Regis Palatio Hincmarus de unitate Deitatis ſermonem haberet, conareturque oſtendere ſuæ opinioni favere ſanctum Auguſtinum; unus ex iis qui aderant, ut probaret Deitatem poſſe dici trinam & unam, petitum ex libro *contra quinque hoſtium genera* teſtimonium propoſuit, in quo Deus dicebatur *una & trina veritas*. Adulteratum eſſe hunc Auguſtini locum reſpondit Hincmarus, atque manifeſtè demonſtravit. Hujus verba quanquam alibi [a] jam exſcripſimus, juvat iterum
" recitare. Sic ergo ille. « Sed [b] & liber ſan-
" cti Auguſtini *contra quinque hoſtium genera*
" ſicut idem in eodem libro dicit, id eſt,
" contra Paganos, Judæos, Manichæos, Sa-
" bellianos & Arianos, à quodam qui hinc vi-
" delicet, quia trina Deitas catholicè dici

[a] De vet. Reg. Franc. dipl. tom. 2. pag. 374.

[b] Hinc. de non trina Deitate tom. 1. pag. 450. & ſeq.

poteſt,

poteſt, contendebat, tunc temporis Regi « datus fuit, quem comperimus falſatum hoc « modo. » Diſertis verbis Hincmarus ait à « ſe compertum librum illum, quem tum Auguſtino omnes tribuebant, *falſatum fuiſſe.* Deinde modum exponit, quo iſtud comperit.

Nam cùm quadam die, inquit[a], haberemus « ſermonem de unitate Deitatis, Patris « & Filii & Spiritûs ſancti, inter alia diximus « beatum Auguſtinum multoties in libro quinto « de Trinitate dicere, quòd quidquid ad « ſe, id eſt, ſubſtantialiter de Deo dicitur, « ſingulari numero, & de ſingulis & de tribus « perſonis ſit efferendum. Quò contrà « unus ex his, cum quibus inde ſermonem habuimus, « non contentioſâ intentione, ſed « fortè putans Auguſtinum ita dixiſſe, de hoc « libro teſtimonium protulit, dicens quòd veritas « eſſentiale ſit nomen, dicente Domino, « *ego ſum veritas*; unde idem Auguſtinus « ſcripſit, *una & trina veritas*. Quod audiens, « librum Domno Regi datum ab eo accepi, « & perlegens inveni, ab eo loco ipſius libri, « ubi ſanctus Auguſtinus dicit; *Gratias tibi* « *Deus virtus, gratias tibi Deus Pater, qui &* « *Filium tuum oſtendiſti & mihi Doctorem dediſti*, « interpoſitum eſſe ab adulterante, *gratias* « *tibi Deus, gratias tibi vera & una Tri-* «

[a] Ibid.

» *nitas, una & trina veritas, trina & una unitas*; & poſt hæc quod poſuit Auguſtinus
» ſubjunctum, *Gratias tibi Deus Pater, qui*
» *& Filium tuum oſtendiſti, & mihi doctorem*
» *dediſti.* » Ecce rurſum Hincmarus ſine ulla ambiguitate affirmat, verba hæc, *gratias tibi Deus, gratias tibi vera & una Trinitas, una & trina veritas, trina & una unitas*, fuiſſe interpoſita ab adulterante. Tum verò ſic pergit.

» Quod relegens[a], valde miratus fui, quo-
» niam talia in eodem libro, nec uſquam in
» cujuſquam Catholici opere, minimè autem
» in beati Auguſtini inveneram. » Peccavit hoc in loco Hincmarus, aut memoriæ vitio, aut ignorantiâ; certum eſt enim hos aut ſimiles loquendi modos reperiri in quibuſdam antiquorum Patrum operibus. Verùm facilè omnes intelligunt potuiſſe celeberrimum Præſulem falli, cùm paulò confidentiùs ait, neminem ex Catholicis Scriptoribus ita locutum; at non idcirco accuſari debet mendacii, cùm declarat comperiſſe ſe & librum, qui tum Auguſtini nomen ferebat, fuiſſe falſatum, & verba quædam fuiſſe in eo interpoſita ab adulterante. Nam cùm aſſerit ejuſmodi verba non reperiri apud antiquiores Scriptores Catholicos, teſtimonium eſt memoriæ, & memo-

[a] Ibid.

riæ non recentis; cujus facillimus eſt lapſus: cùm verò ſcribit comperiſſe ſe librum falſatum, comperiſſe ſe verba ab adulterante interpoſita, rem teſtatur quam viderat non ita pridem, in qua falli vix potuit, fallere autem voluiſſe prorſus incredibile eſt.

Sic autem inceptam narrationem proſequitur. « Quapropter [a] de pluribus Civitatibus ac Monaſteriis vetuſtiſſimos codices in unum afferri feci, per quos falſitatis ſacrilegium & ſacrilegum manifeſtiſſimè deprehendi. » Vetuſtiſſimorum ergo codicum ope, quos de pluribus Civitatibus ac Monaſteriis allatos congeſſerat, manifeſtiſſimè deprehendit & *falſitatis ſacrilegium, & ipſum ſacrilegum*, hoc eſt, ſi bene intelligo, ipſum ſacrilegii architectum & auctorem. Addit verò Hincmarus.

« Inter quos vetuſtiſſimos libros [b] de quibuſdam Monaſteriis allati ſunt etiam mihi noviter ſcripti quaterniones, in quibus hanc falſitatem inſertam inveni; & diligentiùs & ſollicitiùs perſcrutatus comperi, omnes illos quaterniones de eodem fonte cœnoſo, de quo & Domno Regi datus liber falſatus fuerat tranſcriptus, rivulo fraudulento manaſſe. » Igitur non ſolùm in libro, qui Regi fuerat oblatus, ſed etiam in aliis *noviter*

[a] Ibid. | [b] Ibid.

ſcriptis quaternionibus, verba quæ ſuprà retuli falsò inſerta fuerant: ſed utrobique falſitas eamdem originem habuit, de eodemque fonte cœnoſo prodiit rivulo fraudulento. Rem enim diligentiùs ac ſollicitiùs perſcrutatus ſapientiſſimus Præſul, comperit & librum, & quaterniones exſcriptos fuiſſe ex eodem exemplari, quod Hincmarus, cùm *fontem cœnoſum* nominat, corruptum & ipſum fuiſſe ſatis apertè ſignificat.

Neque verò ſolus ipſe fraudis teſtis fuit.
» Sed [a] « quia in proximo futura erat Synodus
» quinque Provinciarum, videlicet Remo-
» rum, Rothomagorum, Turonum, Seno-
» num & Lugdunenſium, apud Sueſſorum ci-
» vitatem in præſentia Domni Caroli Regis
» glorioſi & Epiſcoporum, qui ad eamdem
» Synodum convenirent, & librum falſatum,
» & authenticos ac veros & vetuſtiſſimos co-
» dices protuli, & unicuique Epiſcopo, ſed
» & illi qui ſimpliciter falſatum codicem Re-
» gi dederat, librum authenticum ad inſpi-
» ciendum dedi; & hoc diploma coram om-
» nibus in eadem Synodo relegi feci, ſicut
» hîc ſequitur ſcriptum.

Longius eſſet totam hîc ſcedulam ſive diploma Hincmari inſerere. Qui iſtud legere voluerit, poteſt vel ipſum Hincmarum loco ſuprà citato, vel ſecundam è Diſcep-

[a] Ibid.

tationibus [a] noſtris conſulere. In eo porro diplomate Hincmarus 1. ex iis quæ controverſum Auguſtini locum antecedunt & ſubſequuntur probat, verba illa quæ interpoſita eſſe contendit, *ab Auguſtino non fuiſſe prolata, ſed ab adulterante... hìc per impoſturam immiſſa.*

Deinde poſtquam alia quædam ſubjunxit, venit ad ipſos manuſcriptos codices, & ſic loquitur. « Inquiramus etiam [b] ſecundùm « Edicta Imperatorum per anteriores & ve- « raciores teſtes (manuſcriptos codices) quos « tenetis in manibus, ſi quid ambiguitatis re- « ſiduum eſt de re certiſſima, veritatem. » « Mox addit *non modò ſeptem, ut lex publicæ* « *rei poſtulat, verùm & amplius quatuordecim* « *veterum & anteriorum teſtium adſtipulatione,* « *in quibus, de iſta ſuperinterpoſita beato Au-* « *guſtino falſitate nihil habetur, probatum eſſe,* « *adulteratum fuiſſe hunc, quem prædiximus, bea-* « *ti Auguſtini librum.* » Denique poſtquam ſchedulam Hincmarus, quam in Synodo legerat, integram retulit, ſic concludit. [c] « Et hac perlectâ ſchedulâ, & inſpectis ve- « ris libris & antiquiſſimis, qui de hac falſi- « tate inventi ſunt nihil habere, probatum « eſt adulteratum fuiſſe hunc, quem prædi- « ximus Auguſtini librum. «

[a] Pag. 378.
[b] Ibid.
[c] Ibid.

Affirmat ergo Hincmarus 1. adventitia verba, de quibus agitur, inducta fuiſſe tum in *noviter ſcriptos quaterniones*, tum in librum Regi Carolo oblatum. 2. Et librum hunc & illos quaterniones ex eodem cœnoſo fonte manaſſe rivulo fraudulento; hoc eſt, ex eodem corrupto exemplari exſcriptos eſſe; atque iſtud à ſe rem diligentiùs & ſollicitiùs perſcrutante fuiſſe compertum. 3. Adjectam ſententiam in libro quidem Regi oblato & in quaternionibus interpoſitam fuiſſe ait & inſertam, non ſuperadditam; quod mirari nemo debet, cùm & liber & quaterniones nuper ſcripti fuerint. In illum verò cœnoſum fontem, unde libri illi rivulo fraudulento manarant, quomodo inducta fuerit, diſertè non exprimit Hincmarus: indicat tamen, cùm ait falſitatem hanc beato Auguſtino fuiſſe *ſuperinterpoſitam*; nam cùm nec in libro Regio, nec in quaternionibus fuerit *ſuperinterpoſita*, ſed tantùm inſerta; & tamen alicubi *ſuperinterpoſita* fuerit, reſtat ut in ipſo exemplari *cœnoſo*, unde quaterniones & liber Regius manarant, *ſuperinterpoſita* dicatur. 4. Sententiam hanc malâ fide *ſuperinterpoſitam* fuiſſe demonſtratum eſt, inſpectis *veris*, *authenticis*, *vetuſtiſſimis*, *antiquiſſimis*, *&* *anterioribus libris*, in quibus nihil ſimile repertum eſt.

Inter illa, quæ antiqui Scriptores & Hiſtorici poſteritati tranſmiſerunt humanâ fide credenda, ſi quidquam certum eſt & indubitatum, maximè factum illud, quod modò retulimus. Nam & iſtud Hincmarus narrat tanquam teſtis oculatus, & ait, demonſtratam eſſe libri falſitatem coram ipſo Rege Carolo & omnibus Epiſcopis, qui ad Synodum Sueſſionenſem ex Provinciis quinque convenerant, imò & coram illo ipſo qui falſatum librum Regi obtulerat: producit etiam atque integrum recitat exhibitum ſuper ea re in Synodo diploma: affirmatque productos à ſe quatuordecim & amplius veteres & authenticos & anteriores codices, quibus manifeſtum fieret adulteratum eſſe librum hunc, qui tunc Auguſtino ab omnibus tribuebatur. Atque hæc omnia celeberrimus Præſul vulgavit quatuor poſt Synodum Sueſſionenſem annis, cùm ſupereſſent in vivis, & Carolus Rex, & plerique Epiſcopi, quos hujus facti teſtes appellat. Quare aut nihil uſpiam erit in Eccleſiaſtica Hiſtoria certum & exploratum: aut hujus facti veritas pro tali haberi debet.

Placuit tamen Cuſtantio iſtam in dubium revocare: neque ille pro prudentia ſua animadvertit, non poſſe hujuſmodi narrationem, aut rejici tanquam falſam, aut

ſuſpectam fieri, quin latiſſima aperiatur Pyrrhoniſmo via, quem tamen religioſus Monachus jure ac meritò deteſtatur. Verùm ut omnes intelligant, quàm certa ſit illa narratio, quàm firmis ſubnixa fundamentis: excutienda ſunt ſingula, quibus hanc infringi, aut eludi poſſe putat Cuſtantius.

Caput IV.

Librum Regi Carolo oblatum recenter ſcriptum fuiſſe, & poſt exortam de non dicenda trina Deitate controverſiam.

In hac, quam defendimus, cauſa magni intereſt reſcire, recenſne, an antiquus fuerit liber, quem falſi Hincmarus arguit, conqueſtus per fraudem in eo inſerta fuiſſe verba iſta: *Gratias tibi vera & una Trinitas, una & trina veritas, trina & una unitas.* Quæ quidem ego cùm recèns intruſa fuiſſe dixiſſem: contrà inſurrexit Cuſtantius, & contendit ipſum Hincmarum multis magniſque indiciis ſignificaſſe [a] *librum illum, in quo hæc inſerta fuerunt, extitiſſe antiquum, nihil in eo intruſum, nihil ſuperadditum apparuiſſe.* Nullo pacto affirmavi, aliquid in libro Regio *ſuperadditum apparuiſſe*: verùm pro certo poſui li-

[a] Vind. vet. Cod. pag. 151.

brum recenter ſcriptum fuiſſe.

At iſtud ipſum confidentiùs negat Adverſarius. *Certè liber Regi oblatus* [a], inquit, *in quo prædicta verba continebantur… non erat recèns ſcriptus, ſed eas præ ſe ferebat notas antiquitatis, quæ & Gotheſcalci & Ratramni ætatem ſuperaret. Quàm igitur abſurdè ab iis dicantur intruſa, quæ ante illorum ortum in libro continebantur.* Profectò ſi liber non erat ſcriptus recèns, ſed eas præ ſe ferebat notas antiquitatis, quæ & Gotheſcalci & Ratramni ætatem ſuperaret, cauſam Cuſtantius obtinuit, ego perdidi: nec niſi abſurdè dici poſſunt eſſe à Gotheſcalco vel Ratramno, aut ipſorum aſſeclis intruſa verba, quæ ante illorum ortum in libro continebantur. Huc ergo tota recidit hujus capitis quæſtio, utrùm oblatus Carolo Regi liber antiquus fuerit, an recens: utrum ætatem Gotheſcalci & Ratramni ſuperaverit, an ſcriptus fuerit poſt exortam Hincmarum inter & Ratramnum Gotheſcalcumque atque ipſorum fautores controverſiam. Hanc igitur quæſtionem examinemus & diligenter excutiamus.

Ac primùm illud obſervandum eſt, codicem iſtum non haberi à nobis; atque adeo non poſſe de illius ætate judicium ferri, niſi ex verbis Hincmari, qui ſolus

[a] Ibid. pag. 163.

de illo loquitur. Peto ergo ubinam Hincmarus, aut dicat, aut ſignificet, *librum* non fuiſſe *recèns ſcriptum, ſed eas præ ſe tuliſſe notas antiquitatis, quæ & Gotheſcalci & Ratramni ætatem ſuperaret.* Hæc enim ſi nuſquam comparent apud Hincmarum, temerè ac divinando affirmantur.

Dicet fortaſſe Cuſtantius, neque etiam legi apud Hincmarum, quòd liber recèns ſcriptus fuerit: imò illum Præſulem [a] *ab ea voce* RECENS *non ſine cauſa abſtinuiſſe; nec in tota illius narratione... ullum eſſe veſtigium, quo eam ſubintelligi debere conjectemus.* Veréne, an falſò iſta proferantur, inquiremus modò. Interea ponamus ita eſſe: quid inde conſequens erit? Hoc unum ſcilicet: Hincmarum in incerto reliquiſſe, antiquuſne fuerit liber, an recens. Non debuerat ergo Cuſtantius rem certam dicere, non debuerat tam confidenter pronunitare: [b] *Certè liber Regi oblatus... non erat recèns ſcriptus, ſed eas præ ſe ferebat notas antiquitatis, quæ & Gotheſcalci & Ratramni ætatem ſuperaret.*

Quatuor Cuſtantius cauſas affert, cur res ea videri debeat certa. Prima eſt, [c] *ſtupor, quo ex objecti libri lectione primùm perculſus eſt Hincmarus:* ſecunda, *ſtudium, quo*

[a] Vind. vet. Cod. pag. 151.
[b] Ibid. pag. 163.
[c] Ibid. pag. 151.

librum ipſe accepit propriiſque oculis perlegit. Tertia, *iterata ejuſdem loci lectio.* Quarta denique, *remedium, quo poſt hanc lectionem ſibi confugiendum credidit*, nempe, *ut unius codicis auctoritatem oppoſitâ plurium aliorum auctoritate opprimeret.* Quaſi verò doctiſſimus Præſul, cùm primùm ſenſit inſerta fuiſſe per fraudem verba, quæ ſciret in veris exemplaribus non reperiri, non debuerit obſtupeſcere, & oblatum exemplar iterum atque iterum luſtrare oculis, ac nuper ſcripti exemplaris falſitatem oppoſitis veris, authenticis & anterioribus libris convincere.

Sed cur ipſe nuſquam ait librum eſſe ſcriptum recèns? [a] *neque* enim *ignorabat, quantùm è re ſua eſſet, ut hic liber recens diceretur atque crederetur.* Quid verò neceſſe fuit fruſtra contendere & vociferari, ubi res palam erat & in comperto, ſpectantiumque oculos ita feriebat, ut nemo contra hiſcere auderet; ne ille quidem, qui falſatum Regi librum porrexerat; cujus ſanè intererat vetuſtatem libri prædicare, ne fraudis reus ipſe aut particeps cenſeretur?

Atque hujus hac in re ſilentium planè demonſtrat oblatum Regi librum ſcriptum fuiſſe recentiſſimè. Quippe ſi aliquo pacto antiquus dici potuiſſet liber, qui hunc Regi obtulerat, debuit ſanè antiquitatem li-

[a] Vind. vet. Cod. pag. 152.

bri Hincmaro opponere, atque iſto uno verbo omnia ejus argumenta diluere. Eſto enim: quatuordecim & amplius authentici & antiquiſſimi codices ſententiam, de qua controvertebatur, non habuerint: ſi modò illam vel unus antiquus codex exhibuiſſet loco ſano & integro; causâ ceciderat Hincmarus; nec poterat ſententia dici inducta Gotheſcalci aut aſſeclarum ejus dolo, quàm antiquior Gotheſcalco liber habuiſſet. Cùm ergo, laudatâ libri antiquitate, Hincmari Adverſarius os ipſi occludere facilè potuiſſet, cur non fecit? Cur omiſsâ penitus libri, qui accuſabatur, defenſione, ad alia divertit, totuſque eſt in colligendis teſtimoniis ad confutandam Hincmari *de non trina Deitate* opinionem? Qui ſic ſe gerit, nonne ſilentio ſuo apertè confitetur, librum fuiſſe recentem & reipsâ convictum falſi?

At ſi liber non fuit antiquus, ſed ſcriptus recèns, cur etiam Hincmaro rem illam tam fusè proſequenti nulla exciderunt verba, quibus indicaret librum recèns ſcriptum fuiſſe? *Nullum* enim *in tota illius narratione . . . veſtigium eſt, quo eam vocem (* RECENS *) ſubintelligi debere conjectemus.* Hoc ipſum eſt, quod [a] affirmat Cuſtantius, quod ſuperiùs promiſeram ſuo à me loco diſqui-

[a] Ibid. pag. 151.

ſitum iri. *Nullum*, inquit ille, *in tota Hincmari narratione... veſtigium eſt, quo eam vocem*, recèns, *ſubintelligi debere conjectemus*. Iſta cùm affirmavit vir religioſus, Hincmari verba non expenderat ſatis accuratè. Liceat hîc locum integrum, quamvis longiorem, exhibere.

Hincmarus ergo de illo, qui locum controverſum in librum *contra quinque hoſtium genera* primus invexerat, ita loquitur : « Impoſtor falſitatis [a] & verbis ſancti Auguſtini inſultator, non auſus apertè imponere, *trina & una Deitas*, ne perciperetur, immiſit quod tantumdem valeret, quatenus per ſubſtantiale nomen quod eſt veritas, (dicendo *trina & una veritas*, cùm Pater & Filius & Spiritus ſanctus, ut Auguſtinus dicit, non tres veritates, nec trina veritas, ſed una ſint veritas, ſicut una eſſentia & una vita ; & addendo *trina & una unitas*) probare poſſet, quòd dici deberet *trina & una Deitas*. Et noluit mittere Gotheſcalci verba, ut diceret, *Deitas trina eſt perſonaliter, & una naturaliter*, ne recognoſcerentur, & ex eo reſpuerentur. Immiſit tamen abſolutè *trina & una unitas*, ne ſua verba à Gotheſcalci verbis ſenſu diſcordarent. Sed, ut ſcriptum eſt [b], *fruſtra jacitur rete*

[a] Hinc. Tract. de non trina Deitate, tom. 1. pag. 463.

[b] Proverb. 1. 17.

» *ante oculos pennatorum.* Videtur namque fraus
» ſacrilega, ut patenter oſtenſum eſt, & ad-
» huc oſtendetur, quia non ſolùm ratione
» & auctoritate, verùm & ſuâ ipsâ impugna-
» tione interpoſitio iſta deſtruitur.

Hactenus Hincmarus: cujus verba quiſquis attentiùs legit & ponderat, ſtatim intelligit cenſuiſſe illum, & pro confeſſo poſuiſſe, locum controverſum fuiſſe recèns intruſum; atque adeo oblatum Carolo Regi librum, in quo locus ille inſertus erat, ſcriptum fuiſſe poſt exortam de non dicenda trina Deitate controverſiam. Nam ſi nondum exarſerat illa contentio, cùm liber exſcriptus eſt: quare qui locum primus intruſit, dicitur non *auſus eſſe apertè imponere, trina & una Deitas*, *ne* fraus ejus & impoſtura *perciperetur: ſed immiſiſſe, quòd tantumdem valeret*? Si liber præ ſe ferebat notas antiquitatis, quæ & Gotheſcalci & Ratramni ætatem ſuperaret: quo jure dici potuit impoſtor, *noluiſſe mittere verba Gotheſcalci, ne recognoſcerentur, & ex eo reſpuerentur:* immiſiſſe tamen, quod tantumdem valeret, *ne ſua verba à Gotheſcalci verbis ſenſu diſcordarent?* Rurſumne his lectis Cuſtantius affirmabit, *nullum in tota Hincmari narratione veſtigium eſſe, quo ſubintelligere debeamus* librum *recèns* ſcriptum fuiſſe?

Sed quid neceſſe eſt hominem urgere,

& interrogare quid ſentiat, cùm ipſe poſteà dicta ſua caſtigarit? Nam qui pagina 151. negarat, *ullum in tota Hincmari narratione veſtigium eſſe, quo ſubintelligatur* librum recentem fuiſſe: idem paulò pòſt, nimirum paginâ 157. & ſequenti, rei evidentiâ perculſus cogitur, quod verum eſt, confiteri. *Neque diſſimulandum,* inquit, *eum(* Hincmarum*) ibidem ita loqui, quaſi liber Regi oblatus, poſt Scriptum Gotheſcalci pro dicenda trina Deitate, exaratus eſſet.* Si Hincmarus *ita loquitur, quaſi liber Regi oblatus, poſt Scriptum Gotheſcalci pro dicenda trina Deitate exaratus eſſet:* ergo *in narratione Hincmari extat aliquod veſtigium, quo ſubintelligatur* librum hunc recenter ſcriptum fuiſſe. Atqui tamen qui prioris illius propoſitionis veritatem diſſimulari poſſe non putavit Cuſtantius: idem quod ex illa manifeſtè ſequitur, negat. Et quod mirere magis, dum ſecum ita pugnare videtur, eodem ipſo in loco celeberrimo Præſuli inſultat indigno planè modo. « Nec inuſitatum eſt, inquit, « eum (Hincmarum) in hoc negotio videre « non ſatis ſibi conſentientem. A veritatis tra- « mite devians, contrariis interdum nititur « viis, quibus ſeſe expediat. Naufrago ſimi- « lis, quidquid occurrerit, arripit, quo ſe « liberare utcumque valeat. » Siccine licet inſignem Epiſcopum ludibrio habere & ca-

lumniis proſcindere? Si quis hoc in loco poſſit ac debeat cum naufrago conferri, non Hincmarus certè, qui ſibi omnino conſentit: ſed illi qui modò fatentur, modò negant, *ullum in narratione Hincmari extare veſtigium, quo oblatus Regi liber intelligatur exaratus poſt Scriptum Gotheſcalci de dicenda trina Deitate.*

CAPUT V.

Quaterniones, in quibus adventitia illa verba, Gratias tibi vera & una Trinitas &c. *reperta ſunt, nonniſi temerè dici poſſe ſcriptos ante ortam de non dicenda trina Deitate controverſiam.*

ADventitia illa verba, *Gratias tibi vera & una Trinitas, una & trina veritas, trina & una unitas,* quæ Hincmarus conqueſtus eſt inſerta eſſe in Tractatu *contra quinque hoſtium genera*, qui tunc Auguſtino tribuebatur, non ſolùm reperta ſunt in libro Carolo Regi oblato, ſed etiam in aliis noviter ſcriptis quaternionibus.[a]

Quaterniones illos, *quantumvis recentes, ibi tamen,* hoc eſt in Monaſteriis, unde allati ſunt, *fuiſſe ante motam controverſiam* Cu-

[a] Hinc. de non trina Deitate tom. 1. pag. 451.

ſtantius

ſtantius ait [a], *nec prævidiſſe quemquam eos in hac cauſa conſulendos fore.* Quare Cuſtantius exoptet rem ita ſe habere, facilè quiſque intelligit. Nam conceſſo ſemel, Quaterniones in Monaſteriis, unde advecti ſunt, extitiſſe ante motam controverſiam, multò faciliùs illi liberabuntur à crimine falſi; quippe ante motam illam *de non dicenda trina Deitate* controverſiam, nulla cauſa ſuberat, cur attributus ſancto Auguſtino liber falſaretur, adjectione iſtorum verborum: *Gratias tibi vera & una Trinitas, una & trina veritas, trina & una unitas.* Intereſt ergo Cuſtantii Quaterniones quantumvis recentes, eſſe tamen ipsâ contentione antiquiores. Verùm ſi quæcumque cauſam noſtram adjuvant, ſine ullo teſte affirmare liceat, quis erit tandem concertandi finis? quæ definiendarum controverſiarum regula? Si Cuſtantius voluit haberi ſibi fidem aïenti, Quaterniones *quantumvis recentes*, in Monaſteriis tamen, unde advecti ſunt, *fuiſſe ante motam controverſiam:* aliquem appellare debuit auctorem, quo teſte iſtud affirmaret: ſed nullum prorſus appellat.

Addo nullum appellari poſſe. Quis enim de Quaternionibus illis unquam locutus eſt, præter Hincmarum? Atqui quod modò Adverſarius falsò pronuntiabat, jure meritò

[a] Vind. vet Cod. pag. 135.

hîc uſurpare poſſim, *nullum in tota Hincmari narratione veſtigium eſſe, quo* iſtud *ſubintelligi debere conjectemus.* Contrà multa habet Hincmarus, ex quibus evidenter colligitur, nonniſi poſt exortam *de non dicenda trina Deitate* controverſiam ſcriptos fuiſſe Quaterniones.

Ac primò, ubi Hincmarus de iſtius controverſiæ origine loquitur, hæc habet: *Diu eſt* [a], *quòd quidam... cœperunt contendere, quòd ſicut trinus & unus Deus, ita trina & una Deitas, & debeat, & catholicè valeat dici.* Ubi verò venit ad Quaterniones, de quibus agimus, ait illos fuiſſe [b] *noviter ſcriptos.* Quem utrumque loquendi modum qui conferre velit, & attentiùs perpendere: nonne ſtatim in id propendebit, ut credat cenſuiſſe Hincmarum, contentionem priùs exortam fuiſſe, quàm ſcriberentur Quaterniones?

Secundò neque illud negligi debet, quòd Hincmarus cùm laudat exemplaria, quæ de pluribus Civitatibus ac Monaſteriis accerſita in unum collegit, cætera quidem omnia codices apellat & libros; hæc verò, quæ *noviter ſcripta* fuiſſe dicit, ſemel & iterum nominet *Quaterniones*, nunquam codices aut libros. Unde conſequens videtur, iſta noviter ſcripta exemplaria nondum

[a] De non trina Deitate. tom. I. pag. 413.

[b] Ibid. pag. 451.

compacta fuiſſe in libros, atque adeo Librarios, aut nondum, aut non ita pridem ipſis ultimam manum impoſuiſſe. Quòd ſi ita eſt, valde nova fuiſſe neceſſe eſt, & ſcripta poſt exortam de non dicenda trina Deitate controverſiam; ſi quidem illa jam diù exarſerat, & magno animorum æſtu agitabatur.

Tertiò fatente ipſo Adverſario [a], Hincmarus *ita loquitur, quaſi oblatus Carolo Regi liber poſt ſcriptum Gotheſcalci de dicenda trina Deitate exaratus eſſet.* Jam verò Quaterniones, quos diſertè affirmat *noviter ſcriptos* fuiſſe, non videtur feciſſe hoc ipſo libro antiquiores. Igitur & ipſi putandi ſunt exarati poſt ſcriptum Gotheſcalci *de dicenda trina Deitate.*

Quartò denique, niſi Hincmarus judicaſſet non modò oblatum Regi librum, ſed etiam *noviter ſcriptos Quaterniones* exaratos fuiſſe poſt exórtam controverſiam; quo pacto diceret impoſtorem illum, cujus ſtudio ſententiam de qua erat quæſtio, inductam eſſe contendebat, noluiſſe ipſa Gotheſcalci verba uſurpare, ne recognoſcerentur, atque ex eo reſpuerentur; eumque, ut fraudem ſuam tegeret, cum Gotheſcalco conſentire voluiſſe, non verbis, ſed ſolo ſenſu?

[a] Pag. 157. & 158.

Denique Hincmarus certè judicavit Quaterniones non eſſe ſcriptos, antequam corruptus eſſet fons ille cœnoſus, de quo ipſe ait & Quaterniones & librum Regi oblatum rivulo fraudulento profluxiſſe. Atqui idem apertè ſignificat, ut modò ſum oſtenſurus, fontem illum cœnoſum non eſſe corruptum ante exortam *de non dicenda trina Deitate* controverſiam. Ergo neque ipſos Quaterniones ante hoc tempus ſcriptos fuiſſe exiſtimavit.

Hæc ſunt indicia, ex quibus colligimus Quaterniones *noviter ſcriptos* Hincmaro viſos eſſe, atque reipsâ fuiſſe poſteriores illâ controverſiâ, quæ ipſum inter & Gotheſcalcum exarſerat. Nunc Cuſtantii eſt, aut firmiora his indicia proferre, aut dictum illud ſuum revocare, quo affirmat Quaterniones quamvis recentes, tamen in Monaſteriis, unde aſportati ſunt, extitiſſe ante motam controverſiam.

Caput VI.

Corruptum fuiſſe exemplar, ex quo, & liber Regi oblatus, & noviter ſcripti Quaterniones tranſcripti ſunt.

CUm animadvertiſſet Hincmarus adventitiam illam ſententiam, *Gratias tibi vera & una Trinitas, una & trina veritas, trina & una unitas*, & in libro qui nuper Carolo Regi oblatus fuerat, & in noviter ſcriptis Quaternionibus pariter eſſe inſertam: cœpit quærere diligentiùs, & ſollicitiùs perſcrutari, ex quo fonte & ille & hi prodiiſſent; ac comperit ex eodem fonte manaſſe omnes, atque ex uno eodemque exemplari tranſcriptos.

Fontem autem ipſum *cœnoſum* vocat, & rivulos, qui ex eo manarant, *fraudulentos*. Quare *cœnoſum fontem?* niſi quia fons ille admixtum limpidæ aquæ cœnum, hoc eſt, ſuperadditam genuino textui falſitatem habebat. Quare *rivulos fraudulentos?* niſi quia rivuli illi facilè poterant in fraudem inducere Lectores incautos & ſimplices. Nam cùm in his, utpote recenter ſcriptis, ipſius fontis cœnum non ſuperadditum eſſet textui, ſed in ipſo contextu unâ eâdemque

ſerie inſertum atque interpoſitum, qui vel librum Regi oblatum vel noviter ſcriptos Quaterniones evolvebant, pronum erat in fraudem incidere, atque exiſtimare reipsâ ab Auctore ſcripta, quæcumque in ipſa orationis ſerie inſerta videbant. Nec aliam ob cauſam Hincmarus eum qui librum Carolo Regi obtulerat, *ſimplicitatis* [a] arguit, non fraudis. Idem tamen [b] *impoſtorem falſitatis, & verbis ſancti Auguſtini inſultatorem* vocat eum, qui ipſum fontem cœno infecerat, & rivulos fraudulentos inde deduci curaverat.

Fortaſsè etiam antiquior ille codex, ex quo oblatus Regi liber, & Quaterniones tranſcripti fuerant, *fons cœnoſus*: tranſcripti autem ex illo liber & Quaterniones, *rivuli fraudulenti* idcirco vocantur, quia quemadmodùm aquæ cœnoſæ ſpurcities ſtatim ſeſe oculis prodit, ita pariter manifeſta fuit codicis falſitas; utpote ſpuriam illam habentis ſententiam, non inſertam textui, ſed ſuperinductam & ſecundis curis additam: contrà in libro Regio & noviter ſcriptis Quaternionibus eadem falſitas multò fuit occultior; utpote ipſi textui inſerta, non ſuperaddita. Et verò eam Hincmari mentem fuiſſe ex eo probari poteſt, quòd cùm agit de libro Regi oblato, ait in eo

[a] Pag. 451. | [b] Pag. 463.

interpoſita[a] *eſſe ab adulterante* hæc verba, *Gratias tibi Deus, gratias tibi vera & una Trinitas, una & trina veritas, trina & una unitas.* Item de Quaternionibus illis *noviter* ſcriptis affirmat, eamdem in iis [b] *falſitatem inſertam fuiſſe.* At ubi docuit à ſe compertum tandem *fontem cœnoſum*, unde rivuli iſti fraudulenti manarant, non jam dicit interpoſitam aut inſertam fuiſſe hanc falſitatem, ſed *ſuperinterpoſitam*, hoc eſt, ſuperinductam & ſecundis curis adjectam.

Iſtud non obſervaverat Cuſtantius, cùm paulò confidentiùs exclamavit in hæc verba. [c] *Neque librum recentem (Hincmarus) appellat, neque ipſum locum aut recèns intruſum, aut etiam ſuperpoſitum dicit:* & alibi rurſus [d], *ſcripturam*, inquit, *recèns ſuperductam nullatenus arguit (Hincmarus) cùm tamen & hoc oſtendere breviùs & expeditiùs, ſi re ita eſſet, atque hinc librorum illorum auctoritatem minuere certiùs atque efficaciùs potuiſſet.* Verum quidem eſt, ubi agitur de libro Regi oblato & de Quaternionibus recenter ſcriptis, in his adventitium locum non *ſuperpoſitum*, non *ſuperductum* dici, ſed *interpoſitum* & *inſertum.* Sed ubi ſemel mentio facta eſt de *cœnoſo fonte*, codice illo antiquiore, ex quo hi deſcripti fuerant, non jam inſerta huic

[a] Pag. 451.
[b] Ibid.
[c] Pag. 151.
[d] Pag. 160.

falſitas dicitur & interpoſita, ſed *ſuperinterpoſita*; quod idem ſonat, ut puto, atque *ſuperpoſita* & *ſuperducta*.

Neque hîc prætermittere debeo, Hincmarum non dubitaſſe, quin adventitius ille locus, atque in libro Regio & Quaternionibus interpoſitus ac inſertus, etiam in *cœnoſo fonte*, unde rivuli iſti profluxerant, *ſuperinterpoſitus* fuerit poſt motam controverſiam. Si enim judicaſſet *ſuperinterpoſitum* fuiſſe ante Gotheſcalci tempora, an de impoſtore hujus fraudis auctore ſic loqueretur? [a] *Non auſus apertè imponere*, trina & una Deitas, *ne perciperetur*, *immiſit quod tantumdem valeret... Noluit mittere Gotheſcalci verba.... ne cognoſcerentur & ex eo reſpuerentur. Immiſit tamen abſolutè*, una & trina unitas, *ne ſua verba à Gotheſcalci verbis ſenſu diſcordarent.* Si verba Gotheſcalci nondum fuerant cognita, quomodo potuiſſent *recognoſci?* Si mentem ſuam nondum aperuerat Gotheſcalcus, quomodo impoſtor cavere potuiſſet, *ne ſua verba à Gotheſcalci verbis ſenſu diſcordarent?* Certum eſt ergo, judice Hincmaro, librum *contra quinque hoſtium genera* ab impoſtore non priùs interpolatum fuiſſe, quàm Gotheſcalcus, atque adeo ipſe Ratramnus, editis ſcriptis propugnaſſent *trinam Deitatem* catholicè

[a] Pag. 463.

dici poſſe. Iſtud etiam ex eo confirmatur, quòd nec Gotheſcalcus, nec qui ante illum ſcripſerat Ratramnus, uſi ſint illo *ſuperinterpoſito* loco, quem tamen non videntur fuiſſe omiſſuri, ſi jam tum, cùm ſcripta ſua vulgarunt, fuiſſet *ſuperinterpoſitus*.

Addo rem illam manifeſtam fuiſſe atque omnium oculis ſubjectam. Neque enim aliam ob cauſam contigit, ut quotquot Sueſſionenſi Synodo aderant, omnes in hac cauſa Hincmaro acquieverint. Singulis ille libros exhibuit inſpiciendos. In his quidem codicibus, qui nuper ſcripti erant, *inſertam* videbant falſitatem: in ipſo autem *fonte cœnoſo*, unde hi libri profluxerant, *ſuperinterpoſitam*: utrobique autem recentis fraudis veſtigia apparuiſſe ex eo conjicere eſt, quòd nemo refragari auſus ſit, nemo contra inſurgere: ne ille quidem, qui librum Regi obtulerat, qui ſpurium locum laudaverat. Ceſſit planè, ut & cæteri, & dimiſit adulterati libri cauſam, quanquam non dimiſit cauſam Gotheſcalci, ſed quibus potuit argumentis probare conatus eſt catholicè dici poſſe trinam Deitatem.

Cùm ergo liber tunc convictus ſit falſi, nemine refragante, debueratne poſt octingentos annos hujus denuò patrocinium ſuſcipere Cuſtantius? Rem in Concilio judicatam rurſum vult ſubjici examini: contendit

celeberrimos Præſules, qui ex quinque Provinciis aderant Sueſſionibus, fucum paſſos eſſe ab Hincmaro, & putat ſe meliùs hodie judicaturum de libro, qui non extat, quàm judicarunt illi, qui habuerunt præ oculis, qui manifeſta in eo deprehenderunt falſi argumenta.

Caput VII.

Superinductam in libro contra quinque hoſtium genera *ſententiam*, *adjectam fuiſſe malâ fide, nullâ neceſſitate, nullâ auctoritate id flagitante.*

P*Ericuloſæ plenum opus aleæ* eſt, velle in veteri libro aliquid ſupplere, quod videtur deſiderari, & Librariorum negligentiâ prætermiſſum. Contingit enim ſæpiſſimè, ut qui iſtud audent, mentem Auctoris minùs aſſecuti, mendum & lacunam eſſe putent, ubi non eſt; atque adeo, ut ſæpiùs jam laudatis ſancti Hieronymi verbis utar [a], *dum alienos errores emendare nituntur, oſtendant ſuos.* Verùm quanquam res iſta non vacat periculo: tamen interdum tentata eſt feliciter, & cum eruditorum hominum plau-

[a] Epiſt. ad Lucinium, olim 28. nunc 52. nov. Edit. tom. 4. part. 2. pag. 578.

ſu: nempe cùm manifeſtum eſt ex antecedentibus & conſequentibus verba, quæ *ſuperinducuntur*, planè exigi: vel cùm anteriores & vetuſtiſſimi codices hæc eadem verba habent, quæ adjiciuntur. Qui ob alterutram hanc cauſam aliquid in veteri libro addit quod deerat, non modò excuſandus, ſed etiam laude dignus eſt. Qui verò nec orationis ſerie id planè exigente, & ſine ulla idonea auctoritate aliquid addere præſumit, librum non emendat, ſed adulterat.

Cùm ergo Hincmarus obſervaſſet, atque in Concilio Sueſſionenſi expoſuiſſet, librum Carolo Regi oblatum, & conſentientes ipſi Quaterniones, non modò eſſe recenter ſcriptos, ſed etiam tranſcriptos eſſe ex uno eodemque *fonte cænoſo*, in quo adventitia ſententia non erat intra ipſum contextum inſerta, ſed *ſuperinterpoſita*: hæc, inquam, cùm paterent omnibus, atque oculis ſubjicerentur, cœpit inquirere, an qui intruſum locum ſuperaddiderat, id neceſſitate aliquâ compulſus fuiſſet, vel auctoritate ſuadente. Quare & ea quæ inſertum in libro *contra quinque hoſtium genera* locum antecederent, ac conſequerentur, examinari voluit; & inſpici veros, authenticos & anteriores codices. In his autem nihil omnino deprehenſum eſt, quo

fraudem ſuam impoſtor ullo pacto excuſare poſſet.

Primo igitur ſcripto Diplomate & coram omnibus lecto Antiſtes prudentiſſimus probandum ſuſcepit in iis, quæ adjectam ſententiam proximè vel antecedunt, vel conſequuntur, nihil eſſe quo illa exigatur; è contrario reperiri multa, quibus videatur excludi. Quod poſterius caput poſteà [a] fuſiùs pertractaturi ſumus, in quo & ſi leviùs fortaſſe verſatus fuerit Hincmarus, nihil detrimenti inde ipſius cauſa paſſa eſt. Quippe quiſquis verba aliqua de ſuo ſupplet in veteri libro, non excuſatur, quamvis probaverit hæc non excludi ab Auctore: corruptor eſt, niſi probaverit adjectionem hanc ſuam eſſe planè neceſſariam. Minimè autem neceſſariam fuiſſe apertiſſimè demonſtrant antecedentia & conſequentia verba, quæ Hincmarus retulit: nihil erat ergo in ipſa orationis ſerie, quo ſuam falſator audaciam purgare poſſet.

Audacia autem illa viſa eſt Hincmaro multò flagitioſior. Nam cùm æſtimaret trinam Deitatem, trinamque veritatem non aliud ſignificare, quàm tres Deitates, tres veritates: adjectionem illam, de qua conquerebatur, & contra rei veritatem, & contra regulam fidei factam eſſe contendebat:

[a] Cap. 10.

quapropter fraudis Auctorem, non modò impoſturæ arguebat, ſed etiam hæreſis & ſacrilegii. Quæ ejus cenſura licèt atrocior ſit, & rejicienda: non idcirco tamen excuſatur impoſtoris perfidia, qui ad cauſæ, quanquam legitimæ, defenſionem in textum libri de ſuo ſuperinduxit verba, quæ ſeries orationis omnino non exigebat.

Diligentiam illam in examinandis iis, quæ locum adventitium antecedebant & conſequebantur, adhibitam, in ſuæ cauſæ commodum vertit Cuſtantius hoc modo. « Primò, inquit[a], fatetur ultrò Hincmarus ambiguum per ſe fuiſſe, utrùm genuinus, an adulteratus eſſet textus libri Carolo Regi oblati: hancque ambiguitatem eam extitiſſe, quæ nonniſi ex præcedentibus & conſequentibus ſolveretur. Ex quo ſequitur, ut eam fecerit ſola diſſidentium codicum diverſitas, non ulla certa aut etiam probabilis adulterationis nota. Aliàs Hincmarus hanc omnium oculis ſubjicere, atque in diplomate memorare non omiſiſſet.» Ita Cuſtantius, in cujus verbis multa habeo quæ reprehendam. 1. Nuſquam Hincmarus *fatetur ambiguum per ſe fuiſſe, utrùm genuinus, an adulteratus eſſet textus libri Carolo Regi oblati*: imò ſæpiùs ingeminat textum illum *ab adulterante interpoſitum fuiſſe*.

[a] Pag. 137.

2. Non intelligo quam huc codicum diffidentium diverſitatem inducat Cuſtantius; nam ſi *fontem* illum *cœnoſum*, in quo adjecta ſententia cernebatur *ſuperinterpoſita*, & Quaterniones ac librum Regium ex illo cœnoſo fonte tranſcriptos, in quibus eadem erat inſerta, exceperis; ne unus quidem fuit codex, qui à veris & authenticis & vetuſtiſſimis exemplaribus diffideret. 3. Si cœnoſi fontis auctoritas ambiguum fecit, utrùm adjectus textus genuinus eſſet, an ſpurius, illa qualiſcumque ambiguitas non eſt ſoluta ex ſolis præcedentibus & conſequentibus verbis, ſed multò magis anteriorum teſtium adſtipulatione, hoc eſt teſtimonio verorum, authenticorum & vetuſtiſſimorum codicum, quorum nullus cum cœnoſo fonte conſentiebat. 4. Fraus ejus, qui librum adulteraverat, fuit omnium oculis ſubjecta; ſi quidem omnium oculis patuit librum Regium, & cum ipſo conſentientes Quaterniones recenter ſcriptos fuiſſe, omneſque ex uno fonte profectos; eumque fontem cœnoſum fuiſſe; atque in eo ſententiam, de qua controvertebatur, fuiſſe poſtmodum *ſuperinterpoſitam*. 5. Quanquam hæc coram omnibus demonſtrata ſunt, non erat tamen neceſſe, ut commemoraret Hincmarus in ſuo Diplomate: neque enim Diploma ſcripſerat, ut ea demonſtraret,

quæ adſtantium oculis erant ſujecta ; ſed ut oſtenderet illam, quam omnes in cœnoſo fonte ſuperinductam cernebant ſententiam, malâ fide, hoc eſt, nullâ ratione id flagitante, fuiſſe ſuperinductam: iſtud autem exequitur in primo Diplomatis ſui capite.

In altero autem agit de veteribus codicibus, ex quibus demonſtratur ſpuriam ſententiam libro ſuperadditam fuiſſe, nullâ id auctoritate ſuadente. Ac primùm obſervandum eſt eum, qui ſpuriam, & ab adulterante inſertam ſententiam primus laudaverat, librumque, ubi hæc habebatur, Regi Carolo obtulerat, ne unum quidem appellaſſe vetuſtum codicem, quo purgaret impoſtoris fidem, qui ſententiam iſtam *ſuperinterpoſuerat.* Contrà verò Hincmarum produxiſſe quatuordecim & amplius veros, authenticos & vetuſtiſſimos codices, de pluribus Civitatibus & Monaſteriis allatos, à quibus aberat adventitia illa ſententia. Cujus argumenti vim & pondus cùm ſenſiſſet Cuſtantius, conatus eſt codicum illorum & numerum & auctoritatem imminuere.

Quod ad numerum ſpectat, » ambigere «
quidem liceret, inquit [a], utrùm in illo nu- «
mero (quatuordecim & amplius codicum) «
non eos complectatur libros omnes, quos «

[a] Pag. 147.

» conſuli voluit ; atque adeo num eos etiam
» non recenſeat Quaterniones, qui codici ob-
» jecto concinebant. « Quod dubium quiſquis ſuboriri poſſe cenſet, verba Hincmari videtur non ſatis intellexiſſe, nec attendiſſe codices illos quatuordecim & amplius citari tanquam teſtes falſitatis, quæ quidem in codice Regio ac Quaternionibus inſerta, in cœnoſo autem fonte ſuperpoſita fuerat. Peto enim, *an Quaterniones, qui codici objecto concinebant*, potuerint eſſe teſtes idonei ad probandam ejuſdem codicis falſitatem. Præterea non animadvertit vir doctus Quaterniones quidem *noviter ſcriptos* dici, codices autem illos amplius quatuordecim, omnes non modò veros & authenticos, ſed etiam *vetuſtiſſimos* appellari, & *anteriores* ipſo illo cœnoſo fonte, ex quo tranſcripti fuerant Quaterniones ; neque enim ambigi poſſe putat, ut reor, annon *ſcripti noviter* Quaterniones annumerentur codicibus *vetuſtiſſimis* & *anterioribus* ipſo exemplari, unde ipſi exſcripti ſunt.

Jam verò ad infringendam eorumdem
» codicum auctoritatem ait, « apertum eſſe,
» omnes illos libros feſtinatò allatos eſſe è
» vicinis Eccleſiis atque Monaſteriis, hoc eſt
» è locis, quæ codices exſcribendos ſibi
» mutuo commodare conſueverunt, in qui-
» bus idcirco & eadem menda ac vitia eſſe
ſolent. »

ſolent. » Verùm & ille fons cœnoſus, unde fraus in librum Regium & *noviter ſcriptos* Quaterniones profluxerat, allatus pariter fuit è vicinis Eccleſiis aut Monaſteriis. Debuerat ergo inter vicinarum Eccleſiarum & Monaſteriorum vetuſtiſſimos codices aliquis ſaltem haberi, qui cœnoſo fonti conſentiret. Cùm autem ne unus quidem repertus ſit, qui non ipſi repugnaret; conſequens fuit, *ſuperinterpoſitam* illam ſententiam adjectam fuiſſe ſine ulla anteriorum codicum auctoritate, atque adeo temerè ac malâ fide.

At nemo in Concilio Sueſſionenſi aderat, qui Ratramni & Gotheſcalci partes defenderet. Equidem fateor in Concilio Sueſſionenſi neminem fuiſſe, qui adulterati libri patrocinium ſuſcipere auſus fuerit; quanquam ille ipſe aderat, qui & librum obtulerat Regi, & ſpuriam ex eo ſententiam in medium adduxerat. Verùm altum ejus ſilentium cauſæ noſtræ adeo non officit: ut contrà demonſtret fraudem tam apertè manifeſtatam fuiſſe, ut obmuteſcere cogerentur illi ipſi, quorum plurimi intererat librum à crimine falſi purgare. Adde, quod qui falſatum librum excuſare erubuerat, idem non timuerit [a] opinionem Gotheſcalci coram omnibus defendere; in

[a] Hinc. de non trina Deitate tom. 1. pag. 452. & 453.

qua defendenda etſi parum feliciter verſatus eſt, tamen illam quibus potuit argumentis defendit. Unde valde mirati ſumus negari à Cuſtantio [a] *eum qui librum* contra quinque hoſtium genera *Carolo Calvo Regi obtulit*, *Gotheſcalci & Ratramni partibus faviſſe.* Eſto enim, fraudis ille nec auctor, nec conſcius dicatur. At certè ipſorum partibus favebat, qui ipſorum cauſam, tum in Regio Palatio, tum poſteà in Concilio Sueſſionenſi palam ſuſcepit.

Sed iſta per incogitantiam viro religioſo exciderint. Saltem ex his, quæ hactenus diximus conſtat, neminem jam dubitare poſſe, quin adventitius ille locus, primò quidem ab adulterante fuerit in cœnoſum exemplar impudenter ſuperinductus, deinde etiam fraudulenter tranſmiſſus, tàm in librum Regium, quàm in Quaterniones, qui ex uno eodemque fonte profluxerant. His autem ſemel demonſtratis, ſupervacuum eſt his immorari conjecturis confutandis, quas fusè Adverſarius proponit; cùm ait, [b] fortaſſe laudatos ab Hincmaro codices fuiſſe *mutilos :* fortaſſe verba, *quæ* [c] *ille conſultò immiſſa eſſe vult, innoxiè omnino ex margine in textum fuiſſe tranſlata :* fortaſſe [d] *in codicibus, quos Hincmarus pro veris habuit,*

[a] Pag. 165.
[b] Pag. 155.
[c] Pag. 140.
[d] Ibid.

imprudenter ac ſolo Librariorum vitio & incogitantiâ excidiſſe. Similibus enim conjecturis nullus amplius locus eſt, ubi fraus manifeſtis argumentis eſt demonſtrata.

CAPUT VIII.

Inductæ in librum contra quinque hoſtium genera *ſententiæ crimen, in Gotheſcalci amicos jure ac meritò transferri.*

POſtquam demonſtravimus adventitium illum locum, *Gratias tibi, Deus, gratias tibi vera & una Trinitas, una & trina veritas, trina & una unitas*, conſultò & per impoſturam in librum *contra quinque hoſtium genera* fuiſſe invectum: reſtat, ut definiamus, quis fraudis auctor fuerit. Hoc crimen, nec Ratramno, nec ipſi Gotheſcalco impoſuimus; quia religio fuit, quemquam temerè, & ſine idonea probatione reum facere: rejecimus tamen in Gotheſcalci amicos & fautores, nec ſine manifeſta ratione. Quoties enim fraus & impoſtura commiſſa eſt, quibuſnam tribui debet, niſi illis, quibus ipſa fraus & impoſtura patrocinatur? Atqui manifeſtum eſt, fraudem, quâ in librum *contra quinque hoſtium genera* inducta ſunt iſta verba, *Gratias tibi, Deus, gratias tibi vera & una Trinitas, una & tri-*

na veritas , trina & una unitas , nonniſi partibus Gotheſcalci patrocinari potuiſſe. Debuit ergo fraus illa alicui tribui, qui Gotheſcalci partes foveret.

Hanc rationem argumentandi , veram ſanè & ſolidam[a] , *lepidam* Cuſtantius vocat: atque huic ſi locus ſit, [b] *neminem à perfidiæ calumnia tutum fore exiſtimat.* » Ariano[c], in-
„ quit , eâdem ratione argumentari ſic lice-
„ bit : manifeſtum eſt verba illa , *tres ſunt*
„ *qui teſtimonium dant in cœlo , Pater , Verbum*
„ *& Spiritus ſanctus , & hi tres unum ſunt* , mi-
„ rum in modum adjuvare cauſam eorum ,
„ qui in Deo unam eſſentiam ac tres perſo-
„ nas credunt. Quare ſi conſultò & per frau-
„ dem intruſa fuiſſe conſtat, non temerè fa-
„ cit qui ab iis, qui unam eſſentiam & tres
„ perſonas in Deo credunt, intruſa fuiſſe ſuſ-
„ picatur. Simili quoque argumento Dona-
„ tus verba hæc, *& iterum tangit illum* , à Ca-
„ tholicis in librum Eccleſiaſtici fuiſſe immiſ-
„ ſa concludet. » Et verò quis dubitat, quin
„ ita Arianus , ita Donatus concludere poſ-
ſent, ſi reipsâ conſtaret iſta Scripturæ loca conſultò & per fraudem in Libros Sacros intruſa fuiſſe? Verùm cùm non modò non id conſtet, ſed potiùs è contrariò conſtet, antiqua eſſe ac genuina , nec niſi per frau-

[a] Pag. 161.
[b] Pag. 162.
[c] Ibid.

dem, aut per oſcitantiam Librariorum in pluribus exemplaribus omiſſa: idcirco non niſi temerè & falsò concluderetur intruſa fuiſſe à Catholicis. Priùs enim de ipſo *corpore delicti*, ut aïunt, ac de facta fraude conſtare debet, quàm quiſquam commiſſi delicti & factæ fraudis accuſetur. Non ita ſe res habet in cauſa, quam tractamus. Demonſtratum eſt ſpuriam ſententiam in librum *contra quinque hoſtium genera* per impoſturam fuiſſe intruſam. Hoc autem ſemel demonſtrato, jam pronum eſt in crimen eos vocare, quibus impoſtura patrocinatur.

At eâ *argutandi ratione* [a], ſic enim loquitur Cuſtantius, non aliam ob cauſam uſus ſum, quam quia [b] *præſenſi nihil mihi ſuppetere, unde aut libros Auguſtini adulteratos eſſe evincam, aut Gotheſcalco, Ratramno, eorumque fautoribus quidquam fraudis attribuam.* Mihi abundè ſuppetere, unde librum, qui Auguſtino tribuebatur, adulteratum fuiſſe evincam, manifeſtè ex his, quæ ſuperiùs dicta ſunt patet: jam oſtendo non minùs firmo fundamento libri adulterati crimen rejectum eſſe in fautores Gotheſcalci.

Et quia ſuperiùs propoſita argumentatio, quanquam firma eſt, tamen non placet Cuſtantio: hac in re ipſi quamvis æqua repudianti indulgebo. Intentatæ Gotheſcalci

[a] Pag. 161. | [b] Ibid.

ſatellitibus criminationis teſtem requirit : teſtem appellabo. Gotheſcalci & Ratramni fautoribus crimen falſi impactum eſſe ait[a], *nullo adſtipulante probabili ſuffragio.* At mihi diſertè ſuffragatur Hincmarus, qui cùm hac de re ſcripſerit ſolus, ſolus etiam hodie teſtis eſſe poteſt. Ipſius verba jam alibi exhibita iterum exſcribo.

» Impoſtor falſitatis[b], inquit, & verbis S.
» Auguſtini inſultator, non auſus apertè im-
» ponere, *trina & una Deitas*, ne percipere-
» tur, immiſit quod tantumdem valeret, qua-
» tenus per ſubſtantiale nomen, quod eſt ve-
» ritas (dicendo *trina & una veritas* . . . & ad-
» dendo *trina & una unitas*) probare poſſet,
» quod dici deberet, *trina & una Deitas.* Et
» noluit mittere Gotheſcalci verba, ut dice-
» ret, *Deitas trina eſt perſonaliter, & una na-*
» *turaliter*, ne recognoſcerentur. Immiſit ta-
» men abſolutè, *trina & una unitas*, ne ſua
» verba à Gotheſcalci verbis ſenſu diſcorda-
» rent. » En quo teſte dicitur, adulterati crimen in Gotheſcalci fautores & aſſeclas eſſe rejiciendum. Certè Gotheſcalci opinionem ſequebatur, qui, ut *probare poſſet, quod dici deberet trina & una Deitas*, librum adulteravit : Gotheſcalci partes fovebat, qui in librum quem falſabat, *immittere* quidem

[a] Pag. 166.

[b] Hincm. de non trina Deitate tom. 1. pag. 463.

noluit Gotheſcalci verba, ne recognoſcerentur, & ex eo reſpuerentur: immiſit tamen quod tantumdem valeret; & cavit *ne verba ſua à Gotheſcalci verbis ſenſu diſcordarent.* Atqui Hincmaro teſte, hæc omnia perfecit impoſtor ille, à quo liber *contra quinque hoſtium genera* adulteratus eſt. Ille ergo, Hincmaro teſte, erat aſſecla & fautor Gotheſcalci.

Impoſtoris nomen tacuit Hincmarus; cognoviſſe tamen ex eo colligebam, quòd affirmet, non modò *falſitatis ſacrilegium*, ſed etiam *ipſum ſacrilegum* à ſe *manifeſtiſſimè deprehenſum.* Negat Cuſtantius, inde conſequens eſſe, ut ipſius *ſacrilegi* nomen fuerit Hincmaro cognitum. Quâ ſuper re tricas non movebo; iſtius enim nomen cognitum fuerit, nec-ne, parvi intereſt: modò certum ſit hominem fuiſſe Gotheſcalci partibus addictum. His autem ipſum addictum fuiſſe apertè ſignificat Hincmarus.

Ego verò, cùm nonniſi adſtipulante Hincmaro à Gotheſcalci & Ratramni fautoribus factam eſſe fraudem dixerim: quâ tandem ratione dici poſſum temeritatis notam incurriſſe? Quam ſi non incurri, quò abeunt illæ Cuſtantii exprobrationes? *Itane* [a] *licet dialecticis quibuſdam argutiis de Majorum fama pro libito ludere?* Ubi miror, Cuſtantium voluiſſe *Majoribus* ſuis annumerare Gotheſ-

[a] Pag. 167.

calcum & impoſtorem Gotheſcalci aſſeclam. Sed pergit ille : *Si periculoſum eſt de iis, qui ſe tueri jam nequeunt, etiam cùm adeſſe videtur cauſa probabilis, contumelioſum ferre judicium, religioſos viros* (nempe Gotheſcalcum atque ejus aſſeclas) *atrociſſimo perfidiæ crimine, rerum geſtarum veritate atque omnibus earum adjunctis adverſantibus inſimulaſſe, quis ſub juſto judice tolerandum ſibi perſuadeat? Sed quò rapior? &c...* Religioni habet Cuſtantius contumelioſum ferre judicium de Gotheſcalco, aut ejus fautoribus; etiam cùm adeſſe videtur cauſa probabilis: religionem ejus laudo. Sed non laudo, quòd ut hominem excuſet, qui in Eccleſiaſticis judiciis non ſemel hæreſis accuſatus eſt & damnatus, qui multarum in Eccleſia turbarum auctor fuit & incentor, qui pluribus retro ſæculis unanimi fermè conſenſu tanquam Hæreticus habitus eſt; quòd, inquam, hunc hominem ut excuſet, ipſe non timeat calumniæ reum facere præſtantiſſimum & de Gallicana Eccleſia optimè meritum Præſulem Hincmarum. Atque hanc ejus agendi rationem eò magis miror, quòd mihi perſuaſum ſit eum longè abhorrere ab iſtorum conſortio, qui, ne quoſdam libros hæreſis condemnent, ipſos ſummos Pontifices, Epiſcopos univer-

[a] Pag. 167.

ſos, Reges, Magiſtratus, atque Eccleſiam totam violentiæ & injuſtitiæ accuſant.

CAPUT IX.

Excuſari non poſſe illos operum ſancti Auguſtini Editores, qui adventitiam illam ſententiam, vel in textum invexerunt, vel invectam ab aliis retinuerunt.

A Gotheſcalci fautoribus inductam in librum *contra quinque hoſtium genera* ſententiam ſapienter in ſuis Editionibus prætermiſerunt Amerbachius, Eraſmus, & qui primæ ac ſecundæ Pariſienſi Editioni præfuerant eruditi viri. Theologi Lovanienſes, quia eam ſententiam in tribus codicibus manuſcriptis legerant, & ignorabant adulterinam eſſe, atque à Gotheſcalci aſſeclis fraudulenter invectam, ipſi textui imprudenter inſeruerunt; atque in errorem eos omnes induxerunt, qui ipſorum Editionem poſteà, tam Colonienſibus, quàm Pariſienſibus typis excuſam vulgarunt. At mendum hoc eximere debuerant noviſſimi operum ſancti Auguſtini Editores, qui Lovanienſium veſtigiis unicè inhærere non ſibi propoſuerant, ſed novam eamque, accuratam magis, & quoad fieri poterat, à mendis

omnibus purgatam Editionem adornare.

Eſto enim, neſcierint locum illum fuiſſe olim convictum falſi, & abfuiſſe à quatuordecim & ampliùs codicibus, qui jam tum nono ſæculo erant antiquiſſimi: eundem illum legerint, non modò in Antuerpienſi Lovanienſium Editione & in aliis hac poſteriorібus, ſed etiam in pluribus codicibus manuſcriptis ex iis, quibus ad librum *contra quinque hoſtium genera* emendandum uſi ſunt. At ſaltem non legerant in omnibus ſuis codicibus. Sciebant abeſſe ab Editionibus Amerbachii, Eraſmi, & duabus primis Pariſienſibus, atque adeo ab illis codicibus, ad quorum fidem hæ quatuor Editiones factæ fuerant. Præterea ignoraſſe eos non puto, cum his omnibus libris conſenſiſſe vetuſtiſſimum Corbeienſem codicem, qui cùm ſcriptus ſit, Mabillonio ipſo teſte[a], ante exortam *de non trina Deitate* controverſiam, videtur cæteris, quos conſuluerunt, fuiſſe antiquior.

Quæ cùm habuerint præ oculis, debuerunt ſaltem hærere ac perpendere, utrùm lectio, quam in textum Lovanienſes primi invexerant, alteri antiquiori præferenda eſſet, an poſtponenda. Id autem ſi perpendiſſent, ſenſiſſent illico rem non ſatis maturè diſcuſſam fuiſſe à Lovanienſibus. Po-

[a] Suppl. cap. 13. pag. 64.

namus enim Hincmarum nihil ſuper ea re ſcriptum reliquiſſe, nec fraudem, quâ liber *contra quinque hoſtium genera* adulteratus eſt à Gotheſcalci aſſeclis, manifeſtam feciſſe: quiſquis tamen rem illam, vel ex ſolis rectæ critices regulis judicare voluerit, ſtatim adventitium illum locum abjiciat, neceſſe eſt.

Receptiſſima enim eſt apud Criticos regula, ut ex variis lectionibus hæc legitima cenſeatur, quæ cum proximè antecedentibus & ſequentibus verbis planè concordat, & veram aliquam ſententiam exhibet: hæc ſpuria, quæ ſenſum menti offert nullum, aut ineptum. Atqui ſi retineatur antiqua lectio in eo loco, quem examinamus, ſenſus planus eſt, obvius & omni ex parte congruus: ſi nova admittatur, ſenſus nullus eſt, aut ineptus. Utrumque demonſtro.

Impugnat Auctor hoc in loco Sabellianos & Arianos; Sabellianos, quòd dicerent, *idem eſt Pater, qui Filius:* Arianos, quòd negarent Patrem & Filium unam habere naturam eamdemque Divinitatem. Atque utroſque impugnat ex illo Evangelii loco [a], *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui; ipſum audite.* Sabellianorum quidem errorem ex eo confutat, quòd alia ſit perſona, qui loquitur de cœlo Pater;

[a] Matth. 17. 5.

alia, qui videtur in terra Filius. Adversùs
utroſque autem, Arianos nimirum & Sa-
bellianos, utitur maximè his verbis, *ipſum*
audite. Et converſo ad ipſum Chriſtum ſer-
» mone ait: « Dic Domine meus Jeſu, do-
» ce... tu quid dicis de te. Pater dixit, ut te
» audiamus; cùm te audimus, ipſum audi-
» mus... » Deinde hæc Chriſti verba pro-
fert[b], *Ego & Pater unum ſumus.* Tum verò
» Hæreticos ſic compellat. « Non dixit, *Ego*
» *& Pater unus ſum:* ſed *Ego & Pater unum*
» *ſumus.* Quod dico *unum:* audiat Arrianus.
» Quod dico *ſumus:* audiat Sabellianus. Non
» dividat Arrianus *unum:* non deleat Sabel-
» lianus *ſumus.* » Cætera referre non neceſſe
eſt. Illud verò ad rem noſtram propiùs fa-
cit. Admiratus Auctor illorum verborum
vim; *Hic eſt Filius meus dilectus in quo mihi*
bene complacui, ipſum audite, quæ arma ſub-
miniſtrant, quibus Sabelliani, Arriani &
cæteræ peſtes proſternantur, gratias agens
Deo Patri quòd iſta protulerit, ſic excla-
» mat. « Deo gratias. Intonuit præceptum
» Dei (dicentis *ipſum audite*) & remotum eſt
» conſilium Petri (dicentis *bonum eſt nos hic*
» *eſſe.*) Gratias tibi æterna virtus, gratias ti-
» bi Pater omnipotens, qui & Filium tuum
» oſtendiſti, & mihi Doctorem dediſti. Ac-
» cedat Sabellianus, recedat Arrianus, rece-

[a] Joan. 10. 30.

dant cæteræ peſtes, cedat omnis iniqua «
doctrina. Doceat Deus... «

Si ſic legatur locus ille, qualis in vetuſtiſſimis codicibus ſcriptus fuit, qualis in antiquiſſimis Editionibus vulgatus eſt, ſenſus integer erit, rectus & facilis. Intelligunt enim omnes Deo Patri, qui utique æterna virtus eſt & omnipotens, agendas eſſe grates, quòd & Filium ſuum oſtenderit, & nobis Doctorem dederit. At ſi cum Lovanienſibus & noviſſimis Editoribus legamus, *Gratas tibi Deus, gratias tibi vera & una Trinitas, una & trina veritas, trina & una unitas, gratias tibi Deus Pater, qui & Filium tuum oſtendiſti & mihi Doctorem dediſti:* nullus erit ſenſus, vel erit omnino abſurdus, ineptus, atque hæreſi proximus.

Reclamabit certè Cuſtantius; cenſet enim [a] *lectionem, quæ in noviſſima Auguſtini Editione ſervata eſt, nihil inepti continere & abſurdi, nihil falſi, nihil quod non præcedentibus aut conſequentibus conſentiat.* Verùm cùm hoc ſibi perſuaſit, non ſatis accuratè antecedentia & conſequentia perpenderat. Quippe manifeſtum eſt adventitiam illam ſententiam, atque in noviſſima Auguſtini Editione ſervatam, planè repugnare verbis proximè ſubſequentibus. Quæ ſi conſideraſſet attentiùs, ſtatim animadvertiſſet

[a] Pag. 197.

Auctorem libri *contra quinque hoſtium genera* idcirco tantùm in gratiarum actionem prorumpere, quia Deus & Filium ſuum oſtendit, & nobis Doctorem dedit. Cuſtantium enim rogo, an exiſtimet gratias agendas eſſe Trinitati, quia nobis ipſa Trinitas *Filium ſuum oſtendit?* an cenſeat Trinitatem nobis oſtendiſſe Filium ſuum, & Chriſtum Dominum dici poſſe Trinitatis Filium? Negabit profectò, & dicet Chriſtum eſſe quidem Filium Dei Patris, unum ex Trinitate, ſecundam Trinitatis perſonam, ſed nullo ſano ſenſu dici poſſe Filium Trinitatis, atque adeo nullo ſano ſenſu dici poſſe Trinitatem *oſtendiſſe* nobis *Filium ſuum.* Nam cùm Filium *ſuum* ſolus genuerit Pater, non ipſa Trinitas; Filium *ſuum* etiam ſolus oſtendit Pater, non ipſa Trinitas.

Igitur Auctor libri *contra quinque hoſtium genera*, non poteſt dici, gratias egiſſe Trinitati, quòd Filium ſuum nobis oſtenderit. Atqui ſi ſervatur nova lectio, quam Lovanienſes invexerunt, retinuerunt noviſſimi Editores, iſtud Auctori, viro utique pio & ingenioſo; tribuendum eſt deliramentum. Contrà ſi lectio antiqua reſtituitur, cohærent omnia, oratio eſt prudens & ad rem appoſita. Quid inde conſequens eſt, niſi reſtituendam fuiſſe illam antiquam le-

ctionem, etiamſi judicium ex ſolis critices regulis inſtitueretur? Quid ſi præterea demonſtratum ſit inſulſam illam lectionem adulterinam eſſe, & olim per fraudem invectam, an non ex omni parte culpandi erunt Editores, qui illam, ſpretâ genuinâ, vel primi in textum invexerunt, vel invectam ab aliis retinuerunt?

Caput X.

Lectionem, quam genuinam eſſe Hincmarus oſtendit, ita præteritam eſſe à noviſſimis operum ſancti Auguſtini Editoribus, ut ne in notis quidem illius meminerint.

LOvanienſes Editores verbis, *Gratias tibi æterna virtus, gratias tibi Pater omnipotens, qui & Filium &c.* hæc alia, *Gratias tibi Deus, gratias tibi vera & una Trinitas, una & trina veritas, vera & una unitas; gratias tibi Deus Pater, qui & Filium &c.* ita ſubſtituerunt, ut tamen antiquam lectionem non prætermiſerint in ſuis notis & caſtigationibus ad librum *contra quinque hoſtium genera.* Hanc enim illi fideliter referunt, ſimulque admonent ſe trium MSS. codicum auctoritate inductos fuiſſe ad aliam præferendam. Quâ in re & ſi judi-

cium ipſorum non probo, tamen diligentiam laudo. At noviſſimi Editores, qui Lovanienſium hoc in loco judicium ſecuti ſunt, eorumdem diligentiam non ſunt imitati. Peccaverunt ſanè, ut oſtendimus in præcedenti capite, cùm à Lovanienſibus invectam in textum lectionem ſpuriam retinuerunt: ſed iterum & multò graviùs peccaſſe videntur, cùm genuinam ſic prætermiſerunt, ut nec illius in notis marginalibus meminerint, nec rationes exponant, cur hanc alteri poſtpoſuerint.

Excuſare tamen conatur Cuſtantius Sodales ſuos hac potiſſimum ratione, quòd [a] *non exiſtimaverint noviſſimi operum Auguſtini Editores eam à ſe in ſcriptis huic ſancto Doctori ſuppoſitis deſiderari diligentiam, quam in genuinis, pleraſque codicum varietates no-*
» *tando, adhibuerunt.* Ait prætereà « Libra-
» riorum lapſus ita frequentes eſſe, ut pru-
» dentiæ ſit eos plerumque reticere, ne im-
» portunè inutiliterque diſtrahatur Lectoris
» animus, ſi per crebras notulas de ſingulis
» moneatur. Si autem, inquit, in propriis
» Patrum operibus laudabilis eſt hæc, ut ita
» dicam, negligentia, quantò magis in alie-
» nis? » Denique addit [b] « parcendum fuiſſe
» eruditorum non ſolùm tempori, ſed & cru-
» menæ; atque ideo prolixas in non neceſſa-

[a] Pag. 201. | [b] Ibid.

triis locis vitatas eſſe annotationes, ne in «
immenſum creſcens opus cariùs væniret. «
Nominatimque ſupervacaneum fuiſſe, rem «
quæ non paucis explicanda erat, Hincma- «
ri ſcripto jam ſatis notam ac pervulgatam «
enarrare. » Ita ille. «

Verùm excuſationem hanc non puto cuiquam probatum iri. Equidem fateor librum *contra quinque hoſtium genera* non eſſe certum Auguſtini fœtum, imò & veriſimilius eſſe quòd ſit alterius. At non idcirco contemnendus eſt iſte liber. Nam & ſcriptus eſt de re gravi, & auctorem certè habet virum Catholicum, eruditum, antiquum, qui aut temporum Auguſtini æqualis fuerit, aut non multò poſt Auguſtini mortem vixerit, ſæviente adhuc in Africa Vandalorum perſecutione. Cùm ergo nuſquam editus ſit liber, niſi inter opera ſancti Auguſtini, in eo accuratè edendo adhibenda fuit diligentia.

Neque aliter eâ de re judicarunt ipſi Cuſtantii Sodales; quippe 21. manuſcriptos codices appellant, ad quorum fidem liber recognitus fuit. Deinde ad eumdem Tractatum, quamvis non valdè prolixum, annotaverunt varias lectiones triginta, præter obſervationes duas ad textum ipſum explanandum. Unde manifeſtum eſt librum hunc non ex iis eſſe, in quibus Editores putave-

rint laudabilem eſſe negligentiam.

At *parcendum* fuit *eruditorum tempori & crumenæ.* Ludit in re ſeria Cuſtantius, cùm ita loquitur. Magnum enimverò eruditi homines & temporis & crumenæ paſſi eſſent diſpendium, ſi ad notulas triginta duas Editores trigeſimam tertiam addidiſſent, quâ ſignificarent ſententiam hanc, *Gratias tibi Deus, gratias tibi vera & una Trinitas &c.* abeſſe ab antiquioribus Editionibus & pluribus manuſcriptis; atque arbitratum eſſe Hincmarum hanc fraudulenter invectam fuiſſe à Gotheſcalci fautoribus. Prætereà ſi nolebant Editores annotationum ſuarum numerum creſcere, poterant huic, ut locum facerent, pleraſque alias delere; cùm omnes, ſi quatuor aut quinque exceperis, leviſſimæ ſint, nec ullius ferè momenti.

Quod ne temerè ac falsò affirmari jactet Cuſtantius, aliquot iſtarum exempla profero. Pag. 2. ad hæc verba *quaſi vitrea fulgentia terreant arma*, hæc habetur annotatio, Plures MSS. *quaſi fulgens vitrea terreat armatura.* Pag. 5. ad hanc vocem *tranſeo*, al. *vado.* Ibidem ad hæc verba *per Apoſtolos*, Beda & antiquiores MSS. omittunt *per Apoſtolos.* Pag. 7. ad hæc verba *ò æqualitas*, plures MSS. *ò æquitas.* Pag. 8. ad hanc vocem *minutas*, plures MSS. *minutias.* Ibi-

dem ad hæc verba *mimica ſunt & jocularia*, MSS. omittunt *& jocularia*. Pag. 10. ad hæc verba *mundus parturit*, quatuor MSS. *parit.* Ibidem ad hæc verba *nubila tonant*, plures MSS. *nubecula tonat.* Ejuſdem fermè generis ſunt reliquæ lectiones variæ hujus libri: & cùm tales ſint, exiſtimat Cuſtantius illam, de qua hic diſceptamus, leviorem fuiſſe, quàm ut in his locum haberet.

Supervacaneum erat, inquit, *rem quæ non paucis explicanda erat, Hincmari ſcripto jam ſatis notam & vulgatam enarrare.* Quaſi aut res illa non potuerit paucis verbis explicari, aut omnes Hincmari ſcripta legerint, & eorum quæ legerunt meminerint; aut Editores jam vulgatas in antiquorum Scriptorum libris lectiones varias ſoleant prætermittere.

Sed Cuſtantium hîc Cuſtantio opponamus. Non prætermiſit ille in notis ſuis ad Hilarium intentatam Felici Orgelitano perfidiæ accuſationem, quòd in locum verbi illius *adoratur*, iſtud aliud *adoptatur* ſubſtituiſſet: & tamen res illa iiſdem Hincmari ſcriptis jam ſatis nota erat & vulgata. Quâ fide ergo diſſimilem in ſimili cauſa Sodalium ſuorum agendi rationem excuſat? Fatendum eſt, aut ſupervacaneam in libris Hilarii notam haberi, *quâ importunè inutiliterque diſtrahitur Lectoris animus*, aut eandem

deſiderari in libro *contra quinque hoſtium genera*. Utrobique enim par cauſa eſt, par obſervationis aut neceſſitas, aut inutilitas.

Caput XI.

Corbeienſes aliquot manuſcriptos codices aliquatenus eſſe ſuſpectos.

ANtequam huic tertiæ parti finem impono, liceat pauca adjicere de quibuſdam Monaſterii Corbeienſis codicibus, quorum auctoritati plus æquo tribuiſſe videntur noviſſimi operum Auguſtini Editores. In Monaſterii Corbeienſis Bibliotheca plurima & antiquiſſima reperta fuiſſe manuſcripta operum Auguſtini exemplaria omnibus notum eſt. Noviſſimos operum Auguſtini Editores his uſos eſſe non miror: neque ullo pacto reprehenderem, ſi eâ cautione quâ debuerant, uſi fuiſſent: nec iiſdem in his ipſis locis, in quibus erant ſuſpecta, paulò confidentiùs adhæſiſſent.

Ætas enim, quæ pleriſque vetuſtis exemplaribus pretium ſolet addere, Corbeienſium aliquot auctoritatem non parum imminuit. Quippe ex his multa exarata dicuntur nono ſæculo: hoc eſt eo ipſo ſæculo, quo Gotheſcalcus vixit, & habuit in Monaſterio Corbeienſi devotiſſimos ſibi &

addictiſſimos amicos: Ratramnum imprimis eruditum & magni nominis Monachum. Cùm ergo & Gotheſcalci aſſeclæ in Synodo Sueſſionenſi convicti ſint adulteraſſe librum *contra quinque hoſtium genera*, qui tum Auguſtino conſenſu unanimi tribuebatur; & ipſe nominatim Ratramnus [a] arguatur, quòd beatorum Hilarii & Auguſtini dicta detruncaverit: conſequens eſſe mihi videtur, codices in Monaſterio Corbeienſi ſcriptos Gotheſcalci & Ratramni ævo; non eſſe ſine aliqua cautione legendos: neque illum temerè ac imprudenter facere, qui ejuſmodi codices æſtimet & ſequatur, ubicumque Gotheſcalci cauſa non agitur; his autem diffidat, horum teſtimonium ſuſpectum habeat, ſicubi Gotheſcalci partibus contra aliorum manuſcriptorum fidem favere deprehunduntur. Iſtud ego à noviſſimis Auguſtini Editoribus proviſum & obſervatum fuiſſe vellem, iſtud neglectum eſſe doleo. Quippe illi Corbeienſium noni ſæculi codicum auctoritati plus æquo tribuunt, in his præſertim locis, in quibus illi maximè ſuſpecti eſſe debuerant. Cujus rei duo aut tria exempla hîc ſubjicere, non erit ut puto, inutile.

Exemplum primum. Catholicorum ſemper fuit ea vox, non eſſe culpandum, ſed

[a] Hincm. tom. 1. pag. 413.

laudandum Deum, etiamſi hominem innocentem ærumnis premat in hac vita, variiſque pœnarum generibus exerceat. At mirum eſt quantopere iſtud idem diſpliceat Janſenio, qui ſuperiori ſæculo Gotheſcalci errores inſtauravit, auſus etiam [a] ſcribere Catholicam fidem in iſto Monacho fuiſſe condemnatam. Huic ergo cùm videretur periculoſum, receptam apud omnes Catholicos doctrinam proprio nomine impugnare, venerandum Auguſtini nomen, cùm ſuum ipſius non auderet, Orthodoxis oppoſuit; ac conqueſtus eſt *totius doctrinæ Auguſtinianæ conſonantiam*, ſic enim loquitur [b], *totam molem doctrinæ ipſius undique clamare, injuſtum eſſe Deum, ſi quempiam quacumque pœna ſine peccati merito cruciaret.* Sic ille nempe, pro veteri Hæreticorum more, ſplendidiſſimum Eccleſiæ Catholicæ lumen, divum Auguſtinum, vel invitum in ſuas partes trahere nititur.

Invitum dico: ſi quidem ſanctiſſimus Doctor apertè, nec ſemel aſſeverat, reprehendi non poſſe Deum, etiamſi juſtum virum & ab omni ſcelere purum hujus vitæ ærumnis ſubjeciſſet. Quam in rem citatur illuſtris Auguſtini locus ex ſermone 1. enarrationis in Pſal. 70. ubi prorumpit in hæc verba:

[a] Janſ. lib. 8. de hæreſ. Pelag. cap. 23.

[b] Lib. 3. de Statu puræ naturæ c. 16.

[a] *Quis enim ei* (Deo) *diceret, quid feciſti, ſi damnaret juſtum? Quanta ergo miſericordia ejus, ut juſtificet injuſtum?* Locum hunc ut Catholicis eriperet Iprenſis Epiſcopus, corruptum dixit, legendumque hoc modo[b]: *Quis enim ei diceret, quid feciſti, ſi damnaret* INJUSTUM? quatuorque rationes congeſſit, cur ita legi debeat.

Prima eſt, quòd Auguſtinus alludat ad hæc Sapientiæ verba: *Nec timens aliquem, veniam dabis peccatis illorum. Quis enim dicet tibi, quid feciſti? aut quis ſtabit contra judicium tuum?* Secunda: quòd paulòpoſt in ejuſdem Pſalmi commentario hæc rurſum Auguſtinus habeat: *Quid ergo? tu ſi maſſam iſtam iniquitatis damnes, quiſquam tibi dicet, injuſtè feciſti?* Tertia: quòd correctionem iſtam poſtulet difficultatis objectæ circumſtantia. Quarta denique: quòd idem exigat totius doctrinæ Auguſtinianæ conſonantia.

Hæc cùm legiſſem apud Gotheſcalci Patronum & aſſeclam Janſenium, conſului novam operum Auguſtini Editionem, ut ſcirem quid in manuſcriptis fuiſſet repertum, quid in nova Editione ſcriptum. Editi omnes habent JUSTUM; idem in manuſcriptis legebatur. Verùm repertus eſt unus

[a] Tom. 4. nov. Edit. p. 718.
[b] Janſ. lib. 3. de Statu puræ naturæ. cap. 16.

Corbeienſis codex, in quo legeretur INJUSTUM: qui codex cùm ſcriptus ſit, ut ipſi Editores teſtantur, ante annos octingentos, hoc eſt circa Gotheſcalci tempora, ſuſpectus eſſe debuerat.

Atqui tamen, quod mireris, unicum hunc, cæteris manuſcriptis editiſque omnibus poſthabitis, Editores ſecuti ſunt; atque in ipſo Auguſtini ſermone ſcripſerunt INJUSTUM: neque hujus ſuæ correctionis cauſas alias ferè afferunt, quàm quas modò retuli, ita ut unum ex altero tantùm
» non expreſſum videatur. Sic enim illi: « Edi-
» ti *juſtum*, veriùs Corbeienſis optimæ notæ
» MS. *injuſtum*. Nam id Auguſtinus poſteà re-
» petit n. 15. *Si damnes omnes iniquos... ſi maſ-*
» *ſam iſtam iniquitatis damnes, quiſquam tibi*
» *dicet, injuſtè feciſti?* Neque profectò dicere
» auſus ſit juſtum aliquem judicis Dei ſen-
» tentiâ poſſe dignum pœnâ fieri, ſive pro-
» nuntiari: quod omnino ſignificatur verbo,
» *damnare*. Reſpicere videtur ad verba Sap.
» 12. 12. » Hactenus Editores.

Qua in re non poſſum quin ipſorum ſaltem æquitatem ac prudentiam requiram, quòd uni ſuſpecto codici potiùs, quàm reliquis manuſcriptis atque editis omnibus habendam fidem cenſuerint.

Alterum exemplum. Norunt omnes Theologi, quantum Prædeſtinatianorum, atque

adeo partium Gotheſcalci interſit, ne ubi Paulus Apoſtolus dicit, *Deum velle omnes homines ſalvos fieri; Chriſtum dediße Redemptionem ſemetipſum pro omnibus: orandum eſſe pro omnibus &c.* exiſtimemus omnium nomine omnes & ſingulos homines intelligi. Ita intellectum à ſe Auguſtinus demonſtrat; locum enim ubi Apoſtolus juſſerat [a] *fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus ... quia hoc eſt bonum & acceptum coram Salvatore noſtro Deo, qui omnes homines vult ſalvos fieri, & ad cognitionem veritatis venire ... qui dedit ſemetipſum redemptionem pro omnibus:* hunc, inquam, inſignem locum, intellectum à ſe de omnibus & ſingulis hominibus Auguſtinus manifeſtè demonſtrat, cùm docet Apoſtolum verbis modò relatis præcepiſſe [b] *ut oraretur pro ſingulis hominibus.* Voces iſtas *pro ſingulis* in manuſcriptis codicibus, quibus uſi ſunt, legerant Amerbachius, Eraſmus, Danæus, & Lovanienſes, & in Editionibus ſuis ſcribendas cenſuerant. In quarum locum novi Editores verba hæc *pro omnibus* ſubſtituerunt, additâ ſequenti obſervatione [c] « Editiones Amerbachii, Eraſmi, « Danæi, Lovanienſium, *pro ſingulis*, veriùs « MSS. magno conſenſu *pro omnibus.* «

[a] 1. Timoth. 2.
[b] Aug. in Enchir. c. 103. n. 27.
[c] Nov. Edit. tom. 6. p. 235.

Quinam verò illi ſunt manuſcripti, quorum conſenſus prædicatur? Non illi certè, ad quorum fidem Auguſtinum Amerbachius edidit, aut editum emendarunt Eraſmus, Danæus & Lovanienſes. Quinam ergo? Nimirum illi ex quibus Enchiridion à ſe emendatum Editores profitentur: hoc eſt Corbeienſis antiquiſſimus, aliique, qui cùm ſint plerique iſto Corbeienſi poſteriores, in ſuſpicionis partem venire, nec illis codicibus, quos plurimos primi Editores conſuluerunt, prævalere debuerant.

Tertium exemplum. Celeberrima ſunt verba quibus Auguſtinus de iis qui non ſalvantur, ait[a], *Nec utique Deus injuſtè noluit ſalvos fieri, cùm poßent ſalvi eſſe, ſi vellent.* Quibus verbis Gotheſcalci ac Prædeſtinatianorum, qui Auguſtinum ſuum eſſe falsò gloriantur, cauſam jugulari nemo non videt. Sententiam hanc qualem modò retuli, habebant editi omnes, uno excepto Arnaldino, qui ſuſpectus eſſe debuit, & præter editos manuſcripti codices undecim. Emendandum tamen hoc loco Auguſtinum novi Editores cenſuerant, & pro his verbis, *cùm poſſent ſalvi eſſe, ſi vellent*, iſta alia appoſuerant, *cùm poſſent ſalvi eſſe, ſi vellet.* Quare autem ſic immutaverant? Quia ſic

[a] Enchir. cap. 95. nùm. 24. nov. Edit. tom. 6. pag. 231.

legebatur [a] in veteribus codicibus viginti-quinque, inter quos *antiquiſſimus Corbeienſis*, qui cæterorum omnium lectionem ſuſpectam facere debebat; præſertim cùm adeſſent manuſcripti tres veteres, qui in illa voce *vellent*, jugulatam conſultò penultimam litteram *n* exhiberent.

Scio non eſſe niſi pauca novæ Editionis exemplaria, in quibus vox illa *vellēt*, nunc in ipſo contextu inſerta videatur: novamque hanc lectionem in pleriſque exemplaribus in notas eſſe rejectam. Quippe cùm vigilantiſſimus Præſul Editores admonuiſſet, non fuiſſe hoc in loco Corbeienſem ſuum codicem alioſque, quos ipſi adjungunt manuſcriptos, omnibus editis undecimque aliis manuſcriptis anteponendos: paruerunt religioſi viri; ſuamque ipſi correctionem emendarunt. Quæ prompta in ipſis obſequendi voluntas indicat, ſi opportunè moniti fuiſſent, eâdem facilitate cætera quæ in ipſorum Editione reprehendi poſſunt, immutaturos fuiſſe. Quare non dubito quin æqui bonique faciant; quæ hîc ego non alio certè conſilio, quàm ut ſuus veritati locus ſit, de quibuſdam ipſorum manuſcriptis codicibus diſſerenda putavi.

[a] Tom. 6. pag. 231.

Tertiæ Partis concluſio.

QUod primùm hoc in ſecundo libro demonſtrandum ſuſceperam, variis ſæculis extitiſſe Falſarios, qui in adulterandis Sanctorum Patrum libris aliiſve monumentis Eccleſiaſticis operam & tempus collocarunt, eoſque Falſarios plerumque Hæreticos fuiſſe: id jam, ut puto, in aperto poſitum eſt, nec ultrà venire poteſt in controverſiam. Quippe tot inter perfidos homines, quos vel primis Eccleſiæ naſcentis temporibus, vel ſubſequentibus ſæculis, ſeſe crimine falſi maculaſſe oſtendimus, vix unum appellare poſſis, qui non hac ſuâ fraude hæreſi alicui patrocinium quæſierit. Eximendi tamen ab Hæreticorum numero, qui attributum Auguſtino librum *contra quinque hoſtium genera*, interpoſitâ genuino textui novâ ſententiâ, fraudulenter depravarunt. Nam illi cùm contenderent *Deitatem* rectè dici poſſe *trinam*, cauſam defendebant, quam nemo Catholicus hæreſis notare velit. At iidem illi aſſeclæ erant & fautores Gotheſcalci Orbacenſis Monachi, quem hæreſis accuſatum non ſemel & damnatum, malis artibus ac doloſis ſcriptis Eccleſiaſtica judicia eludere conatum eſſe omnes norunt. Quare non mirum eſt

eos qui plus æquo ſeſe fraudulento homini addixerant, ejus etiam artes eſſe imitatos, ac juſtam cauſam fraudibus atque adulteratis codicibus tueri voluiſſe. Non negavero tamen fieri potuiſſe, ut qui cum Gotheſcalco ſentiebant *Deitatem* dici debere *trinam*, de cætero fuerint ab ejuſdem Gotheſcalci erroribus alieni: neque verò de omnibus, ſed tantùm de pleriſque Falſariis aſſevero, eos fuiſſe hæreſis vel convictos, vel ſaltem ſuſpectos. Nunc reſtat ut oſtendamus perfidorum hominum fraudes inconcuſſæ Patrum traditionis auctoritati nullo pacto nocuiſſe.

PARS QUARTA.

Non invehi in Religionem Pyrroniſmum, nec inconcuſſa ſacræ Traditionis fundamenta convelli, etiamſi demonſtretur nonnulla Sanctorum Patrum opera ab Hæreticis olim fuiſſe adulterata.

QUi veteres Hæreticos falſarias manus in ſacros divinorum Librorum codices aliquot immiſiſſe ait, nihil illum de firmiſſima Sacrarum Litterarum auctoritate detrahere, ſed meritam hæreſi infamiam inurere ſuperiùs [a] demonſtravimus: nunc ſupereſt, ut, quantùm in nobis eſt, omnem Pyrrhoniſmi ſuſpicionem ab his etiam removeamus, qui nonnulla Sanctorum Patrum opera ab Hæreticis olim fuiſſe adulterata contendunt. Enimverò cur malèſanam de omnibus rebus dubitationem inducere cenſeatur, qui nihil affirmat niſi quod verum eſt & præſtantiſſimorum virorum teſtimonio comprobatum? Quis ſibi perſuadeat veritatem cum mendacio tam arctè conjunctam eſſe, ut illam ſequi nemo poſſit, quin huic ſimul viam aperiat?

[a] Lib. 1. part. 2.

Quam perfidiam in falſandis veterum Patrum operibus hodie Hæreticis exprobramus, eandem illis abſque ſcandalo & ullo Religionis periculo objici poſſe ipſi Patres exiſtimaverunt. Ergone quiſpiam exiſtimet, aut ſe acutiùs Patribus cernere in iis quæ ad Religionem pertinent, aut ſe magis à Pyrrhoniſmo abhorrere, quàm eximii illi Doctores, & ſplendidiſſima Eccleſiæ Catholicæ lumina abhorruerunt? Atqui tamen pravæ Hæreticorum in falſandis Eccleſiaſticis monumentis artes detectæ ſunt & proditæ ab illis ipſis Doctoribus, quos venerandam Patrum Traditionem à Majoribus acceptam ſuſcepiſſe cum reverentiâ, & ſuſceptam ad nos religiosè tranſmiſiſſe certò ſcimus. Unde conſequens eſt his perſuaſum fuiſſe nihil auctoritatis Traditioni Patrum derogari, cùm Hæretici tanquam veterum monumentorum corruptores arguuntur & ſugillantur. Hoc autem jure meritò ipſis fuiſſe perſuaſum nunc eſt demonſtrandum.

CAPUT I.

Cùm adulteratum eſſe librum Scriptoris alicujus teſtimonio comprobamus, teſtem adhibendum eſſe fide dignum, qui nec mentiri, nec faciliores leviſſimis rumoribus aures præbere ſoleat.

INter veteres Hæreticos extitiſſe complures, qui datâ operâ & conſilio improbo monumenta Eccleſiaſtica adulterare conati ſint, ex his quæ ſuperiùs produximus, teſtimoniis manifeſtum eſt. At ſi quis idcirco lucubrationes Patrum omnes, aut rejicere velit tanquam adulteratas, aut etiam ſuſpectas habere: magno ille Eccleſiam Catholicam privabit adjumento, quæ antiquam Traditionem veterum Patrum auctoritate ſuffulcire amat: ſed multò majorem nomini ſuo labem inferet. Quid enim ridiculum magis, quàm vanâ ac temerariâ ubique ſuſpicione laborare, & metuere, ne quoties veterem librum aperis, toties in ſuppoſititias falſariorum lacinias incurras? Hujuſmodi ſuſpicionibus indulgere, nec ſapientis eſt, nec conſtantis viri. Igitur quemadmodum humanæ ſocietatis peſtis eſt pravè ſuſpicioſus

ſus homo: ſic etiam doctrinarum omnium atque ipſius Religionis fundamenta convellit, qui libris omnibus falſi ſuſpicionem temerè aſpergit. Relictos à Majoribus noſtris libros tandiu pro genuinis, pro integris, pro certis ipſorum fœtibus haberi decet, quandiu non conſtat ſpurios eſſe, adulteratos, aut incertos. Peccat ſanè qui librum adulterinum aut corruptum temerè ingerit pro vero & integro: ſed graviter peccat quoque, qui receptum à Majoribus tanquam genuinum opus aliquod, aut ſine idonea probatione accuſat falſi, aut ſine legitima cauſa ſuſpectum habet. Duplex autem cauſa eſt præcipua, propter quam antiquorum Scriptorum opera dici poſſint adulterata: prima, ſi hujus facti teſtis fide dignus producatur: altera, ſi libro ad ſeveræ ac prudentis critices normam examinato, hærentia textui fraudis veſtigia deprehendantur. Ubi autem teſtimonia ambigua ſunt, nec fraudis veſtigia planè certa, ſuſpectus dicitur liber, non convictus falſi.

Teſtem fide dignum dico: non eum, qui vel incertos temerariæ plebis rumuſculos colligat improvidè; vel, quod pejus eſt, ſubdolus ipſe mendaciorum artifex, fabricatas à ſe fabulas ſpargat impudenter, & tanquam veras à Lectoribus admitti poſtu-

let. Rufinum, exempli causâ, iis annumeramus, quibus hoc utrumque vitium exprobratur, nec temerè.

Illum nimiæ credulitatis vitio laboraſſe, multi è recentioribus Scriptoribus obſervarunt; atque inter eos maximè Guillel-
„ mus Cave his verbis [a]: In Hiſtoria Eccle-
„ ſiaſtica concinnanda temporiſque ratione
„ digerenda, credulum admodum fuiſſe Ru-
„ finum conſtat, in fabulas & incertos ple-
„ beculæ rumores nimis propenſum, quos è
„ trivio & tonſtrina petitos, litteris manda-
„ re temerè ſolebat. Unde Socrates cùm ad
„ ejus fidem primum & ſecundum Hiſtoriæ
„ Eccleſiaſticæ libros formaſſet; meliores po-
„ ſteà nactus auctores, libros iſtos ex inte-
„ gro ordiri neceſſe habuit. » Hoc enim ipſe
„ Socrates teſtatur: « Rufinus [b], inquit, in
„ temporum notatione longè à vero aberra-
„ vit... Ac priùs quidem nos Rufinum au-
„ ctorem ſecuti, primum ac ſecundum Hi-
„ ſtoriæ noſtræ librum juxta fidem illius con-
„ ſcripſimus... Quam ob cauſam neceſſe no-
„ bis fuit primum ac ſecundum hujus operis

[a] Script. Eccl. Hiſt. litt. in Rufino.

[b] Socrat. Hiſt. Eccleſ. lib. 2. cap. 1. Edit. Valeſ. pag. 79. & 80.

Ῥουφῖνος.... περὶ τοὺς χρόνους ἐπλανήθη.... ἡμεῖς οὖν πρότερον Ῥουφίνῳ ἀκολουθήσαντες, τὸ πρῶτον καὶ τὸ δεύτερον τῆς ἱστορίας βιβλίον, ᾗ ἐκείνῳ ἐδόκει, συνεγράψαμεν.... διὸ ἠναγκάσθημεν τὸ πρῶτον καὶ τὸ δεύτερον βιβλίον ἄνωθεν ὑπαγορεῦσαι, συγχρώμενοι καὶ ἐν οἷς ὁ Ῥουφῖνος οὐκ ἐκπίπτει τοῦ ἀληθοῦς....

librum ex integro dictare, retentis nihilominus iis, in quibus Rufinus à veritate minimè aberravit... « « «

At Rufinum non modò in colligendis rumuſculis imprudentem & nimis credulum, ſed etiam in fingendis fabulis audacem fuiſſe docet ſanctus Hieronymus. Cujus audaciæ exempla hîc aliquot referri non eſt inutile. « Hilarius Pictavienſis Epiſcopus [a], inquit Rufinus, Confeſſor fidei Catholicæ fuit : hic cùm ad emendationem eorum, qui Ariminenſi perfidiæ ſubſcripſerant, librum inſtructionis pleniſſimè conſcripſiſſet : cúmque libellus ipſe in manus inimicorum & malevolorum, ut quidam dicebant, corrupto Notario, alii verò aliâ occaſione narrabant, quid intereſt ? tamen cùm in manus inimicorum ipſo ignorante veniſſet, ita ab eis corruptus eſt, illo ſancto viro nihil penitus ſentiente ; ut poſteà cùm ad Concilium Epiſcoporum ſecundùm ea, quæ ſe in libello ipſius noverant corrupiſſe, Hæreticum eum inimici arguere cœpiſſent, & ipſe libelli ſui fidem pro ſui defenſione flagitaret : de domo ſua prolatus libellus talis inventus eſt, quem ipſe non agnoſceret : fecere tamen eum excommunicatum de Concilio diſcedere. Verùm quia viventi, & adhuc in corpore poſito, «

[a] Rufini pro Orig. Apol. apud Hier. tom. 4. p. 252. & ſeq.

» res quamvis ſcelerata & inaudita contige-
» rat, dolo cognito factio deprehenſa : rete-
» cta ſcelerum machina potuit emendari. Ad-
» hibita enim curatio eſt aſſertionibus, ſatis-
» factionibus, & omnibus, quæ viventes pro
» ſe facere poſſunt. Nam mortui nihil pati
» refutant.

Ita Rufinus : qui nullum facti quod commemorat teſtem appellat. Ait quidem hujus memoriam ad ſua tempora perſeveraſſe : ſed iſtud temerè ac falsò. Qua de re vapulat ab Hieronymo, & mendacii accu-
» ſatur. « Tantæ auctoritatis ſe putat[a], in-
» quit ſanctus Doctor, ut quum hoc familia-
» ribus narrat ſomnium, nemo ei contra
» Confeſſorem (S. Hilarium) iſta ſimulanti
» audeat contradicere. Reſponde, quæſo : Sy-
» nodus à qua excommunicatus eſt, in qua
» urbe fuit ? Dic Epiſcoporum vocabula ;
» profer ſententias ſubſcriptionum, vel di-
» verſitatem, vel conſonantiam : doce qui
» eo anno Conſules fuerint : quis Imperator
» hanc Synodum juſſerit congregari : Gal-
» liæ-ne tantùm Epiſcopi fuerint, an & Ita-
» liæ & Hiſpaniæ : certè quam ob cauſam Sy-
» nodus congregata ſit. Nihil horum nomi-
» nas, ſed virum eloquentiſſimum, & con-
» tra Arianos Latini ſermonis tubam, ut
» Origenem defendas, excommunicatum à

[a] Apolog. adv. Ruf. lib. 2. nov. Edit. tom. 4. pag. 415.

Synodo criminaris. Sed Confeſſoris calumnia utcumque toleranda eſt. Tranſit ad inclytum Martyrem Cyprianum.

Alteram hîc fabulam redarguit Hieronymus, quam quidem Rufinus ſic propoſuerat. « Sancti Cypriani martyris [a], ſolet omne Epiſtolarum corpus in uno codice ſcribi : huic corpori Hæretici quidam, qui in Spiritum Sanctum blaſphemant, Tertulliani libellum *de Trinitate* reprehenſibiliter, quantùm ad veritatem fidei noſtræ pertinet, ſcriptum inſerentes, & quamplurimos codices de talibus conſcribentes per totam Conſtantinopolim urbem maximam diſtrahi pretio viliori fecerunt : ut exiguitate pretii homines illecti, ignotos & latentes dolos faciliùs compararent : quò per hoc commentum Hæretici perfidiæ ſuæ fidem tanti viri auctoritate conquirerent. Accidit tamen ut recenti adhuc facto, quidam ex fratribus noſtris Catholicis inventi, admiſſi ſceleris commiſſa retegerent : & ex parte aliqua, ſi quos poſſent, ab erroris hujus laqueis revocarent. Quamplurimis tamen in illis partibus ſanctum Martyrem Cyprianum, hujus fidei, quæ à Tertulliano non rectè ſcripta eſt, fuiſſe perſuaſum eſt.

Quæ cùm Rufinus narraſſet, Hierony-

[a] Rufini pro Orig. Apolog. apud Hier. tom. 5. pag. 259.

mus contra eum inſurrexit his verbis. « Di-
» cit [a] Tertulliani librum, cui titulus eſt *de*
» *Trinitate* ſub nomine ejus (Cypriani) Con-
» ſtantinopoli à Macedonianæ partis Hæreti-
» cis lectitari. In quo crimine mentitur duo.
» Nam nec Tertulliani liber eſt, nec Cypriani
» dicitur; ſed Novatiani, cujus & inſcribitur
» titulo; & auctoris eloquium ſtyli proprie-
» tas demonſtrat.

Sed Rufini ſeu temeritas, ſeu mentiendi licentia multò manifeſtiùs ſe prodit in ea
» fabella, quam de ipſo Hieronymo confin-
» xit. « Damaſus Epiſcopus [b], inquit, cùm de
» recipiendis Apollinarianis deliberatio ha-
» beretur, Editionem Eccleſiaſticæ fidei,
» cui eidem Editioni, ſi Eccleſiæ jungi ve-
» lint, ſubſcribere deberent, conſcribendam
» mandavit cuidam amico ſuo Preſbytero
» viro diſertiſſimo, qui hoc illi ex more ne-
» gotium procurabat. Neceſſarium viſum eſt
» dictanti in ipſa Editione de Incarnatione
» Domini *hominem Dominicum* dici. Offenſi
» ſunt in hoc ſermone Apollinariſtæ: novi-
» tatem ſermonis incuſare cœperunt: adeſſe
» ſibi cœpit, qui dictaverat, & ex auctorita-
» te vera Scriptorum Catholicorum virorum
» confutare eos qui impugnabant. Accidit
» ut uni ex ipſis, qui novitatem ſermonis cau-

[a] Apolog. adv. Ruf. lib. 2. tom. 4. pag. 415.

[b] Ruf. Apol. pro Orig. apud Hier. tom. 5. pag. 253.

ſabatur, oſtenderet in libello Athanaſii Epiſ- «
copi ſcriptum eſſe ſermonem de quo quæ- «
ſtio habebatur : quaſi ſuaſus jam ille, cui «
probatum fuerat, rogavit ſibi dari codi- «
cem, quo & aliis ignorantibus & contra- «
dicentibus ſatisfaceret. Accepto codice ex- «
cogitavit inauditum adulterationis genus. «
Locum ipſum, in quo ſermo iſte erat ſcrip- «
tus, raſit: & ipſum ſermonem rurſum con- «
ſcripſit, quem raſerat. Codex redditus ſim- «
pliciter receptus eſt. Movetur iterum pro «
eodem ſermone quæſtio. Ad probationem «
codex profertur: invenitur ſermo, de quo «
erat quæſtio, ex litura in codice poſitus. «
Fides proferenti talem codicem derogatur: «
eò quòd litura illa corruptionis & falſita- «
tis videretur indicium. Sed quoniam, ut «
iterum dicam, viventi hæc facta ſunt à vi- «
vente, continuò egit omnia, ut fraus com- «
miſſi ſceleris denudaretur, & nequitiæ ma- «
cula non innocenti viro, qui nihil tale geſ- «
ſerat, adhæreret: ſed in auctorem facti at- «
que in uberiorem ejus infamiam redun- «
daret. «

Hæc Rufinus, cui ea referenti, quæ Romæ ætate ſuâ Damaſo & Hieronymo præſentibus contigiſſe affirmabat, quis non crederet? Mentitum tamen, aut ſaltem *prandiorum cœnarumque fabulas pro argumento veritatis tenuiſſe* eum ait Hieronymus. « Superfluum «

» puto[a], inquit, apertas ineptias confutare,
» quum mihi mea ingeratur fabella, à Syno-
» do videlicet, & ſub nomine cujuſdam ami-
» ci Damaſi Romanæ urbis Epiſcopi ego pe-
» tar, cui ille Eccleſiaſticas Epiſtolas dictan-
» das tradidit; & Apollinarianorum verſutiæ
» deſcribantur, quòd Athanaſii librum, ubi
» *Dominicus homo* ſcriptus eſt, ad legendum
» acceptum ita corruperint, ut in litura id,
» quod raſerint, rursùs ſcriberent, ut ſcili-
» cet non ab illis falſatum, ſed à me addi-
» tum putaretur. Quæſo te, amice chariſſi-
» me, ut in Eccleſiaſticis tractatibus, ubi de
» virtute dogmatum quæritur, ubi de ſalute
» animarum noſtrarum Majorum flagitatur
» auctoritas, hujuſcemodi deliramenta di-
» mittas, & prandiorum cœnarumque fabu-
» las pro argumento non teneas veritatis. Fie-
» ri enim poteſt, ut etiamſi à me verum au-
» diſti, alius qui hujus rei ignarus eſt, dicat
» à te eſſe compoſitum; & quaſi mimum
» Philiſtionis, vel Lentuli ac Marcelli ſtro-
» pham eleganti ſermone confictam. Quò non
» perveniat ſemel effrænata temeritas? Poſt
» excommunicationem Hilarii, poſt Cypria-
» ni ψευδεπίγραφον hæreſeos librum, poſt Atha-
» naſii me dormitante lituram ſimul & in-
» ſcriptionem, erupit aliquando contra Pa-
» pam Epiphanium...

[a] Apol. adv. Ruf. lib. 2. tom. 4. pag. 415.

Peccavit ergo graviſſimè Rufinus, cùm ut Hæreticorum in adulterandis libris audaciam magnam fuiſſe evinceret, aut fabulas ipſe commentus eſt, aut leviſſimæ plebis rumuſculos collegit. Quare hujus exemplo admonemur, ut ne aures quibuſvis teſtibus imprudenter commodemus: ſed eum habeamus teſtem, qui neque audaciæ in mentiendo, neque nimiæ in credendo facilitatis argui poſſit.

Porrò Hieronymo in his, quæ adversùs Rufinum ſcripſit, planè eſſe credendum videtur definiviſſe in Concilio Romano Gelaſius Papa: ubi ſic loquitur. [a] « Rufinus vir religioſus, plurimos Eccleſiaſtici operis edidit libros, nonnullas etiam Scripturas interpretatus eſt: ſed quoniam eum beatus Hieronymus in aliquibus de arbitrii libertate notavit, illa ſentimus, quæ prædictum beatum Hieronymum ſentire cognoſcimus; & non ſolùm de Rufino, ſed etiam de univerſis, quos vir ſæpiùs memoratus, zelo Dei & fidei religione reprehendit.

Rufini temeritatem imitati ſunt poſteriorum temporum Hæretici, quibus interdum contigit, ut dicta Patrum, quæ ſolvere non poterant, corrupta dicerent. Ita [b] apud Bellarminum Hermannus, ut reſ-

[a] Tom. 4. Conc. pag. 1263. | [b] Tom. 1. Contr. lib. 4. cap. 7.

» ponderet Baſilio dicenti [a] : « Dogmata quæ
» in Eccleſia ſervantur ac prædicantur , par-
» tim ex conſcripta doctrina habemus, par-
» tim ex Apoſtolorum traditione in myſte-
» rio ad nos delata recepimus. Quæ utraque
» eandem ad pietatem vim habent , & ne-
» mo his contradicit , qui vel mediocrem
» ſaltem Eccleſiaſticorum jurium experien-
» tiam habet.

Hæc, inquam, & [b] alia ut eluderet Hermannus, dixit *iſta omnia non eſſe Baſilii, ſed inſerta in libro Baſilii ab aliquo nebulone*. Neque aliam hujus rei probationem affert, quàm Eraſmi teſtimonium, qui viſus eſt ſibi neſcio quam ſtyli diverſitatem in his capitibus olfacere. Cùm tamen obſervare debuiſſet Hermannus hanc Eraſmi conjecturam, & de ſtyli diverſitate ſuſpicionem omnino vanam fuiſſe & temerariam ; ſiquidem ſanctus Joannes Damaſcenus Eraſmo antiquior, & in ſcriptis Baſilii multò magis verſatus, hoc ipſum 27. caput & verba
» ſuperiùs laudata ipſe integra retulit : « Sic,
» inquit [c] ille, ad verbum ait ſanctus Baſilius
» in vigeſimo-ſeptimo capite illius libri, quem
» de Spiritu Sancto triginta diſtinctum capi-
» tibus ad Amphilochium ſcribit : *Quæ in Ec-*
» *cleſia ſervantur & prædicantur inſtituta , par-*

[a] Lib. de Spir. S. cap. 27.
[b] Bellar. ibid. cap. 27. 29.
[c] Orat. 1. pro ſacris Imagin.

tim ex ſcripta conſtant doctrina, partim ex «
Apoſtolorum traditione &c. unde manifeſtum «
eſt, & Eraſmum hæc ſancti Baſilii loca temerè ſuſpecta habuiſſe, & Hermannum imprudenter hoc in loco uſum eſſe Eraſmi teſtimonio.

Caput II.

Si quando videntur Sancti Patres, aut ſecum ipſi pugnare, aut locuti duriora, nec rectæ fidei ſatis conſona, libros eorum non debere idcirco dici adulteratos, niſi reipsà adulteratos fuiſſe aliunde conſtet.

FUit adhuc hoc Rufino vitium, ut ſi fortè in Orthodoxorum Patrum operibus loca aliqua occurrerent, ubi exiſtimaret illos, aut ſibi non ſatis conſentire, aut ab Eccleſiæ doctrina aliquantùm recedere, eo ipſo cenſeret loca iſta ab Hæreticis fuiſſe adulterata, etiamſi nullo alio argumento factam eſſe corruptionem demonſtrare poſſet. Hanc ſe regulam ſecutum eſſe apertè profitetur, cùm ait[a]: « In «
veteribus ſanctis ac præjudicatis Catholi- «
cis viris... ſolo argumento ex rerum con- «
ſequentia, ac recti tenore, præſumpto oſ- «

[a] Ruf. pro Orig. Apolog. apud Hier. tom. 5. pag. 252.

» tenditur ac probatur : quòd ſi quid in libris eorum contra Eccleſiaſticam fidem invenitur, id inſertum ab Hæreticis potiùs, quàm ab his ipſis ſcriptum putetur. » Quæ judicandi regula nemo non videt, quàm fallax ſit, quàm multiplici errori obnoxia.

Hanc quidem Hieronymus Rufino reſpondens ſic explodit [a] : « Et quomodo, inquies, in libris eorum (Patrum ſcilicet Orthodoxorum) vitioſa nonnulla ſunt ? Si me cauſas vitiorum neſcire reſpondero, non ſtatim illos Hæreticos judicabo. Fieri enim poteſt, ut vel ſimpliciter erraverint, vel alio ſenſu ſcripſerint, vel à Librariis imperitis eorum paulatim ſcripta corrupta ſint. Vel certè antequam in Alexandria quaſi Dæmonium meridianum, Arius naſceretur, innocenter quædam & minus cautè locuti ſunt, quæ non poſſint perverſorum hominum calumniam declinare. » Ubi præter Hæreticorum perfidiam quatuor omnino cauſas refert Hieronymus, cur in operibus Patrum nonnulla ſint, quæ nos offendant.

Prima cauſa eſt, quòd illi, utpote homines, labi potuerint, ſintque errori obnoxii. Hoc ipſum de ſe ac ſuis operibus apertè ſignificat ſanctus Auguſtinus, cùm negat ſcriptis ſuis canonicam attribui poſſe

[a] Apol. adv. Ruf. lib. 2. tom. 4 pag. 409.

auctoritatem : « Iis quæ ſcripſimus[a], inquit, « ita noſtra vel aliorum exerceatur & erudia- « tur infirmitas, ut tamen in eis nulla velut « Canonica conſtituatur auctoritas. » De alio- « rum verò Patrum libris idem etiam cum Hieronymo planè conſentit. « Solis eis Scri- « pturarum libris, inquit[b], qui jam Canoni- « ci appellantur, didici hunc timorem ho- « noremque deferre, ut nullum eorum au- « ctorem ſcribendo aliquid erraſſe firmiſſimè « credam... Alios autem ita lego, ut quan- « tâlibet ſanctitate doctrinâque præpolleant, « non ideo verum putem, quia ipſi ita ſen- « ſerunt ; ſed quia mihi, vel per illos aucto- « res Canonicos, vel probabili ratione, quod « à vero non abhorreat, perſuadere potue- « runt. Nec te, mi frater, ſentire aliud exi- « ſtimo. «

Ex quibus ſancti Auguſtini verbis, ac præcipuè ex illo loco, quem priorem appellavimus, intelligitur, quàm temerè ſentiant, quàm longè ab ipſius ſancti Auguſtini doctrina recedant, qui eam, quæ inter damnatas ab Alexandro VIII. trigeſima habetur, propoſitionem propugnarunt : *Ubi quis invenerit doctrinam in Auguſtino clarè fundatam, illam abſolutè poteſt tenere & docere, non reſpiciendo ad ullam Pontificiam Bul-*

[a] Tom. 2. Ep. 193. num. 10. nov. Edit. num. 3. pag. 190.
[b] Epiſt. 82. ad Hier. tom. 2.
[c] Decret. dato 10. Dec. 1690.

lam. Nunquam ita de ſe, aut ipſe Auguſtinus ſenſit, aut ſentiri à nobis voluit.

Tertiam vitiorum, quæ aliquando in Patrum operibus occurrunt cauſam, Hieronymus eſſe ait Librariorum imperitiam, de qua jam diximus hujus operis initio.

Quartam repetit idem ſanctus Doctor, ex eo quòd anteriores illi Patres, quia ante Arii tempora ſcripſerunt, incautè aliqua dixerint, quibus nemo tunc abutebatur, abuſuros poſteà Hæreticos non præviderunt. Ita etiam Gregorium Neocæſa-
» rienſem excuſabat olim Baſilius. « Sanè qui
» Gentilem ad credendum perſuadere niti-
» tur, inquit [a], is non putat ſibi circa ver-
» ba exactiùs diſputandum eſſe; ſed alicubi
» conſuetudini ejus, quem ad fidem inducit,
» nonnihil condonat, dummodo principa-
» libus ac neceſſariis non reluctetur. Quare &
» multas illic invenias voces, quæ jam Hæ-
» reticis plurimùm addant roboris. » Eodem fermè modo Origenem in quibuſdam defendit Athanaſius. Quæ cùm ſatis ex ſe pateant, nihil eſt cur hîc fuſiùs explicemus. At paulò diutiùs in eo immorabimur, quod ſecundo loco poſuit Hieronymus.

Alteram ergo cauſam hanc affert, cur interdum Patrum dictis offendamur, nempe quòd alio ſenſu, quàm ſcripſerint, ip-

[a] Epiſt. 64.

ſorum ſcripta interpretemur. Multa ſunt enim apud Patres, antiquiores præſertim, quæ primâ quidem fronte apparent, aut inter ſe, aut fidei Catholicæ contraria; accuratiùs autem examinata & inſpecta penitius, rectè dicta reperiuntur & fidei conſona. Et verò vetuſtiſſimi Patres, de iis loquor, qui primis Eccleſiæ naſcentis temporibus, ſævientibus adhuc Tyrannis vixerunt, antequam Religio Chriſtiana Cæſarum ſolium conſcendiſſet; hi, inquam, quamvis traditam ſibi ab Apoſtolis doctrinam ſanctiſſimè ſervarent, laborabant tamen verborum penuriâ, quibus ſenſus ſuos intimos expanderent & populo explicarent. Neque enim lingua Græca aut Romana ullas voces habebat idoneas explicandis rebus ad hanc uſque diem, apud Græcos & Romanos inauditis. Quod mirum videri non debet; ſi quidem Romuli nepotum diſertiſſimum Ciceronem verba defecerunt, cùm ad transferendam in Latinum ſermonem Græcam Philoſophiam animum appellere cœpit. Unde licentiam nova verba fabricandi petiit & ſibi tribuit. *Dabitis*, inquit [a], *profectò, ut in rebus inuſitatis, quod Græci ipſi faciunt, à quibus hæc jamdiu tractantur, utamur verbis interdum inauditis.* Et paulò inferiùs [b]: *Tu verò, inquam, Varro,*

[a] Acad. quæſt. ad Varr. l. 1. | [b] Ibid.

bene etiam meriturus mihi videris de tuis civibus, ſi eos non modò copiâ rerum auxeris, ut effeciſti, ſed etiam verborum. Audebimus, ergo, inquit Varro, novis verbis uti, te auctore, ſi neceſſe eſt. Hoc ipſum eâdem pariter ætate auſus eſt inſignis Poëta Lucretius, cùm ad illuſtrandam Latinis verſibus Epicuri Philoſophiam, ſe accinxit. Sic enim Memmium amicum, cui opus ſuum dicat,
» alloquitur[a].

» *Nec me animi fallit, Græcorum obſcura reperta*
» *Difficilè inluſtrare Latinis verſibus eſſe:*
» *Multa novis verbis præſertim cùm ſit agendum,*
» *Propter egeſtatem linguæ, & rerum novitatem.*

Quòd ſi doctiſſimi atque eloquentiſſimi Romani Scriptores Cicero & Lucretius, Græcorum diſciplinas Latino ſermone explicare non potuerunt, quin nova rerum novarum facerent nomina: quantò magis primos Eccleſiæ Doctores inopiâ vocum laboraſſe neceſſe eſt, quibus non de humanis diſciplinis, ſed de altiſſimis ac reconditis Religionis Chriſtianæ myſteriis coram multitudine imperita fuit diſſerendum. Atqui illi nec tantæ erant auctoritatis, ut vel nova verba in uſum communem inducere, vel vetera ad uſum novum transferre poſſent: imò nec facilè poterant propter regionum longinquitatem, & ingruentes con-

[a] Lib. I. circa finem.

tinuò

tinuo perſecutionum tempeſtates, in unum locum convenire, ut aliquid communibus ſuffragiis ſtatuerent ac definirent. In his anguſtiis poſiti, & proprietate verborum deſtituti, non mirum eſt, ſi videantur aliquando, aut pugnantia loqui, aut myſteria nimis jejunè, nec ſatis aptis vocibus efferre.

Quæ res diligenter obſervanda, & maximè neceſſaria eſt ad ſolvendam difficultatem non parvam, quæ cordatis viris opera Patrum legentibus ſeſe ſtatim objicit. Neque enim ſatis intelligunt, quî fieri poſſit, ut antiquiſſimi Eccleſiæ Doctores, qui vel ab ipſis Apoſtolis fuerunt inſtituti, vel ſaltem proximè acceſſerunt ad Apoſtolorum tempora, præcipua Religionis Chriſtianæ capita aut ignoraverint penitus, aut confusè tantùm cognoverint. Quippe manifeſtum eſt eò puriores hauriri aquas, quò propiùs abſunt à fonte: vetuſtiſſimi autem Patres vel in ipſo fonte doctrinam Chriſtianam hauſerunt, vel in rivis non longè à fonte decurrentibus: puram ergo & lympidam doctrinam accipere, atque nobis tradere debuerunt.

Neque verò doctrina Chriſtiana inſtar eſt diſciplinarum humanarum, quæ cùm noſtri ingenii fœtus ſint, experientiâ, meditatione, concertationibus ſuccreſcunt in

dies & amplificantur. At ſingula fidei Chriſtianæ Myſteria, non experientiâ didicimus, non meditatione & ratiocinio collegimus, ſed ſolâ Dei revelatione accepimus. Iſta Diſcipulis ſuis Chriſtus revelavit, vel ipſe per ſe, vel per *Spiritum*[a] *veritatis*, qui eos *docuit omnem veritatem*. Quare Chriſtiana fides ſucceſſione temporum latiùs quidem diffuſa eſt, & à pluribus cognita gentibus ac ſuſcepta: tamen ab initio pura fuit & perfecta. Quî fit ergo, ut qui proximè ad Apoſtolorum tempora acceſſerunt Doctores, minùs accuratè Myſteria nobis explanare videantur, quàm qui poſt Concilium Nicænum floruerunt?

Cui difficultati ut reſpondeatur, ſtatuendum eſt omnino, anteriores illos Patres non minùs rectè ſenſiſſe de præcipuis Religionis Chriſtianæ capitibus, quàm poſteriores. Quod quidem manifeſtum erit, ſi ipſorum facta ponderare potiùs, quàm dicta ſcrupulosè excutere velimus. Iſta autem regula, quâ quid quiſque ſentiat ex factis judicatur, multò certior eſt, quàm illa quæ deſumitur ex ſolis verbis & modo loquendi; verba enim interdum ambigua ſunt, æquivoca; facta autem minimè. Igitur antiquiſſimorum Patrum facta ſi inſpiciamus, animadvertemus illico, fidem eorum vivi-

[a] Joan. 16. 13.

dam fuiſſe, puram, integram. Quid enim vividum magis & purum, quàm illa fides, quæ non modò exquiſitiſſimis tortorum cruciatibus, atque ipsâ morte fortior fuit; ſed etiam quæ omnes hæreſum peſtes ſemper deteſtata eſt, ſive illas quæ naturam Dei & unitatem, aut perſonarum in Deo Trinitatem impugnare auſæ ſunt, ſive illas quæ Chriſto Domino naturam ſeu divinam, ſeu humanam inviderunt, quæ adversùs illibatam beatæ Mariæ virginitatem, contra Baptiſmi vim & efficaciam, contra conceſſum lapſis remedium inſurrexerunt? Hæc & alia monſtra, ubi primùm nata ſunt, illi ipſi Patres, qui locuti ambiguè dicuntur & obſcurè, oppugnarunt & debellarunt. In Concilio autem Nicæno collecti in unum ex omnibus Romani Imperii Provinciis Epiſcopi, quàm unanimiter, quàm intrepidè in eo conſenſerunt, ut Arium damnarent, & Filio Dei naturam cum Patre conſubſtantialem aſſererent? Qui certè non tam ſubitò in unam eandemque ſententiam conſpiraſſent, ſi incerti fuiſſent & dubii, quid eſſet ea de re credendum; quid ſibi à Majoribus traditum.

At quorum fides perfecta erat & pura, qui factam de Myſteriis noſtris revelationem diſtinctè & certò cognoſcebant, eoſ-

dem in explicandis Myſteriis laboraſſe non mirum eſt. Nunc quidem temporis poſſunt Doctores de iiſdem Myſteriis enucleatiùs loqui & uberiùs diſſerere; quia jam ſuppetunt verba longo Eccleſiæ uſu trita, quibus ſenſus uſu ipſo affixus eſt explanandis Myſteriis idoneus. At illa verba, quibus jam tutò utimur, primis illis temporibus, vel nondum erant uſitata, vel ſaltem non habebant eandem poteſtatem & definitum illum ſignificatum, qui poſteà invaluit in Eccleſia. Unde fit, ut de quibus rebus jam expeditè loquimur, nonniſi ſtrictim & jejunè antiquiores illi Patres diſſerere potuerint. Indè etiam accidit, ut dum quibuſdam locutionibus Patrum eum ſenſum affigimus, quem nunc habent, Patribus tribuamus errores & menda, à quibus longè abfuerunt. In legendis enim Antiquorum Scriptis, quid verba nunc ſignificent, cogitamus; cùm potiùs attendere debeamus, quid eâ ætate ſignificaverint, quâ Scripta, quæ legimus primùm prodierunt.

Deinde quamquam certum eſt Religionis Chriſtianæ Myſteria non minùs clarè ab iis, qui Apoſtolos proximè ſecuti ſunt, cògnita eſſe, quàm à nobis: non eſt tamen negandum uſu, exercitatione, diſputationibus, ea quæ ex Myſteriis conſequuntur, quæ iiſdem adverſantur, eſſe clariùs cog-

nita. Quippe ea doctrinæ Chriſtianæ pars, quæ non eſt poſita in revelatione Dei immediata, ut loquuntur Theologi, ſed ea complectitur capita, quæ ex Dei revelatione diſſerendo colliguntur; ea pars, inquam, ſucceſſione temporis illuſtrari poteſt & quodammodo amplificari: quemadmodum & illa alia pars, quæ in inveniendis & quotidiano uſu terendis verbis Eccleſiaſticis conſiſtit; neque enim primis illis temporibus tanta erat hujuſmodi verborum copia, quanta nunc eſt; neque ea, quæ jam tum ab initio fuerunt uſitata, tam definitum habuere ſenſum, quàm nunc habent.

Atque hoc ut aliquot exemplis illuſtremus, quis legens genuinam nec interpolatam ſancti Ignatii Epiſtolam ad Epheſios, primo ſtatim intuitu non miretur, Chriſtum Dominum, quatenus Deus eſt, ab illuſtri Martyre, Apoſtolorum diſcipulo, *ingenitum* vocari? Quis enim neſciat *ingeniti* nomen eſſe proprium ſolius Patris? Quis non ſentiat eum, qui verè Deum habet patrem, qui eſt Deus ex Deo, qui eſt Filius Dei unigenitus, non poſſe dici *ingenitum?* Atqui ſanctus Ignatius, quanquam in eadem Epiſtola, atque alibi paſſim ait Chriſtum & habere Deum patrem, & eſſe Deum ex Deo, atque Filium Dei unigenitum,

eundem tamen appellat *ingenitum*. Sic enim loquitur [a]: εἷς ἰατρός ἐστι σαρκικός τε καὶ πνευματικός, γεννητὸς καὶ ἀγέννητος, ἐν σαρκὶ γενόμενος Θεὸς, ἐν θανάτῳ ζωὴ ἀληθινὴ καὶ ἐκ Μαρίας καὶ ἐκ Θεοῦ ..... Ἰησοῦς Χριστὸς ὁ κύριος ἡμῶν : id eſt : *Unus medicus eſt, carnalis & ſpiritualis, genitus & ingenitus, in carne exiſtens Deus, in morte vita vera, & ex Maria & ex Deo ... Jeſus Chriſtus Dominus noſter.* Ubi Chriſtus Dominus *genitus* quidem dicitur, quatenus ex Maria carnem aſſumpſit : *ingenitus* verò, quatenus in carne exiſtit Deus. Nodum hunc facilè ſolvet, quiſquis meminerit S. Ignatium ſcripſiſſe primo Eccleſiæ naſcentis ſæculo, cùm plerique Fideles, adhuc Neophyti, ac recèns è Paganiſmo ad Chriſti Religionem converſi, eum ſingulis vocibus ſenſum affigerent, quem Pagani Gentileſque affixerant. Gentiles autem per τὸ ἀγέννητον non id ſolum intellexere quod caret principio originis ſuæ, ſed etiam id omne quod non eſt creatum, quod non eſt factum ; ut monet ipſe [b] ſanctus Athanaſius, & videre eſt apud Platonem & alios. Porrò conſtat poſteriori hoc ſenſu Verbum divinum dici debuiſſe ἀγέννητον ; quippe de

[a] Edit. Uſſerii. ann. 1647. pag. 4.

[b] Ep. de Decr. Nic. Syn. c. 28. & ſeq. Nov. Edit. tom. 1. part. 1. pag. 233. & ſeq. Item lib. de Syn. cap. 46. & 47. Nov. Edit. tom. 1. part. 2. pag. 760. 761.

ſide Catholica eſt ipſum nec eſſe factum, nec creatum. Poſteriorem verò hunc ſenſum ſancti Ignatii fuiſſe ex eo manifeſtum redditur, quòd qui Chriſtum ἀγέννητον ideo dicit, quia in carne exiſtit Deus, idem doceat non modò ipſum eſſe Deum, ſed etiam eſſe ex Deo, & verè patrem habere Deum, imò & eſſe Filium Dei unigenitum. Certè qui ex Deo eſt, qui verè patrem habet Deum, qui eſt Filius Dei unigenitus, non caret omni principio originis ſuæ: tamen dici debet non factus, non creatus; ſiquidem ita Deum patrem habet, ut diviſam ab eo naturam non habeat; & ita eſt ex Deo Patre, ut ſit ipſi conſubſtantialis. Quæ cùm ita ſint, non poſſum, quin hoc in loco approbem Uſſerium Armachanum, qui ad ſancti Ignatii ſenſum attendens potiùs, quàm ad vim verborum, hæc duo vocabula, γεννητὸς καὶ ἀγέννητος, non interpretatur, *genitus & ingenitus*, ſed *factus & non factus*: ſic enim ſancti Ignatii ſententiam verè & accuratè expreſſit. Atque hanc ſuam interpretationem hauſiſſe videtur ex Athanaſio, qui eum ipſum ſancti Ignatii locum eodem planè ſenſu [a] explicat. At quanquam ſancto Ignatio licuit, Eccleſiâ naſcente, Verbum divinum ἀγέννητον dicere, ut declararet non eſſe factum: tamen

[a] Tom. 1. part. 2. lib. de Syn. cap. 46. & 47.

jam dudum nefas eſt iſta appellatione uti, cùm de Filio Dei agitur; quia longo Eccleſiæ uſu, poteſtas nominis hujus ἀγέννητον, determinata eſt ad ſignificandam proprietatem illam, quâ Pater ita Deus eſt, ut fontem originis ſuæ non habeat, nec ab altera perſona procedat: quemadmodum ubi de divina Trinitate agitur, ejuſdem Eccleſiæ uſu ac Decretis, poteſtas hujus nominis γεννητὸν determinata eſt ad ſignificandam mirabilem atque æternam divini Verbi in ſinu Patris generationem. Quare Nicæni Patres, poſtquam unanimi conſenſu proclamarunt Chriſtum Dominum Filium Dei unicum, eſſe ex Patre natum ante omnia ſæcula, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, ſtatim addiderunt ipſum genitum eſſe, non factum, ſed conſubſtantialem Patri. Verùm, ut jam dixi, non eſt idcirco reprehendendus ſanctus Ignatius; quippe cùm ſcribebat, Chriſtum ut Deum eſſe ἀγέννητον, non aliud hoc nomine intelligebat, quàm ipſum ut Deum non eſſe factum. Nondum enim Eccleſiæ ſtatutis & longo uſu, nomen ἀγέννητον hanc poteſtatem & definitum ſenſum acceperat, ut excluderet omnem naſcendi modum, etiam mirabilem illum, qui ſolius Verbi divini proprius eſt.

Simili excuſationis genere uſus eſt ſan-

ctus Athanaſius ad purgandam Patrum fidem, qui poſteriori Antiocheno Concilio adversùs Paulum Samoſatenum interfuerant. « Qui enim Paulum Samoſatenum depoſuerunt (Antiocheni Patres) inquit Athanaſius [a], vocem *conſubſtantialis* corporali modo accipiebant; quia Paulus ſophiſmate utebatur & dicebat; *Si Chriſtus non factus eſt ex homine Deus, ergo conſubſtantialis eſt Patri; atque adeo neceſſe eſt tres eſſe ſubſtantias, unam quæ præceſſerit, duas quæ ex illa ſint.* » Paulus enim voce hac, *conſubſtantialis*, ſic abutebatur, quaſi Catholicorum dicentium Filium eſſe conſubſtantialem Patri ſenſus fuiſſet, Patrem & Filium ex una quadam communi ſubſtantia, quæ prævia fuiſſet, profluxiſſe: unde reipsâ conſequeretur, tres eſſe ſubſtantias, unam, quæ prior eſſet, & duas alias, quæ ex illa proceſſiſſent: quemadmodum ſi vaſa duo fictilia ex eadem argilla conflata ſint, neceſſe eſt tres diſtingui ſubſtantias, argillam, ex qua vaſa, & ipſa vaſa, quæ ex argilla ſint. Igitur Antiocheni Patres, ut obſervat [b] ibidem

[a] Athan. lib. de Synodis cap. 45. Nov. Edit. tom. 1. part. 2. pag. 759.
Οἱ μὲν γὰρ τὸν Σαμοσατέα καθελόντες, σωματικῶς ἐκλαμβάνοντες τὸ ὁμοούσιον, τοῦ Παύλου σοφίσεσθαί τε θέλοντος καὶ λέγοντος, εἰ μὴ ἐξ ἀνθρώπου γέγονεν ὁ Χριστὸς, θεὸς, οὐκοῦν ὁμοούσιος τῷ πατρὶ, καὶ ἀνάγκη τρεῖς οὐσίας εἶναι, μίαν μὲν προηγουμένην, τὰς δὲ δύο ἐξ ἐκείνης.

[b] Idem ibid.
Διὰ τοῦτ' εἰκότως εὐλαβηθέντες

Athanaſius, « illud Pauli ſophiſma cùm jure meritò caverent, dixerunt Chriſtum non eſſe conſubſtantialem; neque enim Filius ita ſe habet ad Patrem, ut ille exiſtimabat. Qui verò Arianam hæreſim anathemate percuſſerunt, cùm Pauli calliditatem animadvertiſſent, & ſcirent conſubſtantialitatem non eſſe ita accipiendam, ubi quæſtio eſt de incorporeis rebus, & maximè de Deo; agnoſcerentque Verbum non eſſe creaturam, ſed prolem ex ſubſtantia; & ſubſtantiam Patris eſſe Filii principium, radicem ac fontem... ea de cauſa jure & ipſi Filium conſubſtantialem dixerunt. » Ita Athanaſius, ex cujus verbis manifeſtum eſt, vocem hanc, *conſubſtantialis*, diverſo planè ſenſu ab Antiochenis & à Nicænis Patribus eſſe intellectam: eandemque eo ſenſu acceptam, quo illam Paulus uſurpavit in Concilio Antiocheno, rejici potuiſſe: quanquam ſine ſcelere rejici non potuit poſt Concilium Nicænum, ubi verus ac legitimus ejus ſenſus aſtructus eſt ac planè definitus.

τὸ τοιοῦτον σόφισμα τοῦ Σαμοσατέως, εἰρήκασι, μὴ εἶναι τὸν Χριστὸν ὁμοούσιον. οὐκ ἔστι γὰρ οὕτως ὁ υἱὸς πρὸς τὸν πατέρα, ὡς ἐκεῖνος ἐνόει, οἱ δὲ τὴν Ἀρειανὴν αἵρεσιν ἀναθεματίσαντες, θεωρήσαντες τὴν πανουργίαν τοῦ Παύλου, καὶ λογισάμενοι μὴ οὕτως καὶ ἐπὶ τῶν ἀσωμάτων, καὶ μάλιστα ἐπὶ Θεοῦ τὸ ὁμοούσιον σημαίνεσθαι, γινώσκοντές τε μὴ κτίσμα, ἀλλ' ἐκ τῆς οὐσίας γέννημα εἶναι τὸν λόγον, καὶ τὴν οὐσίαν τοῦ πατρὸς ἀρχὴν, καὶ ῥίζαν, καὶ πηγὴν εἶναι τοῦ υἱοῦ, . . . τούτου ἕνεκεν εἰκότως εἰρήκασι καὶ αὐτοὶ ὁμοούσιον τὸν υἱόν.

Sic etiam Doctores Catholici conciliare inter ſe ſolent plurimos antiquos Patres, quorum alii unicam, alii tres in Deo *hypoſtaſes* eſſe contendunt. Utrobique enim eadem fuit doctrina: illis cenſentibus *hypoſtaſim* idem ſonare atque eſſentiam & ſubſtantiam, quo ſenſu Deo tribui debuit unica hypoſtaſis: his è contrario pugnantibus nomen *hypoſtaſis* ſignificare perſonam & ſubſiſtentiam, quo ſenſu rectè affirmatur tres eſſe in Trinitate *hypoſtaſes*. Diſſidebant ergo ſolis verbis, non ſententiâ: ac ne verbis quidem diſſediſſent, ſi jam tum univerſa Eccleſia nomini *hypoſtaſis* certum ac definitum ſignificatum uſu ſuo, ut poſteà fecit, affixiſſet.

Eodem adhuc modo videtur excuſari poſſe Tertullianus, cùm ait Deum eſſe corpus. Nam quamvis temporibus Tertulliani [a] *ſubſtantiæ ſpiritalis* nomen uſitatum erat, nec novum; quamvis idem diſertè docet [b] Deum eſſe ſpiritum, Verbumque divinum eſſe *ſpiritum de ſpiritu, propriamque* habere *ſubſtantiam ſpiritum*: quia tamen ſubſtantiæ ſpiritalis nomen tunc [c] *vulgus indoctum in uſum maledicti frequentabat*: & Romani, nomine *corporis*, id etiam intelligebant, quod in unaquaque re intimum eſt,

[a] Tert. Apolog. contr. Gent. num. 22.

[b] Ibid. num. 21.

[c] Ibid. num. 22.

& radix une profluunt ſingulæ cujuſque rei proprietates & attributa, ut vocant: uno verbo, quia tunc apud multos invaluerat uſus, ut *corpus* pro ipſa rei ſubſtantia acciperetur: potuit ſanè Deus hoc ſenſu dici corpus. Porrò non alio ſenſu locutum eſſe Tertullianum multis argumentis probatur. 1. Subſtantiam ipſe non aliter definit [a], quàm *rei cujuſque corpus*. 2. Idem declarat [b] id omne corpus eſſe, *quod non eſt accidens, quod ad ſubſtantiam pertinet, non ad habitum ſubſtantiæ*. 3. Diſertè docet [c] nomine corporis id ſolum intelligi *per quod aliquid eſt*: ubi addit *omne quod eſt, eſſe corpus ſui generis, nihilque eſſe incorporale, niſi quod non eſt*. 4. Animam hominis eſſe corporalem ex eo probat [d], quòd illa *habeat proprium genus ſubſtantiæ*. 5. Idcirco ait Deum eſſe corpus [e], quia omnis *ſpiritus eſt corpus ſui generis & in ſua effigie*. 6. Denique qui affirmat Deum eſſe corpus, idem tamen negat [f] Deum eſſe materiam. Quibus argumentis fortaſſe pariter excuſarem alium ejuſdem Tertulliani errorem, quo ſæpiùs ingeminat animam habere corpus ſui generis: niſi ille non modò tribueret animæ [g] *longitudinem & latitudinem & ſublimitatem, quibus corpora*

[a] Lib. adv. Hermog. n. 35.
[b] Lib. de Anim. num. 36.
[c] De carn. Chriſt. num. 11.
[d] De Reſur. carn. num. 17.
[e] Lib. adv. Prax. num. 7.
[f] Toto paſſim lib. adv. Hermog.
[g] Lib. de Anim. num. 8.

metantur Philoſophi ; ſed etiam aſſereret [a] animam *& lucidam eſſe*, *& aërii coloris*, *& forma per omnia humana.* Verùm cùm tantus vir tam turpiter hallucinatur, ſatis apertè ſignificat ſe hac in re recedere à communi Patrum traditione, atque ab ea regula, quam tam ſapienter, tamque firmis argumentis ſtabiliverat in egregio & laudatiſſimo libro *de Præſcriptionibus Hæreticorum:* neque enim hominem pudet palam profiteri opinionem illam, quam tuetur de colore & forma animæ novam eſſe & recèns acceptam revelatione cujuſdam muliercülæ è Schola Montani. Quâ ejus profeſſione factum eſt, ut ejus error nemini Catholico nocere poſſet. Et verò ſæpiſſimè accidit, ut antiquiores Eccleſiaſtici Scriptores ſicubi aliqua tradunt, quæ ab errore liberari nullo pacto poſſunt ; ibidem alia intermiſceant, ex quibus prudens Lector intelligat his in locis eos non eſſe locutos tanquam Traditionis Eccleſiæ teſtes. Neque hujus rei exempla, ſi vacaret, deeſſent ex Juſtino, Irenæo, Tertulliano, Cypriano, aliiſque : ſed illuc revertendum eſt tandem, unde oratio noſtra digreſſa eſt.

Igitur cùm inter antiquos Patres, aliqui interdum reperiantur, qui per humanam fragilitatem peccaverint ; alii, qui quam-

[a] Ibid.

vis recte ſenſerint, incommodè tamen ſint locuti, temerè ac falsò ſtatuit Rufinus, quod *ſi quid in libris eorum* (Patrum) *contra Eccleſiaſticam fidem invenitur, id inſertum ab Hæreticis potius, quàm ab his ipſis ſcriptum putetur.* Neque enim licet ulli libro accuſationem falſi inferre, niſi depravationem reipsâ factam fide dignus teſtis, vel ratio demonſtret.

Quâ autem id ratione demonſtrari poſſit, prudentes Critici norunt. Certè aliquando cum iis quæ antecedunt & ſubſequuntur, tam malè cohæret aſſutus locus, ut legentium oculis ſeſe ultrò fraus ipſa prodat. Atque hoc ita olim contigiſſe in quibuſdam Origenis opuſculis, anonymus quinti ſæculi Scriptor affirmat in libro, qui
» *Prædeſtinatus* inſcribitur. « Qui ſani ſenſus
» eſt, inquit [a], & habet ſplendidos oculos,
» ſic videt addita in Origenis opuſculis ma-
» la iſta, atque cognoſcit, ſicut ſi in ſtragulo
» coccineo pannos albos aut cujuſque alte-
» rius coloris cernat adſutos. » Quòd ſi interdum majori arte compacta fraus eſt, nec ſe primo intuitu adſuta prodit lacinia: non deſunt viris Catholicis judicandi regulæ, quibus ſe ab erroris periculo tueantur. Quas regulas priuſquam proferimus, oſtendendum quàm parum prudenter faciant, qui

[a] Hær. 43.

omnes Patrum lucubrationes ſuſpectas fore putant, ſi verum ſit aliquas olim ab Hæreticis eſſe violatas.

CAPUT III.

Etiamſi nonnulla Patrum opera malis artibus adulterata fuerint, non eſſe idcirco cœteras omnes ipſorum lucubrationes in ſuſpicionem falſi adducendas.

ORthodoxorum Patrum opera non debere ſine cauſa aut idoneo teſte dici adulterata, aut ſuſpecta haberi oſtendimus: at ubi manifeſta ſunt interpolationis indicia, aut fide dignus teſtis affirmat reipsâ fuiſſe interpolata vel adulterata, imprudenter faciat, qui factum neget. Iſtud quidem qui detrectant fateri, pio ſtudio faciunt, atque [a] *æmulatione Dei, ſed non ſecundùm ſcientiam.* Metuunt ſcilicet, ne ſi verum ſit quoſdam Patrum libros olim interpolatos fuiſſe & violatos, inde imminuatur veneranda Traditionis auctoritas. Piè illi quidem ac verè contendunt Patrum Traditionem ſartam ac tectam eſſe debere. Sed vano percelluntur metu, cùm opinantur aliquid de inconcuſſa Traditionis

[a] Rom. 10. 2.

firmitate ab iis detrahi, qui Hæreticorum in falſandis Patribus fraudes detegunt ac manifeſtant.

At inanem hanc ſuam formidinem ut tandem deponant; oſtendamus fluxo illam ac futili planè niti fundamento. Sic enim iſti arguunt. Si conceditur, inquiunt, veteres quoſdam Hæreticos iſtud fraudibus ſuis perfeciſſe, ut nonnulla Patrum opera vitiarentur; prudenter ergo facit, qui ſic Patres legit, ut ſemper timeat, ne quæ in his occurrunt dogmata à Falſariis inſerta fuerint: imò Eccleſiæ Catholicæ hoſtes, Patrum auctoritatem ut eludant, poterunt eodem jure contendere, addita eſſe à Catholicis ea ipſa loca, quibus ſingulæ hæreſes configuntur.

At primò iſta qui objiciunt, meminiſſe debent, regulam hanc eſſe ſtatutam, firmiſque argumentis ſtabilitam, ut ne quis liber interpolatus dicatur, niſi de interpolatione, vel certiſſima ratione conſtet, vel idoneo antiqui Scriptoris teſtimonio. Quæ regula ſi obſervatur, jam nullum periculum eſt, ne Hæretici dicant in libros Patrum ea eſſe à Catholicis invecta fraudulenter loca, quibus hæreſes impugnamus ac novitatis convincimus. Hujuſmodi enim accuſatio, niſi Veterum auctoritate, aut certâ aliâ ratione nitatur, rejicienda eſt tanquam

quam futilis. Nullo autem argumento poteſt niti: igitur non eſt timendum, ne quod Hæreticis objectamus, ipſi pariter in nos retorqueant.

Deinde novarum hæreſum Magiſtri, quibuſcum rem nunc temporis habent Catholici, iſtud nobis opponere multò minùs poſſunt. Quippe teſtimonia Patrum, quibus Eccleſiæ Catholicæ definitiones tuemur, non modò in editis libris extant, ſed etiam in codicibus ſcriptis longè antiquioribus, quàm ſunt Sectæ contra quas hæc teſtimonia producuntur. Cùm ergo Librarii, à quibus codices ſunt exarati, ne divinando quidem conjicere potuerint futuras aliquando ejuſmodi Sectas; nullo pacto venire poſſunt in ſuſpicionem, ne illa libris quos deſcribebant inſeruerint dogmata, quæ nemo tunc impugnabat, nemo olim impugnanda eſſe ſuſpicabatur.

Tertiò denique Eccleſia Catholica, ut in ſequenti capite ſum demonſtraturus, falſarios ſemper odio habuit, illos anathemati ſubjecit, ſpurioſque eorum fœtus proſcripſit. Quare nonniſi temerè & falsò in ipſam ejuſque filios rejiceretur crimen falſi, quod Hæreticis exprobravimus.

Quæ cùm ita ſint, ex eo quòd Hæretici dicantur Patrum operibus non peperciſſe, hoc unum conſequens eſſe poteſt, nempe

loca illa, ubi pravæ Hæreticorum opiniones fortè occurrerent, ſuſpecta eſſe debere: reliqua verò, in quibus nihil habetur, quod ad Hæreticos illos falſatores pertineat, ubi ipſorum hæreſes impugnantur, confutantur & rejiciuntur, non modò non ſuſpecta eſſe debent, ſed multò firmioris auctoritatis. Neque enim cenſeri poſſunt Hæretici hæc adjeciſſe, quæ ipſorum opinionibus contraria ſunt. Falſabant illi veteres libros Eccleſiaſticos, ut haberent errorum ſuorum ſocios & patronos. Suſpecta ergo ſint, ſi ita placet, omnia Patrum loca, quæ videntur errori patrocinari: firma manet & inconcuſſa Traditionis auctoritas, modò ſana judicentur & indubitata, quæcumque doctrinam Eccleſiæ adſtruunt, vindicant adversùs hæreſum impietatem & tuentur; quippe Traditio non ex illis, ſed ex his duntaxat locis eruitur.

Deinde ut meticuloſos homines ſuâ formidine omnino liberemus, peto quid ſentiant de illis Eccleſiaſticis operibus, quæ vulgò à viris doctis tanquam ſpuria & Patribus ab Hæreticis falsò ſuppoſita reprobantur. Negabuntne ulla eſſe hujuſmodi? Id ſi tentaverint, imperitos ſe probabunt, & omnis doctrinæ expertes. Nemo enim eſt, vel mediocriter in lectione Patrum verſatus, qui neſciat inter veteres Scriptores

Eccleſiaſticos vix ullum eſſe paulò illuſtriorem, ſub cujus nomine plura opera ſpuria poſtmodum non prodierint. Cujus rei, ſi neceſſe foret, infinita proferrentur exempla: verùm res illa ita clara eſt, ut etiam oculis ſubjici poſſit; quippe veterum Patrum opera vulgò ab Editoribus in tres claſſes diſtribuuntur, quarum prima genuinos & certos, ſecunda dubios, tertia ſpurios Patrum fœtus continet: hos autem poſteriores ad calcem voluminis in Appendicem rejicere mos eſt. Cùm igitur in comperto ſit, multos eſſe libros ſub Patrum nominibus vulgatos, quos tamen planè ſpurios eſſe conſtat: ſi quis tam certam, tamque manifeſtam veritatem confiteri nunc refugiat hoc vano prætextu, ne inde aliqua falſi ſuſpicio in libros Patrum genuinos derivetur ac profluat: ridebunt omnes ejuſmodi vanum timorem, & variis argumentis demonſtrabunt, firmiſſimam ſtare genuinorum operum auctoritatem, etiamſi non pauca ſpuria eſſe ultrò agnoſcamus.

Iiſdem autem planè rationibus oſtendi poteſt, ſuam integris Patrum operibus conſervari auctoritatem ab iis, qui nonnulla Patrum opera ab Hæreticis adulterata fuiſſe contendunt. Uno verbo, nemo niſi omnis doctrinæ rudis negaverit multa opera Patribus fuiſſe falsò ſuppoſita: nemo ta-

men, niſi ratione omnino deſtitutus, idcirco univerſa Patrum opera aut rejicere velit, aut ſuſpecta habere. Ita etiam quamvis certum eſt nonnullas Patrum lucubrationes Hæreticorum artibus & dolis corruptas fuiſſe: non poteſt tamen inde colligi cœteras omnes in ſuſpicionem falſi venire debere, aut imminutam eſſe Traditionis auctoritatem. Et verò adversùs Falſariorum artes variis modis doctrinam ſuam Eccleſia Catholica munivit, ut ſequentibus in capitibus ſumus expoſituri.

Caput IV.

Pluribus Patrum operibus, quæ ab Hæreticis vitiata fuiſſe conſtabat, fidem eſſe abrogatam.

QUanquam Eccleſia Catholica magno ſemper in honore habuit ſinceras Orthodoxorum Patrum lucubrationes: quas tamen comperit ab Hæreticis interpolatas fuiſſe & depravatas, abrogatâ iis fide cavit, ne mentito illuſtrium virorum nomine decepti Fideles in errorem abducerentur. Atque ita factum eſt, ut fraus Hæreticorum nihil noceret Eccleſiæ, & ſua Traditioni auctoritas firma permaneret. Quippe ubi

de Traditione Patrum quæſtio eſt, ad illam inveſtigandam, non ea conſuli debent monumenta, quæ Eccleſia repudiat: ſed quæ ſuſcipit & veneratur. Falli volunt, qui iis falluntur ſcriptis, quæ vel Eccleſiaſticis judiciis palam confixa ſunt, vel etiam à privatis Doctoribus Orthodoxis legitima de cauſa pro ſuſpectis habentur. Quæ enim Eccleſia proſcribit, omnino legi non debent: quæ verò religioſi & eruditi viri ſuſpecta habent, non debent legi ſine cautione. Ex neutris autem certa traditio eruitur: non ex primis, quæ vitiata eſſe conſtat: non ex aliis, de quibus dubitatur utrùm vitiata ſint.

Pluribus autem operibus, quæ malitia Hæreticorum corruperat, abrogatam eſſe fidem, patet ex Epiſtola Innocentii primi, ac Synodo Romana à Gelaſio celebrata. Ac primò ſuperiùs laudavimus notiſſimam Innocentii primi Epiſtolam ad Exuperium Toloſanum Epiſcopum[a], in qua poſt deſcriptum Librorum divinorum Canonem vigilantiſſimus Pontifex diligenter admonet, ut *non modò repudientur, verùm etiam damnentur* conficta ſub Apoſtolorum nomine Acta, atque inter illa *Acta Andreæ*, quæ olim à Manichæis aliiſve Hæreticis adulterata fuiſſe diximus.

[a] Tom. 2. Conc. pag. 1256. art. 7.

Sed illud cæteris omnibus uberiùs præſtitit Gelaſius Papa in Concilio Romano, quod anno Chriſti 494. celebratum eſt, ubi non modò Sacri Libri Canonici ab Apocryphis, ſed etiam opera Patrum ſincera à ſuppoſititiis, aut corruptis ſecernuntur.

Igitur in eo Concilio Gelaſius cùm ſeptuaginta Epiſcopis, qui intererant, multa decernit, inter quæ hæc maximè ad rem noſtram pertinent.

„ Geſta ſanctorum Martyrum [a], inquit, ... „ ideo ſecundùm antiquam conſuetudinem, „ ſingulari cautelâ in ſancta Romana Eccle- „ ſia non leguntur, quia & eorum qui con- „ ſcripſere nomina penitus ignorantur; & ab „ infidelibus aut idiotis ſuperflua, aut minùs „ apta, quàm rei ordo fuerit, ſcripta eſſe pu- „ tantur; ſicut cujuſdam Quirici & Julitæ, „ ſicut Georgii aliorumque paſſiones, quæ ab „ Hæreticis perhibentur compoſitæ. Nos ta- „ men cùm prædicta Eccleſia omnes Marty- „ res & eorum glorioſos agones, qui Deo „ magis, quàm hominibus noti ſunt, omni „ devotione veneramur. » Ubi nemo non mirari debet prudentiſſimam Gelaſii ac cæterorum Epiſcoporum, qui huic Concilio aderant, agendi rationem. Rejiciunt illa quidem Martyrum acta, quæ vel ab Hæreticis conficta fuerant, vel erant incerti

[a] Tom. 4. Conç. pag. 1263.

auctoris, vel quædam continebant ſuperfluè, ineptè ſcripta ab *infidelibus aut idiotis*: at iſta dum rejiciunt, ipſos Martyres & eorum glorioſos agones omni devotione venerantur. Quorum plenum prudentiâ judicium utinam hujus ætatis noſtræ Critici ſemper imitati eſſent! neque eò temeritatis devenirent, ut quia in quibuſdam Martyrum actis nonnulla animadvertunt aut falſa, aut inepta, aut interpolata, ipſos Martyres repudient, & tantùm non ex albo Sanctorum deleant. In quo virorum acutorum, ut quidem videri volunt, nemo non judicium deſideret; quippe qui non ſentiant falſarios nunquam iſtud ſcelus auſuros fuiſſe, ut ſuppoſititia ſub nomine Martyrum acta conſcriberent, niſi Martyres ipſos, quorum acta fingebant, extitiſſe in comperto fuiſſet.

2. « Scripta de inventione crucis Dominicæ [a], inquit, & alia ſcripta de inventione capitis Joannis Baptiſtæ, novellæ quædam relationes ſunt, & nonnulli eas Catholici legunt. Sed cùm hæc ad Catholicorum manus pervenerint, beati Pauli Apoſtoli præcedat ſententia: [b] *Omnia probate; quod bonum eſt, tenete.* » Alia ergo in his relationibus bona erant, quæ retinenda: alia minùs bona, quæ rejicienda.

3. Idem etiam doctiſſimus Pontifex do-

[a] Ibid.

[b] 1. Theſſ. 5 21.

cet, quinam Origenis libri ſuſcipi, qui vitari debeant; ſimulque admonet, Euſebii Cæſarienſis opera non ſine cautione eſſe
» legenda. « Origenis, inquit[a], nonnulla opuſ-
» cula, quæ vir beatiſſimus Hieronymus non
» repudiat, legenda ſuſcipimus. Reliqua au-
» tem omnia cum auctore ſuo dicimus eſſe
» renuenda. Item Chronica Euſebii Cæſa-
» rienſis, & ejuſdem Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ
» libros: quamvis in primo narrationis ſuæ
» libro tepuerit, & poſteà in laudibus atque
» excuſatione Origenis Schiſmatici unum
» conſcripſerit librum: propter rerum tamen
» notitiam ſingularem, quæ ad inſtructionem
» pertinent, uſquequaque non dicimus eſ-
» ſe renuendos.

4. Poſtquam plurimorum Doctorum, quos præcipuo honore ſemper venerata eſt Eccleſia Catholica, nomina recitavit, ge-
» neratim etiam decernit legi poſſe[b], « Opuſ-
» cula atque Tractatus omnium orthodoxo-
» rum Patrum, qui in nullo à ſanctæ Romanæ
» Eccleſiæ conſortio deviarunt, nec ab ejus
» fide vel prædicatione ſejuncti ſunt; ſed ipſius
» communionis per gratiam Dei uſque in ul-
» timum diem vitæ ſuæ fuere participes.

5. Denique longam apocryphorum librorum ſeriem pertexit[c]; eorum ſcilicet,

[a] Ibid.
[b] Ibid.
[c] Ibid. pag. 1164. & ſeq.

qui vel ex omni parte ſupppoſititii, vel adulterati, vel ab Hæreticis ſcripti fuerunt, eoſque planè repudiandos ac damnandos eſſe pronuntiat. Iis porro libris apocryphis annumerat, & *librum Canonum Apoſtolorum*, & *Itinerarium nomine Petri Apoſtoli, quod appellatur ſancti Clementis libri octo, & Actus nomine Andreæ Apoſtoli, & Evangelia quæ falſavit Lucianus, & librum qui appellatur Paſtoris, & opuſcula alterius Clementis Alexandrini*; quos libros ſuperiùs monuimus, olim ab Hæreticis fuiſſe adulteratos.

Igitur & memoratâ Innocentii primi Epiſtolâ & Synodi Romanæ à Gelaſio Papa celebratæ decretis, & pluribus ſanctorum Doctorum ſcriptis factum eſt, ut pravæ Hæreticorum artes in corrumpendis Patrum operibus, non poſſent inconcuſſæ Traditioni ullo pacto officere. Falſariorum enim artes nocere quidem poſſunt, quandiu latent: at ubi primùm detectæ ſunt, recidunt in eorum infamiam, qui illas moliuntur. Perfidiam autem Hæreticorum non latuiſſe Eccleſiæ, ipſorum fraudes varias fuiſſe cognitas oſtendimus: atque decretum, ut corrupti ab iis libri vel repudiarentur, ſi omni ex parte venenum hæreſis eos infeciſſet, vel non ſine cautione legerentur, ſi aliqua tantùm ex parte vitiati eſſent.

Caput V.

Perfidè ab Hæreticis inducta in Patrum libros loca multa, vel jam emendata eſſe, vel facilè emendari poſſe.

ALtera cauſa eſt, cur Hæreticorum monumenta Eccleſiaſtica falſantium impietas Traditioni minimè noceat, quòd Catholicorum ſtudio in integrum jam reſtituta ſint plurima Patrum loca, quæ ab Hæreticis fuerant corrupta. Cujus rei luculentum habemus exemplum in ſeptem genuinis ſancti Ignatii Epiſtolis. Ignatii Epiſtolas qui primi typis mandarunt, ſpurias ſimul cum genuinis, atque has, non ut erant ab illuſtri Martyre ſcriptæ, ſed corruptas & interpolatas vulgaverant. Verùm quia non potuerat Interpolator ſinceros omnes codices antiquos, aut corrumpere, aut abolere, illi tandem è Bibliothecarum forulis eruti prodierunt in lucem, & ſincerum nobis Ignatium exhibuerunt.

Secundum ejuſdem rei exemplum repetimus ex celeberrima Athanaſii Epiſtola ad Epictetum. Miſerè illa deformata fuerat Neſtorianorum arte. Sed quia non potuerant illi exemplaria, quæ in Alexandrinæ

Eccleſiæ Bibliotheca aſſervabantur, corrumpere, nec cognoverant eamdem integram recitari ab Epiphanio; irritus conatus fuit, & fraudes detectæ, non ſine graviſſima ipſorum ignominia. Quippe ubi primùm in Cyrilli Alexandrini cognitionem venit ſcelerata perfidorum hominum aſtutia, ſincera Epiſtolæ exemplaria conſcribi juſſit, ac ſummo ſtudio miſit, quocumque ſuſpicatus eſt adulterata perveniſſe.

Tertium exemplum nobis ſubminiſtrat ſexta Synodus generalis; in qua legati Agathonis Papæ contenderunt & evicerunt falſata fuiſſe, tam *duos membranaceos libros ſancti Quinti Concilii*, quàm *volumen chartaceum* ſeptimam ejuſdem Concilii actionem continens, quæ producta *è Bibliotheca venerabilis Patriarchii* Conſtantinopolitani Georgius Diaconus & Carthophilax Patribus Concilii porrexerat; quippe compertum eſt in his ſubdolè inſertas fuiſſe, & ſuppoſititiam Mennæ ad Vigilium Epiſtolam, & duas Vigilii ad Juſtinianum Imperatorem & Theodoram Auguſtam Epiſtolas pariter ſuppoſititias: atque idcirco in jam dictis tribus voluminibus adjectos fuiſſe vel mutatos Quaterniones. Verùm & detecta fraus eſt, & Concilii ſtudio factum eſt, ne deinceps quemquam fallere poſſet. Nam 1. declaratum eſt iſtam Actorum quinti Con-

cilii depravationem *operatione diabolicâ adversùs recta dogmata* factam eſſe. Deinde Decretum, ut volumen quidem chartaceum *caſſaretur in locis ubi adjectiones* factæ fuerant: duo verò membranacei libri *obelis obducerentur* in locis, in quibus depravati erant, & pariter *caſſarentur*: illi autem, qui falſaverant, anathemati ſubmiſſi. Cætera verò exemplaria ejuſdem Concilii, ſive Græca, ſive Latina, quæ Georgius Monachus, aut à ſe, aut ab iiſdem Hæreticis adulterata fuiſſe pariter confeſſus eſt, cùm non haberentur ad manus, emendari, obduci obelis & caſſari non potuerunt: iis tamen apud quos aſſervabantur, conſuluit ſancta Synodus, cùm hujuſmodi perfidiam deteſtata *anathema* dixit *omnibus qui falſaverant acta ſancti & univerſalis quinti Concilii.*

Quarti exempli loco erunt tres Joannis Octavi Epiſtolæ à Photio quondam corruptæ, quarum etiamnum geminum habetur exemplar: corruptum alterum extat in actione ſecunda Synodi, quam Photius Conſtantinopoli celebravit: genuinum alterum & ſincerum aſſervatur in Regeſto Romanorum Pontificum. Utrumque oculis ſubjicit Baronius, atque ita componit, ut nemo non ſentiat Epiſtolas illas quales à Photio recitatæ ſunt, interpolatas; quales Ro-

mæ aſſervantur, eſſe ſinceras.

Quintum exemplum erit Ambroſii Mediolanenſis & Procli Conſtantinopolitani, quorum loca quædam ab Acephalis Hæreticis falſata fuiſſe traditur in libro, cui titulus, ὁδηγός. Nam [a] ubi Ambroſius de Chriſto Deo & homine ſcribens dixerat, *ſervemus differentiam divinitatis & carnis*: Hæretici, ne ipſis Catholici tantum tamque probatum teſtem objicerent, verbis ejus corruptis ſcripſerunt, *ſervemus differentiam lectionis*. Sic etiam cùm beatus Proclus Chriſtum abſque corruptione natum eſſe, & Beatum Thomam Apoſtolum in eo agnoviſſe *naturarum conjunctionem*: Acephali mutatis Procli verbis ſcripſerunt Chriſtum natum eſſe *nulli obnoxium corruptioni*, & ſanctum Thomam in Chriſto *non* agnoviſſe naturarum conjunctionem. Verùm quia Acephali nonniſi pauca Ambroſii & Procli exemplaria habuere in manibus: ipſorum ſceleris memoria conſervata eſt quidem ab Anaſtaſio Sinaïta: Ambroſii verò & Procli textus ex veris & genuinis exemplaribus illibatus & integer hac in parte poſteritati tranſmiſſus eſt.

Atque hæc exempla ſufficiant, ut intelligamus, cur non pauca ex his Patrum locis, quæ ab Hæreticis olim depravata fue-

[a] Vide ſupra lib. 2. part. 1. cap. 14.

rant, emendata tamen hodie habeantur & in integrum reſtituta. Addo ex his, quæ nondum reſtituta ſunt, plurima etiamnum facilè reſtitui poſſe: idque tres potiſſimum ob cauſas. Prima eſt auctoritas Patrum, qui nonnulla appellant loca ex his, quæ ab Hæreticis falſata fuiſſe compererunt. Secunda eſt, manuſcriptorum codicum differentia; nam cùm Hæretici non haberent omnia Patrum exemplaria in ſua poteſtate, nonniſi difficillimè ſua σφάλματα in omnes Catholicorum codices traducere potuerunt: quare etiamſi magna fuerit ipſorum perverſitas, tamen ferè ſemper aliqui remanſerunt incorrupti codices, ex quibus alii nunc emendari poſſunt. Tertia denique, falſariorum imprudentia fraudem ſuam tam malè aliquando texentium, ut illa attentos eruditoſque oculos ſtatim feriat. Quæ tria aliquot exemplis nunc illuſtranda ſunt. Unum aut alterum ſufficiet.

1. Extant nunc duæ ſancti Cyrilli Alexandrini Epiſtolæ ad Succenſum, quarum quæ prior eſt, non habetur à nobis, qualis à Cyrillo edita eſt, & qualis olim habebatur in exemplari Alexandrino Bibliothecæ Patriarchalis: ſed qualis à Severianis corrupta fuit. Scripſerat enim Cyrillus δύο τὰς φύσεις εἶναι φαμὲν, *duas (in Chriſto) naturas eſſe dicimus*: hunc autem locum ita

nunc legimus in editis Cyrilli libris [a], δύο τὰς φύσεις εἶναι φαμὲν τὰς ἑνωθείσας, duas (in Chriſto) naturas eſſe dicimus unitas. Ubi redundat participium illud τὰς ἑνωθείσας à Severianis adjectum. Neque enim negabant iſti duas in Chriſto naturas fuiſſe unitas: ſed aïebant naturas illas poſt unionem non eſſe duas & diſtinctas. Jam verò quid facilius eſt quàm locum hunc emendare; & ſuppoſititiæ lectioni illam ſubſtituere, quam legitimam fuiſſe, & cui olim ſuffragatum fuiſſe Alexandrinum Bibliothecæ Patriarchalis codicem, ſanctus Anaſtaſius Sinaïta teſtis oculatus [b] docet?

2. Apud Hilarium legimus in Editionibus quibuſdam *adoptatur*, ubi olim ſcriptum fuiſſe *adoratur* Alcuinus & Hincmarus affirmant. Veterem hanc lectionem retinent adhuc nonnulli codices; factæ fraudis veſtigia ſuperſunt in exemplari, quod fuit olim Bibliothecæ Aquiſgranenſis: quid prohibet quominus vetus & ſincera lectio recentiori & adulterinæ anteponatur?

3. Idem dici poſſet de libro *adversùs quinque hoſtium genera*, qui inter opera Auguſtini editus eſt, & quem olim à Gotheſcalci fautoribus adulteratum fuiſſe ſcimus. Nam genuinæ lectioni non Hincmarus tan-

[a] Tom. 5. part. 2. pag. 137.

[b] In libro, cui titulus, *Via dux*, pag. 199.

tùm, ſed etiam multi codices manuſcripti favent. Fraudem præterea manifeſtam facit verborum ſeries, & antecedentes ac conſequentes ſententiæ, quæ inductam à Gotheſcalci amicis laciniam minimè ferant.

Multò evidentiùs ſeſe in Origenis operibus prodidiſſe Hæreticorum perfidiam docet anonymus auctor libri, qui inſcribitur *Prædeſtinatus*, & à Sirmundo noſtro editus eſt. « Qui ſani ſenſus eſt,[a] inquit ille, » & habet ſplendidos oculos, ſic videt addita in Origenis opuſculis mala iſta, atque » cognoſcit, ſicut ſi in ſtragulo coccineo pannos albos aut cujuſque alterius coloris cernat adſutos.

Cùm ergo adulterata ab Hæreticis Patrum loca multa, aut jam emendata ſint, aut ſaltem emendari poſſint, quis jure contendat inſanabile ipſi Patrum Traditioni vulnus infligi; ſi quis quod verum eſt & certiſſimis teſtimoniis comprobatum, hodie contendat, magnam olim fuiſſe Hæreticorum in falſandis Patrum operibus impudentiam? Traditionem violant, non qui certam veritatem adſtruunt; ſed qui temerè contendunt, Traditionem ſtare non poſſe, niſi id pro vero habeatur, quod falſum eſt.

[a] Hær. 43.

CAPUT

CAPUT VI.

Cùm veteres Scriptores non diſtinctè ea deſignarunt loca, quæ ab Hæreticis corrupta fuerant; tamen quænam illa ſint, facilè conjici, modò ſciamus, quænam opera & à quibus Hæreticis fuerint corrupta.

EX his quæ Hæretici in operibus Patrum vitiaverunt, alia quidem aut jam emendata ſunt, aut emendari facilè poſſunt: quædam tamen reſtant emendanda, & quæ videntur vix emendari poſſe; quia ubi nævus ſit, latet, neque enim ſemper ab Antiquis diſtinctè notata ſunt loca, quæ *ſtylum adulterum* experta ſunt. Quæ ſi concedimus, inquient Adverſarii, fatendum eſt etiam, nulla veterum Patrum ſcripta legi poſſe ſine metu; cùm ſemper periculum ſit, ne in aliquem locum incurramus, quem Hæretici clanculum corruperint.

Cui objectioni ut ſatisfaciamus, primò revocandum in memoriam, quod ſuperiùs demonſtravimus, nulli libro aut textui intentandam eſſe accuſationem falſi, aut etiam ſuſpicionem aſpergendam ſine idoneo teſte aut ratione legitima. Deinde illud accuratè obſervandum, quòd vel ipſa argumen-

tatio, propter quam factam eſſe fraudem aut evincimus, aut ſuſpicamur, promptum ſuggerat adversùs illam remedium. Nam vel definitus aliquis locus, vel totus liber arguitur aut ſuſpectus eſt falſi: ſi definitus aliquis locus, ille jam emendari poterit, aut ſaltem nullius erit auctoritatis; atque adeo non officiet Traditioni. Si certò ſcimus, aut etiam ſuſpicamur non temerè, depravationem factam eſſe; quo autem in loco, quibus in verbis facta fuerit, maneat incertum; nullum tamen vir prudens incurret errandi periculum, modò non ignoret à quibus Hæreticis, qua in regione, quove in libro depravatio facta ſit: hæc autem omnino ignorari non poſſunt, ſi reipsâ factam eſſe depravationem aut idoneus teſtis tradat, aut certo argumento demonſtretur. Quippe cùm Patres Hæreticis falſi crimen exprobrant, ſolent aut Falſariorum nomen appellare, aut ſaltem ipſorum Sectam deſignare. Sectam autem Falſarii qui cognitam habet, vel hoc uno perſpicit, quæ ille loca adulterare potuerit. Neque enim alio conſilio librum adulterat Hæreticus, quàm ut errores ſuos inſerat, vel deleat dogmata erroribus ſuis contraria.

Verbi gratiâ corrupta olim fuiſſe Cyrilli Alexandrini opera ſcimus, quibus in locis corrupta fuerint neſcimus. Quia tamen

iſtud Severianorum Acephalorumque flagitium fuit: ſicubi occurrerent in libris S. Cyrilli loca, quæ Eutychianæ faverent hæreſi, cui Severianos adhæſiſſe certum eſt; non imprudenter faceret, qui iſta ex his eſſe ſuſpicaretur, quæ à Severianis falſata Anaſtaſius Sinaïta in libro qui inſcribitur ὁδηγὸς, *Deo teſte* affirmat. Scimus etiam non pauca ſanctorum Hieronymi, Auguſtini, Iſidori & Bernardi opuſcula ab impio illo Arnaldo, qui Albigenſium errores profitebatur, vitiata fuiſſe. Si quid ergo in ſcriptis manu poſt decimum-tertium ſæculum iſtorum Patrum opuſculis fortè reperiretur, quod hæreſim Albigenſium redoleret, nec in anterioribus exemplaribus legeretur: nonne fas eſſet hæc ipſa loca ſuſpecta habere, tanquam ab Arnaldo intruſa? Iſtud ſanè liceret, præſertim ſi hujuſmodi loca in his dumtaxat reperirentur codicibus, quos in Oxitaniæ vel Hiſpaniæ partibus, ubi Arnaldus vixit, ſæculo decimo-tertio ſcriptos eſſe conſtaret. Tunc enim eſſet ſimillimum vero iſtos codices ex his eſſe, *quos velociſſimus Scriptor*, idemque perfidus Falſarius magno numero exſcriptos Arnaldus, aut diſtraxit, aut diſtribuit.

Unde intelligas, quanti momenti ſit in novis Patrum Editionibus, non modò diligenter, quoad fieri poteſt, annotare,

quibus in Bibliothecis nunc aſſerventur; ex quibus olim prodierint codices, ad quos ſingula opera recognoſcuntur: ſed etiam quoties varia lectio, quæ alicujus momenti ſit, exhibetur, ſigillatim appellare codices, unde illa deſumpta eſt. Hæc enim diligentia aliquando utilis eſſe poteſt ad dijudicandum, utra lectio ſuſpecta eſſe debeat, utra alteri anteponenda. Quis enim in iſto judicio ferendo illam præ altera lectionem ſeligere velit, quæ non invenitur niſi in exemplari exſcripto à perfidis aut ſuſpectis hominibus, quorum ita ſcribi intererat?

Nunc verò ut redeamus ad rem noſtram, hæc cauſa eſt, cur etiamſi Veteres non ea ſemper diſtinctè loca appellent, quæ in Patrum libris adulterata ſunt; non poſſit idcirco Falſariorum perfidia univerſa Patrum opera ſuſpecta facere falſi; quia ſcilicet ubi corrupta loca ſigillatim non deſignantur, tamen ut plurimùm definitur, quinam libri & à quibus Hæreticis corrupti ſint. Cujus rei notitiafacit, ut nec univerſi libri, ſed pauci dumtaxat, nec illi ubicumque ſuſpecti eſſe debeant, ſed in iis tantùm locis, ubi aliquid ſcriptum eſt, quod ad hæreſim illorum, qui librum adulteraſſe dicuntur, vel confutandam, vel ſtabiliendam inſervire poſſit. Quæ ſanè loca nec

debent legi ſine attentione, nec laudari ſine cautione. Hoc ipſum ſenſerat Iſidorus Hiſpalenſis cùm ſcripſit[a] « cautè meditanda cautoque ſenſu probanda quæ leguntur, ut juxta apoſtolica monita & teneamus quæ recta ſunt, & reſpuamus quæ contraria veritati exiſtunt: ſicque bonis inſtruamur, ut à malis illæſi permaneamus. » At quanquam illa Patrum loca non ſunt ſine cautione ſuſcipienda: inconcuſſa tamen manet & illabata Traditio, quam nonniſi ex certis & indubitatis Patrum libris licet eruere.

Caput VII.

Traditionem non erui ex uno tantùm Patre, ſed ex pluribus, imò ex omnium aut ferè omnium unanimi conſenſu.

At ne quis timidis mentibus hæreat adhuc ſcrupulus, atque ut Traditionis auctoritas magis ac magis ſtabiliatur: illis etiam reſpondendum, qui exiſtimant quoſdam Hæreticos tam aſtutè perfidos fuiſſe, ut ipſorum fraudes nemini innotuerint. Eſto enim, inquiunt, Falſariorum inſidias cavere poſſimus, quoties novimus à

[a] Lib. 3. Sent. cap. 12. Edit. Dubreuil. pag. 462.

quibus Hæreticis, & quibus in libris illæ ſtructæ ſint. Sed ſi utrumque latet, quid tandem ſupereſt, niſi ut perpetuo metu laremus, diffidamus omnium Veterum ſcriptis, ac vereamur ne fortè adulterata ſint? Quod ſi admittimus, omnia ſunt incerta, & Pyrrhoniſmus in religionem inducitur. Videtur iſtud autem rejici omnino non poſſe ab eo, qui veteribus Hæreticis intentatam à quibuſdam Patribus accuſationem falſi ſemel ſuſcipit; ſi quidem illi Patres interdum Hæreticos ſic accuſant crimine falſi, ut nec libros indicent, qui falſati ſunt, nec Hæreticorum Sectam appellent, à quibus libri ſunt falſati.

Verùm ſiquando Patres univerſim pronuntiant Hæreticos veterum Scriptorum opera adulteraſſe: quid vetat id quod dictum eſt generatim, de iis ſigillatim libris & Hæreticis intelligere, qui vel ab aliis Patribus, vel ab iiſdem aliis in locis nominatim appellati ſunt? Deinde demus nonnullos Hæreticos tam verſutos, tam callidè ſceleratos fuiſſe, ut nullus ſit inter Catholicos Doctores, qui iſtorum inſidias viderit, aut etiam fuerit ſubodoratus. At ſaltem iſtud certum eſt, hujuſmodi ſcelus nonniſi raró tam felici exitu patratum fuiſſe, nec niſi ad paucos admodum libros pertinere poſſe, nec ad omnia ejuſdem operis

exemplaria : aut ſi , quod omnino incredibile eſt , ad omnia plurimorum librorum exemplaria, depravationem pertinuiſſe quis fingere voluerit , profectò non ab unius ejuſdemque Sectæ hominibus flagitium hujuſmodi perpetrari potuiſſe. Quod poſtremum ſi ita eſt , non eadem erunt inducta ubique vitia ; ſed neceſſe eſt Hæreticos in iis , quos quiſque libros corruperit , perverſa dogmata ſua , non aliena , atque adeo diverſa ſingulos induxiſſe. Unde conſequens eſt non conſenſuros eſſe Patres , in quibus locis ipſorum exemplaria omnia dicerentur ab Hæreticis eſſe corrupta. Atqui Eccleſiaſtica Traditio non ex uno aliquo loco , non ex uno tantùm Patre , ſed ex omnium aut ferè omnium , aut certè plurimorum unanimi conſenſu colligitur. Ita docent Theologi , qui de Patrum Traditione ſcripſerunt adversùs Hæreticos.

Nam 1. Bellarminus cùm multa de verbo Dei non ſcripto & Apoſtolicis Traditionibus teſtimonia Patrum produxiſſet , Hæreticique reſponderent *iſtos omnes (Patres) alicubi erraſſe.* « Hoc nobis non officit , [a] inquit , etſi enim erraverint aliqui Patrum in quibuſdam dogmatibus , nunquam tamen omnes ſimul in eodem errore convenerunt. Proinde cùm oſtendimus om- «

[a] Tom. 1. Contr. de Verbo Dei non ſcripto. lib. 4. cap. 7.

„ nes convenire in Traditionibus non ſcrip-
„ tis aſſerendis , ſatis efficaciter probamus
„ in eo illos non erraſſe. » Idem paulò pòſt
„ ſic loquitur. « Cùm omnes Doctores Ec-
„ cleſiæ communi conſenſu docent , aliquid
„ ex Apoſtolica Traditione deſcendere , ſive
„ in Concilio generali congregati , ſive ſeor-
„ ſim ſcribentes in libris , illud credendum
„ eſt Apoſtolicam eſſe Traditionem. Ratio
„ eſt . . . quia ſi omnes Doctores Eccleſiæ ,
„ cùm in aliqua ſententia conveniunt , erra-
„ re poſſent , tota Eccleſia erraret ; quippe
„ quæ Doctores ſuos ſequi tenetur & ſequi-
„ tur.» Rurſum alibi reſpondens Hæreticis, qui
„ errores Patrum obtrudebant , « Patres , in-
„ quit[b], nunquam omnes ſimul errant , etiam-
„ ſi aliquis eorum interdum erret : nos verò
„ ſequimur eos, quando ſimul aliquid docent,
„ non quando proprias ac ſingulares ſenten-
„ tias aliis contradicentibus defendunt. Exem-
„ plo ſit B. Cyprianus , quem non ſequimur
„ docentem Baptiſmum eſſe irritum , ſi ab
„ Hæretico tribuatur ; ſcimus enim hac in
„ re Doctores cæteros Cypriano non conſen-
„ ſiſſe : & tamen Cyprianum ſequimur do-
„ centem Chriſtum eſſe Deum verum , quia
„ idipſum omnes Patres magnâ conſenſione
„ docent.

Quod paſſim adſtruit Bellarminus , hoc

[a] Ibid. cap. 9. | [b] Tom. 1. l. 2. de Chriſt. c. 2.

ipſum antea Stapletonus docuerat : « Te- «
ſtimonia Patrum , inquit [a] , in ſe ipſis con- »
ſiderari poſſunt tribus modis : primùm »
quando dicta Doctorum ſingularia ſunt , ab «
uno videlicet Doctore ſingulariter aſſer- «
ta , contra aut omnium , aut plurium Pa- «
trum ſententias. Talia auctoritatem non «
habent , ſed potius errori humano depu- «
tanda ſunt. Secundo modo , quando unus «
fortè , aut alter tantùm ex Patribus aliquid «
affirmat , quod cæteri Patres tacuerunt. «
Talia argumentum faciunt probabile qui- «
dem , ſed non firmum , niſi pro ratione «
materiæ ſubjectæ , ut mox dicetur. Tertio «
modo , quando aut omnes , aut plures ali- «
quid unanimiter docent. Talia pro ratione «
materiæ firmum & indubitatum argumen- «
tum faciunt , propter rationes inductas … «
Patrum teſtimonia materiam habent tri- «
pliciter quoque differentem. Aliquando «
enim ea tractant , quæ magis ad Philoſo- «
phiam , quàm ad Theologiam pertinent … «
Secundo modo tractant Patres , quæ ad «
ſcientiam Theologicam magis , quàm ad «
publicam fidem attinent ….. Tertio mo- «
do tractant Patres ea quæ ad publicam fi- «
dem & ad notiſſimas Chriſtianæ religionis «
regulas pertinent. In tali materia eorum «
teſtimonia valida & firma ſunt , maximè «

[a] Controv. 6. quæſt. 4. in explic. art.

» quando plurium unanimis conſenſus con-
» currit, propter argumenta inducta, quæ
» nonniſi in tali materia procedunt. Notavit
» hoc diligenter Vincentius Lirinenſis, di-
» cens *Antiquam ſanctorum Patrum ſententiam*
» *non in omnibus divinæ legis quæſtiunculis, ſed*
» *ſolùm, aut certè præcipuè, in fidei regula in-*
» *veſtigandam eſſe*... Quo in loco duo extre-
» ma cavenda ſunt. Unum eſt Patres ita ci-
» tare, quaſi omnia quæ dicant in quacum-
» que materia tenenda eſſent ad ultimum
» iota... Alterum extremum eſt, etiam om-
» nium unanimem conſenſum in materia fi-
» dei rejicere, quod Hæretici faciunt.

Ita Stapletonus, cui non modò Bellarminus, ſed plerique alii Theologi Catholici adſtipulantur; cùm ait, tunc tantùm firmiſſimam eſſe ſanctorum Patrum auctoritatem, quando in materia, quæ ad publicam fidem pertinet, unanimiter conſentiunt. Quæ ſi vera ſunt, manifeſtum eſt firmiſſimam manere Traditionis auctoritatem, etiamſi concedatur nonnulla Patrum opera eſſe ab Hæreticis adulterata. Nam quæ corrupta ſunt, nec erunt admodum multa, nec ab iiſdem Hæreticis erunt corrupta. Quare ſicubi Hæreticorum fraude in Patrum libros nævi ſubrepſerunt, in

[a] Contra Prophet. novitates. cap. 39. Magn. Biblioth. Patr. tom. 7. pag. 261.

his ipſis locis Patres illi à cæteris diſſideant, neceſſe eſt. Catholici autem non deducunt Traditionem ex his locis, ubi unus aut alter Patrum contra cæterorum ſententiam aliquid ſtatuere videtur, ſed ex his in quibus ferè omnes, aut certè plures unanimiter conſentiunt.

Caput VIII.

Non ſolis ſanctorum Patrum libris Traditionem contineri.

SAnctos Patres teſtes eſſe Traditionis, hancque libris ſuis conſignaſſe certum eſt. Illi enim, ut ait [a] Auguſtinus, *quod invenerunt in Eccleſia, tenuerunt: quod didicerunt, docuerunt: quod à Patribus acceperunt, hoc filiis tradiderunt.* At non idcirco credendum eſt Traditionem in ſolis ſanctorum Patrum libris conſervari: propagatur etiam vivâ voce, atque Fidelium inſtitutione; ſucceſſione Paſtorum, conſuetudine & continuo Eccleſiæ uſu ad poſteros transfunditur... Nam quemadmodum Irenæo teſte [b] « Multæ gentes Barbarorum eorum «

[a] Lib. 2. contra Julianum. cap. 34. Nov. Edit. tom. 10. pag. 549.

[b] Lib. 3. cap. 4. Nov. Edit. Pariſ. pag. 205. Oxon. p. 178.

» qui in Chriſto credunt ſine charta vel atra-
» mento, ſcriptam habent per Spiritum in
» cordibus ſuis ſalutem, & veterem Traditio-
» nem diligenter cuſtodiunt: » Ita univerſa
Eccleſia Catholica, quamvis Litteris Sacris inſtructa, & multis ſanctorum Patrum libris ditata, tamen ſcriptam quoque per Spiritum Sanctum in illorum cordibus, qui verè credunt, ſanam doctrinam fideliter ſervat, & ſervabit uſque ad conſummatio-
» nem ſæculi. « Traditionem itaque Apoſto-
» lorum, ut idem Sanctus Martyr paulò an-
» tè docuerat[a], in toto mundo manifeſta-
» tam, in omni Eccleſia adeſt perſpicere om-
» nibus, qui vera velint videre. [b] Neque
» enim oportet quærere apud alios verita-
» tem, quam facilè eſt ab Eccleſia ſancta
» ſumere; cùm Apoſtoli quaſi in depoſito-
» rium dives pleniſſimè in eam contulerint
» omnia, quæ ſint veritatis; uti omnis qui-
» cumque velit, ſumat ex ea potum vitæ.

Irenæo hac in re concinit ipſius tempo-
» rum fermè æqualis Tertullianus. « Obſer-
» vationem inveteratam hanc (quæ vetat
» Chriſtianum militem lauream capite geſ-
» tare) ſi nulla, inquit[c], ſcriptura determi-
» navit, certè conſuetudo corroboravit, quæ
» ſine dubio de Traditione manavit. Quo-

[a] Ibid. cap. 3.
[b] Ibid. cap. 4.
[c] de Corona cap. 3.

modo enim uſurpari quid poteſt, ſi traditum prius non eſt ?» Quo in loco etſi Tertullianus rigidiorem pro ingenio ſuo & duriorem opinionem ſequitur ; illamque falsò deducit ex Apoſtolica Traditione : tamen quæ de Traditionis auctoritate affirmat, vera ſunt & ab Orthodoxis ſemper recepta. Celeberrimum enim eſt, quod enumeratis pluribus Eccleſiæ Catholicæ ritibus, paulò pòſt addit. Harum,[a] inquit, & aliarum ejuſmodi diſciplinarum, ſi legem expoſtules Scripturarum, nullam invenies ; Traditio tibi prætenditur auctrix, conſuetudo confirmatrix, & fides obſervatrix. Rationem Traditioni & conſuetudini & fidei patrocinaturam, aut ipſe perſpicies, aut ab aliquo, qui perſpexerit, diſces : interim nonnullam eſſe credes, cui debeatur obſequium.

Ejuſdem Traditionis, quæ ex Eccleſiæ conſuetudine & uſu, ab Apoſtolis ad nos uſque derivata eſt, vim & auctoritatem Auguſtinus defendit adversùs Donatiſtas. « Quam conſuetudinem, inquit[b], credo ex Apoſtolica Traditione venientem, ſicut multa quæ non inveniuntur in litteris eorum (Apoſtolorum) neque in Conciliis poſterorum, & tamen quia cuſtodiuntur per

[a] Ibid. cap. 4.
[b] De Bapt. contra Donat. l. 2. cap. 7. num. 12. Nov. Edit. tom. 9. pag. 101.

„ univerſam Eccleſiam, nonniſi ab ipſis tra-
„ dita & commendata creduntur. » Alio au-
„ tem in loco : « Illa conſuetudo, inquit [a],
„ quam & tunc homines ſurſum versùs ad-
„ ſpicientes, non videbant à poſterioribus
„ inſtitutam, rectè ab Apoſtolis tradita cre-
„ ditur. » Rurſum eodem in libro : « Quod
„ univerſa tenet Eccleſia, [b] inquit, nec Con-
„ ciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt,
„ nonniſi auctoritate Apoſtolicâ traditum re-
„ ctiſſimè creditur. » Denique « Multa ſunt,
„ ait [c], quæ univerſa tenet Eccleſia, & ob
„ hoc ab Apoſtolis præcepta bene credun-
„ tur, quamquam ſcripta non reperiantur.

Sed cur in colligendis antiquorum Patrum teſtimoniis tempus inſumimus : cùm ſit Catholicis omnibus notiſſimum Apoſtolorum Traditionem non in ſolis Patrum libris, ſed etiam in cordibus Fidelium Spiritûs Sancti gratiâ, & ipsâ Patrum inſtitutione, atque perpetuo Eccleſiæ uſu ſcriptam ad nos perveniſſe ?

Quæ ſi ita ſint, manifeſtum eſt illibatam & inconcuſſam manere Apoſtolicæ Traditionis auctoritatem, etiamſi demus aliqua Patrum opera ita ab Hæreticis corrupta fuiſſe, ut nemo jam dijudicare va-

[a] Ibid. lib. 4. cap. 6. num. 9. pag. 126.
[b] Ibid. cap. 24. num. 31. pag. 140.
[c] Ibid. lib. 5. cap. 23. num. 31. pag. 156.

leat, quæ iſtorum operum pars genuina ſit, quæ ab Hæreticis inſerta. Eſto enim aliquot libros Patrum ſcelerati homines erroribus ſuis fœdaverint. At multò plura ſunt Patrum opera, quæ illi nunquam attigerunt: at fidem ipſius Eccleſiæ Catholicæ nunquam violare potuerunt: nunquam perfidiâ ſuâ & pravis artibus effecerunt, ut aliter Catholici crederent & docerentur. Habemus in ipſo Eccleſiæ Catholicæ ſenſu paratam judicandi regulam, quam ſi ſequimur, non erramus; cui quicumque obtemperant, ab omni Hæreticorum ſtropha teloque perſtant illæſi.

Caput IX.

Omnium, aut ferè omnium Patrum opera depravationis ſuſpecta haberi non poſſe, ab iis qui credunt Eccleſiam errare non poſſe.

QUanquam nonnulla ſunt veterum Patrum opera, de quibus planè incertum, fuerintne corrupta ab Hæreticis, an non: nullum tamen periculum eſt, ne Traditio Patrum aliquid inde firmitatis ſuæ ac roboris deperdat. Quippe in Eccleſiæ ſanctionibus & Decretis certa regula ſuppetit; quâ ſinceram Traditionem à falſa ſecerna-

mus. Nam quemadmodum ſolius Eccleſiæ eſt ſtatuere, quinam libri verè divini ſint, quis genuinus eorumdem ſenſus; ita ejuſdem eſt dijudicare, quæ verè nobis à Chriſto & ab Apoſtolis tradita, & quæ legitima ſint Apoſtolicæ Traditionis inſtrumenta. Hoc judicio quiſquis ſtat, falli omnino non poteſt.

Nemo diffitetur certè, ne Adverſarii quidem, occurrere in quibuſdam Patrum libris nævos, qui ſive Librariorum oſcitantiâ vel imperitiâ irrepſerint, ſive Patribus ipſis, utpote hominibus, exciderint, excuſari non poſſint atque ab errore vindicari. Quis tamen Catholicus dicat hos obeſſe nævos Traditionis firmitati? Nullus profectò. Cur autem obeſſe non poſſunt? quia Eccleſia certò ſtatuit & judicat, ubinam Patres pro humanæ naturæ conditione labantur, ubi loquantur tanquam Apoſtolicæ Traditionis teſtes. Quod Eccleſiæ judicium quiſquis reſpuit, neceſſe eſt ut dubius hæreat ſæpè ac titubet, atque interdum abripiatur in præceps. Ita etiam non negavero, quædam Patrum teſtimonia, quæ ad confirmandam Traditionem utiliter adhibentur, futura fuiſſe ſuſpecta propter graſſantes Falſariorum dolos, niſi his auctoritatis pondus Eccleſiæ conſenſu ac judicio adderetur.

Verùm

Verùm ejuſmodi teſtimonia non poſſunt eſſe multa ; nam , ut ſuperiùs obſervavimus, contingere non potuit, ut omnia Patrum ſcripta, vel majorem iſtorum partem perfidis artibus ſuis adulterarent Hæretici. Neque his ſola obfuit Catholicorum vigilantia ; ſed multò magis divina providentia , quæ nec pravam in Eccleſia doctinam invaleſcere , nec violari inſtrumenta doctrinæ & fieri noxia ſinit. Et verò vel unum eſſe in libris Canonicis locum , ubi error irrepſerit, quo ſana doctrina vel pietas morum corrumpi poſſit, opinari, imò ſuſpicari nefas eſt ; quia cùm Sacras Litteras Deus Eccleſiæ tradiderit , tanquam ſuum ipſius ſermonem, atque adeo tanquam credendi ac docendi normam nunquam deficientem ; ſi vel ſemel profanas novitates aut perverſam doctrinam continerent, Eccleſia quæ his, veluti oraculis divinis, plenam fidem habet , in errorem neceſſariò adduceretur. Cùm ergo unanimis Patrum conſenſus Paſtoribus Eccleſiæ etiam proponatur, ut certa credendi & docendi regula : dicendum eſt pariter fieri omnino non poſſe, ut omnes aut ferè omnes eorum libri in unum aliquem errorem conſentiant. Conſentirent autem , aut quod in idem incommodum recidit, conſentire viderentur nobis, ſi in omnium aut ferè omnium Pa-

trum libris quiſpiam error ab Hæreticis inſertus fuiſſet. Nam quid ſancti Patres olim ſenſerint, ex ipſorum libris potiſſimum judicatur. Quare ſi omnium aut plerorumque libri ab Hæreticis violati eſſent, in una aliqua materia, quæ ad fidem aut mores pertineat, viderentur omnes aut plerique conſentire ad illud affirmandum, quod eſſet à corruptoribus inductum. Igitur Eccleſia, quæ unanimem Patrum conſenſum ſemper ſuſpicit ac veneratur, invectum in omnium Patrum opera errorem admitteret. Quæ cùm ita ſint, fatendum eſt, non minùs eſſe incredibile omnium Patrum libros in una aliqua materia ad fidem aut mores ſpectante eſſe corruptos, quàm incredibile ſit Eccleſiam Catholicam errorem aliquem, tanquam genuinam Traditionem, ſuſcipere poſſe.

Sed hæc ſufficiant ad evellendos ex quorumdam Catholicorum animis ſcrupulos, quibus timent, ne ſi nonnullis Hæreticis audax in falſandis Patrum operibus perfidia exprobretur, præcipua convellantur Apoſtolicæ Traditionis fundamenta, atque omnino ſubruantur.

C O N C L U S I O.

QUæ duo in hac Diſceptatione demonſtranda ſuſceperam, Hæreticos complures crimine falſi jure accuſari, eoſque pro innata ſibi perfidia impuras manus non abſtinuiſſe à ſacris codicibus & veterum Patrum libris: neque tamen fraudibus ſuis perficere potuiſſe, ut vel certiſſimæ ſacrarum Litterarum integritati obeſſent, vel inconcuſſam Traditionis auctoritatem labefactarent: hæc, niſi mea me fallit opinio, abundè præſtiti. Priùs quidem cognoſcere utile eſt, ne codices quos in Hæreticorum manibus fuiſſe vel ſcimus, vel ſuſpicamur, legamus ſine cautione: poſteriùs planè neceſſarium. Quis enim Catholicus quidpiam derogatum velit Sacrarum Litterarum & Traditionis Patrum auctoritati? Quis neſciat his fundamentis ſuperſtructum eſſe Eccleſiæ Chriſti ædificium? Quæ fundamenta quiſquis convellit, à Chriſtiana religione deſciſcat, neceſſe eſt. Iſta autem convellit profectò, qui inſana Pyrrhonicæ dubitationis deliria in religionem invehit. Verùm abſit ut Pyrrhoniſmum ab iis foveri exiſtimemus, qui Hæreticorum technas & dolos manifeſtant. Firmior eſt Eccleſiæ ſtructura, quàm ut pravis perverſo-

rum hominum artibus disjici poſſit. Stat illa inconcuſſa, quamvis nihil non tentaverint Hæretici, ut tam Chriſti ipſius doctrinam, quàm tradita nobis ab Apoſtolis doctrinæ inſtrumenta perverterent. Igitur ab Hæreticis falſatos eſſe & adulteratos, non modò quoſdam antiquiorum Patrum libros, ſed etiam aliquot divinorum Librorum codices, ultrò fatemur, & verum eſſe contendimus; quia iſtud ipſum Patres ſcriptis ſuis teſtati ſunt, & impiis hominibus perfidiæ crimen objecerunt. At non idcirco dicimus divinos Libros, quales Eccleſia Catholica legit & ſervat, ullis erroribus fuiſſe infectos, & certò ſcimus inviolatam hactenus perſtitiſſe Traditionem. Invigilat enim Deus & providet Eccleſiæ; & quamvis interdum permittat inſurgere *filios iniquitatis*, qui & profanas vocum novitates diſſeminare, & inſtrumenta doctrinæ depravare nitantur: tamen nunquam ſinit eos ſic prævalere, ut Eccleſiam in errorem inducant. Quiſquis ergo Eccleſiam ſemper ſequitur, hujus Decretis quiſquis firmus inhæret, quiſquis non alios libros legit, quàm quos pia Mater probat & filiis ſuis tradit, ille liber ab omni erroris metu, & ab Hæreticorum inſidiis tutus eſt. Hanc ipſe regulam Chriſtus ſequendam nobis propoſuit: hanc, Deo ju-

vante, ſemper ſequar: traditam autem à Chriſto [a] *regulam quicumque ſecuti fuerint, pax ſuper illos & miſericordia.*

[a] Gal. 6. 16.

F I N I S.

Errata ſic corrige.

Pag.	*Verſu*		*Lege*
34	26	redditur,	reddit.
98	23	τεθαίρων,	τεσσάρων.
100	13	Euſebios,	Euſebius.
160	11	pertineat,	pertinent.
432	16	temporibus,	temporis.
523	24	fuiſſet,	feciſſet.

INDEX
HÆRETICORUM,
Quibus hoc in Volumine crimen falſi objicitur.

ACEPHALI, pag. 334
Ampullianus Bithynius Hæreſiarches, 286
Andreas Monachus Hæreticus, 342
Apelles, 92, 272
Apellitæ, 285
Apollonides Theodoti diſcipulus, 102
Apoſtolici dicti, 217
Aquila, 41
Ariani, 110, 125, 237, 247
Arnaldus Albigenſis Hæreticus, 325
Artemon Theodoti diſcipulus, 101
Artotyritæ, 97
Aſclepiades, ſive Aſclepiadotus Theodoti diſcipulus, 102
Auguſtalis Præfectus Severianus, 217, 331
Caïnæi, 65
Candidus Hæreticus Valentinianus, 270
Carpocrates. 65, 66
Cataphryges, 97
Cathari, 224
Cerdon, 91
Cerinthus, 65
Dioſcorus, 329
Donatiſtæ, 303
Ebion, 65
Ebionitæ, 245, 250
Eleuſinus Eutychianus, 338
Encratitæ, 98, 224
Eudoxius Arianus, 370
Eunomius, 247
Eunomiani, 245
Felix Orgelitanus Epiſcopus, 381
Gaïanitæ, 336
Gotheſcalci aſſeclæ, 551
Hermophilus Theodoti diſcipulus, 102
Ingentius Donatiſta, 300
Judæi, 30, 41
Leonidas, 226

Leucius, 227
Lucanus, ſive Lucianus, 92
Macharius Antioch. Monothelita, 351
Manichæi, 106, 223, 245
Marcion, 79, 272
Menophilus Arianus, 370
Monothelitæ, 346
Montaniſtæ, 97, 237
Neſtorius, 129
Neſtoriani, 316
Neſtorii anteceſſores Hæretici, 126
Nicias Eutychianus, 338
Novatiani, 237
Ophitæ, 65
Origeniani, 224, 246
Origenes duo Hæretici diverſi ab Origene Adamantio, 286
Pepuziani, 97
Photius, 367
Polemius Apollinariſta, 375
Quintilliani, 97
Rufinus, 289, 305
Saturninus, ſive Saturnilus, 61, 65
Sethoïtæ, 65
Severus, 216
Severiani, 98
Stephanus Monothelita, 351
Symmachus, 50
Tatianus, 98
Theodotion, 50
Theodotus Coriarius, 101
Theodotus Trapezita, ibid.
Timotheus Ælurus, 329
Timotheus alius Apollinariſta, 375
Xenaïas, ſive Philoxenus Eutychianus, 338
Xenocharides, 226

INDEX

PATRUM ET DOCTORUM,

Qui Judæis vel Hæreticis crimen falſi objecerunt.

ALEXANDRINI Monachi apud Severum Sulpicium.
S. Ambroſius.
S. Ambroſii Editor noviſſimus.
S. Anaſtaſius Sinaïta.
Anonymus apud Photium.
Apronianus apud Optatum.
Aquiſgranenſis Concilii Patres apud Hicmarum.
Athanaſianæ Synopſis Auctor.
S. Auguſtinus.
Baronius Cardinalis.
Bellarminus Cardinalis.
Binius.
Catalogi Hæreticorum Auctor apud Tertullianum.
S. Chryſoſtomus.
Conſtantinus Imperator apud Optatum.
Cotelerius.
S. Cyrillus Alexandrinus.
S. Cyrillus Hieroſolymitanus.
S. Dionyſius Corinthiorum Epiſcopus.
S. Epiphanius.
Evagrius Scholaſticus.
Evodius Uzalenſis Epiſcopus.
Euſebius Cæſarienſis.
Euſebius Theſſalonicenſis apud Photium.
Franciſcus Turrianus.
Fulbertus Carnotenſis.
Gelaſius Summus Pontifex.
S. Gregorius Magnus.
Haimo Halberſtatenſis.
Henricus Caniſius.
S. Hieronymus.
Hincmarus.
Huëtius Abrincarum Epiſcopus.

Interpretes priſci apud Socratem.
Joan. Mar. Braſſichenſis ſacri Pal. Magiſter.
S. Irenæus.
S. Iſidorus Hiſpalenſis.
S. Juſtinus.
Labbeus.
Labyrinti parvi Auctor apud Theodoretum.
Legati Agathonis Papæ in ſexta Synodo.
S. Leo Magnus.
Leontius Byſantinus.
Libri adversus Artemonis hæreſim Auctor apud Euſebium.
Lucas Tudenſis Epiſcopus.
Macrobius Seleuciæ in Iſauria Epiſcopus in ſexta Synodo.
Margarinus de la Bigne.
Monachi Paleſtinæ apud Evagrium.
Nicephorus Calixtus.
Nicolaus I. ſummus Pontifex.
Origenes.
Paulus Emiſenus Epiſc. apud S. Cyrillum.
Pezronius.
S. Philaſtrius Brixienſis.
Photius.
Poſſevinus.
Prædeſtinati Auctor anonymus.
Rufinus.
Ruſticus Romanæ Eccl. Diaconus.
Salvianus.
Severus Sulpitius.
Sixtus Senenſis.
Socrates.
Synodus ſexta Oecumenica.
Tertullianus.
Theodoretus.
Trullana Synodus.
Vincentius Lirinenſis.
Zertenſe Concilium.
Zonaras.

INDEX
RERUM.

ACademicos Auguſtinus nondum baptizatus confutat. 135
Adulteratoribus librorum mundum ſemper refertum fuiſſe, nonniſi temere dici poteſt. 8
Agobardus Lugdunenſis commiſſam a Felice fraudem cur non commemorat. 4 1
Quæ Agobardus habuit exemplaria Hilarii, meritò ſuſpecta, 421
Agobardus quo tempore adversùs Felicem ſcripſerit, ibid.
Alcuinus quo tempore adversùs Felicem ſcripſerit, 407
Alſii Cæciliani Epiſtola à Donatiſtis falſata. 300
S. Ambroſii locus ab Acephalis adulteratus, 335
S. Anaſtaſio Sinaïtæ Monacho ac Presbytero aſſeritur liber, cui titulus *Viæ dux*, 332
De S. Andreæ Actis quid ſentiendum, 221
Andreæ Monachi Hæretici perfidia inſignis, 342
Antiocheni Patres quo ſenſu nomen *conſubſtantialis* rejecerint, 585
Apelles Marcionis diſcipulus, 92
Ejuſdem mores & deliria, ibid.
Apellitas ex omnibus Libris Sacris ea ſelegiſſe loca, quæ ſibi magis arriderent, 95
Apocalypſis liber ne falſaretur, timuit S. Joannes Apoſtolus. 22
Apologetici pro Origene libri titulus à Rufino

falſatus, 305
Aquilæ ingenium & mores, 47
Ejus interpretatio ſubdola, 48
Aquila quo conſilio ad Scripturam Sacram interpretandam ſe contulerit, ibid.
Ariani quædam verba ex Evangelio ſecundùm Joannem eradunt, 111
Quo tempore fraus illa commiſſa, 112
Deletum ab Arianis locum laudaverant Tertullianus aliique antiquiores, 117
Cur locus ille non ſit reſtitutus. 119
Ariani Spiritûs Sancti divinitatem impugnarunt, 120
De Arianorum Schola profectus Macedonius, 122
Ariani Barbari interpolatas Scripturas habuerunt, 125
Arnaldi Hæretici perfidia & pœna, 326
S. Athanaſii Epiſtola ad Epictetum à Neſtorianis corrupta, 316
Auguſtalis Præfectus Severianus quatuor-decim Librarios diu aluit, qui Patrum opera falſarent, 331
S. Auguſtini Opuſcula ab Arnaldo Albigenſi corrupta, 325

S. BErnardi Opuſcula ab eodem corrupta, *ibid.*

CAnonum Apoſtolorum liber quo ſenſu apocryphus, 252
Carpocratis atque aſſeclarum ejus mores ac deliria, 66
Carpocrates à S. Barnaba damnatus in Cypro, 67
Cerdonis ingenium atque errores, 91
Cerdon ab Apollonio Corinthiorum Epiſcopo primùm damnatus, *ibid.*
Cerinthi ingenium & deliria, 67
Cerinthus ab Apoſtolo Paulo anathemate percuſſus, 68
Chriſtianorum fides ab

initio pura & perfecta, 578
Codicum Carnutenſis & Colbertini ætas, 431
In Codicum ætate judicanda facilis lapſus, 433
Codices Sacros, quos Eccleſia Catholica ſervat, non poſſe facilè violari, 150
Codices Sacros, quos Eccleſia Catholica legit, non eſſe violatos, 155
Codicis Vaticani ætas, 447
Conſtitutionum Apoſtolicarum libri adulterati, 253
Cotelerii aliorumq; ſententia de libro *Paſtoris*, 234
Cotelerii de *Recognitionum* libris ſententia refellitur, 235
Sancti Cypriani Opuſcula aliquot corrupta fuiſſe, probabile judicavit S. Auguſtinus, 291
S. Cyrilli Alexandrini Epiſtola à Neſtorianis, aut corrupta, aut fabricata, 323
Ejuſdem opera quædam adulterata, 327

DIABOLI miniſtros quoſdam ſcripta Domini adulterare voluiſſe, 55
S. Dioniſii Alexandrini Opuſcula utrum corrupta, 293
Donato Carthaginenſi intentatam accuſationem falſi S. Auguſtinus revocavit. 109

EBionis mores & deliria, 68
Ebion à S. Luca & ab Apoſtolo Paulo reprehenſus, *ibid.*
Eccleſiæ Catholicæ auctoritas quanta, 136, 623
Eccleſia Catholica quàm firmis nixa fundamentis, 136
Eccleſiam Chriſti potuiſſe Sacrarum Litterarum præſidio carere; libros ſpurios pro veris, depravatos pro ſinceris admittere non potuiſſe, 179
Eſdræ locus à Judæis ſublatus, 171

Evangelium & Apoſtolicas paginas Manichæi interpolarunt, 107
Evangelia à Saturnino aliiſque mutilata, 65
Ex Evangeliis Tatianum genealogias, & multa alia loca amputaviſſe, 99
Evangelium Mathæi decurtant Carpocratiani, 73
Idem ſcelus Ebionitæ perpetrant, 73, 75, 76
Evangelium Lucæ adulteratum à Marcione, Cerdone aliiſque, 81, 93
Ejuſdem titulus à Marcione deletus, 83
Ejuſdem prima duo capita à Marcione ſublata, 86
Ejuſdem loca omnia, quæ à Marcione depravata ſunt, recenſentur apud Epiphanium, 88
Evangelii ſecundùm Joãnem locus ab Arianis eraſus, 110
Euſebii error de libris *Recognitionum*, 241

FAlſarios & Librorum Eccleſiaſticorum Corruptores aliquot variis ſæculis extitiſſe, 10
Illos plerumque fuiſſe Hæreticos, 8, 10, &c.
Falſarios omnes aut pleroſque à Cuſtantio abſolvi, 10, 11
Formula fidei, quam Elias Hieroſolymitanus ſcripſerat, ab Eutychianis corrupta, 339

GEneſis locus à Saturnino corruptus, 62
Gerronis falſarii crimen, 193
Gegorius Turonenſis timuit ne ſcripta ſua truncarentur, 6
Ejuſdem exẽplaria quædam truncata, 7

HERMANNI imprudentia reprehenditur, 569
Hæretici plurimi ſuos Sacrarum Litterarum codices adulterarunt, 18, 59
Hæretici cur Sacrarum

Litterarum corruptores, 197
Hæreticorum codices, nonCatholicorum ſuſpectos eſſe debere, 192
Hæreſiarcharum ingenium & fraudes, 19
Hæreſum veteres Magiſtros ſcripta Pauli depravaſſe, 22
Hebraïcum fontem corruptum dici non poſſe ante Chriſtum natum, 30
Si quis corruptum dixerit poſt Chriſtum natum, nullâ eum cenſurâ notari poſſe, 33
Hebraïcum fontem inter & ſeptuaginta Seniorum interpretationem diſcrepantiam eſſe non levem, 37
Hieracis Hæretici errores, 214
Hierax Librarius peritiſſimus, 215
Hieremiæ loca duo à Judæis ſublata, 173
S. Hieronymus eos reprehendit, qui libros dum temerè emendant, depravant, 5
S. Hieronymo adversùs Rufinum ſcribenti credendum eſt, 569
S. Hieronymi Opuſcula quædam ab Arnaldo Albigenſi corrupta, 325
Sanctus Hilarius quantùm à nomine *adoptionis*, cùm de Chriſto ageretur, abhorruerit, 457

S. Ignatii Epiſtolas genuinas ab homine Ariano fuiſſe interpolatas, 257
S. Ignatii Epiſtolarum interpolatorem eum eſſe, à quo ſpuriæ fabricatæ ſunt, 256
S. Ignatii Epiſtolarum ſpuriarum fabricator ab Apollinaris hæreſi excuſatur, 258
Uſſerii ea de re opinio confutatur, 259
S. Ignatius quo ſenſu Filium Dei dixerit *ingenitum*, 581
In Innocentii Epiſtolam ad Exuperium mendũ videtur irrepſiſſe, 226
S. Joannis celebris ille verſus, *Tres ſunt qui teſtimonium dant in cœ-*

lo &c, non poteſt dici ſuſpectus, 157
Ejuſdem primæ Epiſtolæ locus à Neſtorii anteceſſoribus eraſus, 126
Irenæus Librarios adjurat, ſuos ut libros emendatè ſcribant, 3
Ejuſdem obteſtatio laudata ab Euſebio & Hieronymo, 4
Ejuſdem locus explicatur, 56
Idem promittit ſe ſcripturum adversùs Marcionem, 82
Iſaïæ vaticinium de Virginis partu ab Hæreticis corruptum, 50,69
Sancti Iſidori Hiſpalenſis Opuſcula ab Arnaldo Albigenſi corrupta, 325
LIber *contra quinque hoſtium genera* non eſt certus Auguſtini fœtus, 486
Lucanus, ſive Lucianus Marcionis diſcipulus, 92
MAnichæi magnâ licentiâ in ſacras Litteras graſſati, 106
Manichæi crimen falſi in Catholicos perfidè refundunt, 107,147
Marcionis mores, inconſtantia, errores, 79,80
Marcion Cerdonis diſcipulus, *ibid.*
Marcion primus Evangelium Lucæ & Pauli Epiſtolas auſus eſt exſcindere, 93
Marcionis errores ex ſacri textûs reliquiis, quas retinuerat, confutari potuiſſe, 82
Marcion à Patre ſuo Epiſcopo Eccleſia pulſus, 80
Marcionis adulterinam lucubrationem totam repræſentat S. Epiphanius, 89
Marcionitæ Evangelium Lucæ quotidie reformant, 85
Menda in MSS. codicibus plurima occurrere, 1
Menda illa eſſe interdum gravia & magni momenti, 2
Mendorum quæ in libris Patrum occurrunt, cauſæ, 572
Mendorũ præcipua cauſa,

ſa, Librariorum oſcitantia, 3
Mendorum cauſa altera, imperita quorumdam temeritas, 5
Mendorum alia cauſa, privatum quorumdam ſtudium, 6
Mendorum alia cauſa, injuria temporum, 7
Menda aliqua in falſariorum perfidiam eſſe refundenda, 8
Monachos temerè accuſari à Riveto, 209
In Monachos rejici non debere falſatorum librorum crimen, 11
Monumenta Eccleſiaſtica omnia vel pleraque nonniſi ſtultè ac impiè ſuſpecta reddi poſſe, 8

ORIGENIS dialogus cum Candido ab ipſo Candido adulteratus, 270
Origenis plures libri, fuerint-ne adulturati, incertum, 274

PAſtoris liber, quanto olim in pretio fuerit, 229
Patres antiquiores cur aliquando obſcurè locuti, 575
Patrum operibus, quæ adulterata fuerant, fidem eſſe abrogatam, 597
Patrum loca multa olim ab Hæreticis adulterata, jam eſſe emendata, 602
Patrum antiquiorum fidem ex ipſorum factis, certiùs, quàm ex ſcriptis cognoſci, 578
In Patrum libris legendis attendendum, quid verba eâ ætate ſignificaverint, quâ iſti ſcribebant, 580
Paulinus Aquileienſis quo tempore adversùs Felicem ſcripſerit, 468
S. Pauli Apoſtoli ſcripta ab indoctis & inſtabilibus viris eſſe depravata, 22
Ejuſdem Epiſtolæ à variis Hæreticis adulteratæ, 81, 93
S. Pauli loca, quæ Marcion adulteravit, enumerari ab Epiphanio, 88

Pentateuchus ab Ebionitis mutilata, 71
Pepuziani & Artotyritæ, unde dicti, 97
Iidem è Schola Montani profecti, *ibid.*
Sacras Scripturas pro animi libidine immutabant, 98
Petavii de S. Hilarii loco à Felice corrupto cenſura rejicitur, 478
S. Petri Epiſtolæ primæ locus à Neſtorio eraſus, 130
Pezronii opinio de adulteratis à Judæis ſacris codicibus, non debet cenſurâ notari, 36
Philippi Rom. Eccl. Preſbyteri Epiſtola à Neſtorianis depravata, 322
Procli Conſtantinopolitani locus adulteratus, 336
Ex Pſalmo 95. hæc verba *à ligno* à Judæis eſſe ſublata, 174
Ptolemæi Valentiniani commentum de lege Moſaïca confutatur, 141
Pyrrhonis Secta quàm peſtilens, 135

Recognitionum libri quo ſenſu Apocryphi, 242
Riveti atque Hæreticorum in Monachos calumnia, 12
Rufini adjuratio adversùs Falſarios, 219
Rufinum conteſtatum eſſe Librarios, ſua ut opera emendatè ac diſtinctè ſcriberent, 4
Rufinus nimiæ credulitatis meritò accuſatus, 562
Rufinus mendacii arguitur ab Hieronymo, 564

Sacrorum Librorum partem aliquam intercidere potuiſſe, nullam eorum partem dici poſſe corruptam in iis quæ ad fidem & mores pertinent, 167
Sacræ Litteræ à Theodotianis interpolatæ, 102
Sacræ Litteræ apud Barbaros Arianos interpolatæ, 125
Saturnini commenta, 62
Septuaginta Seniores

quædam conſultò prætermiſiſſe, aut interpretando immutaſſe, viſum eſt Hieronymo, 38
Eadem de re aliter ſenſit Auguſtinus, 39
Septuaginta Interpretum Editionem non haberi puram, 40
Illam à Judæis eſſe perfidè corruptam, 41
Ita viſum eſſe Juſtino, Origeni, Euſebio, *ibid.*
Symmachi mores, 49
Ejus interpretatio ſubdola, 51

TAtianus dux Encratitarum, 98
In Valentini errores dilabitur, *ibid.*
Ejuſdem Evangelium *diateſſaron* adulteratum, 99
Tertullianus quo ſenſu doceat Deum eſſe corpus, 587
Tertullianum excuſari non poſſe, cùm docet animam habere *corpus ſui generis*, 588
Teſtamentum vetus & novum à Pepuzianis & Artotyritis pro animi libidine immutatum, 98
Theodoti Coriarii ingenium & doctrina, 101
Theodotus à Victore Romano Pontifice damnatus, *ibid.*
Ejuſdem diſcipuli præcipui, *ibid.*
Theodotiani Sacrã Scripturam interpolant, 102
Ex his quidam legem & Prophetas repudiabant, 105
Theodotionis ingenium, 50
Ejuſdem interpretatio non ſatis fidelis, *ibid.*

VAlentinianorum & Gnoſticorum artes, 23
Vaſqueſii judicium de S. Hilarii loco à Felice corrupto, 480

Approbatio Regii Cenſoris.

ILluſtriſſimi Galliarum Cancellarii juſſu, Opus cui titulus eſt, *De veteribus Hæreticis Eccleſiaſticorum Codicum Corruptoribus*, accuratè recenſui. Prælo autem idcircò dignum exiſtimavi, quod æquè temerè ſuſpicioſis, ac incautè credulis, duxi profuturum. Multum enim Reipublicæ Chriſtianæ intereſt, ut hi, falſariorum improbitate cognitâ, ſapienter dubitare diſcant; illi, ſummâ Eccleſiæ ſervando fidei depoſito advigilantis curâ probè intellectâ, dubia injuſta ablegent. Datum Pariſiis die ſexta menſis Junii anno 1712.

RAGUET.

Facultas R. P. Provincialis.

LUdovicus Franciſcus Clavyer, Provincialis Societatis Jeſu in Provincia Franciæ, poteſtate mihi factâ à Reverendo admodum Patre noſtro Michaële Angelo Tamburino Societatis noſtræ Præpoſito Generali, facultatem concedo Patri Bartholomæo GERMON, ut librum cui titulus eſt, *De veteribus Hæreticis Eccleſiaſticorum Codicum Corruptoribus*, quem compoſuit, & quem tres ejuſdem Societatis Theologi approbarunt, in lucem edere poſſit. In cujus rei fidem has litteras manu meâ ſubſcriptas dedi. Pariſiis die 1. Maii, anno 1712.

Ludovicus Franciſcus Clavyer.

PRIVILEGE DU ROY.

LOUIS, par la grace de Dieu, Roi de France & de Navarre, à nos amez & feaux Conſeillers, les gens tenans nos Cours de Parlement, Maîtres des Requêtes ordinaires de nôtre Hôtel, Grand Conſeil, Prevôt de Paris, Baillifs, Senechaux, leurs Lieutenans Civils, & autres nos Juſticiers qu'il appartiendra, Salut: nôtre amé le PERE GERMON de la Compagnie de Jeſus nous aïant fait ſupplier de lui accorder nos lettres de permiſſion pour l'impreſſion d'un livre intitulé: *De veteribus Hæreticis Eccleſiaſticorum Codicum corruptoribus*, Nous avons permis & permettons par ces preſentes audit Pere de faire imprimer ledit livre en telle forme, marge, caractere, & autant de fois que bon lui ſemblera, & de le faire vendre & debiter par tout nôtre Roïaume pendant le tems de ſix années conſecutives, à compter du jour de la date deſdites preſentes; faiſons défenſes à tous Imprimeurs, Libraires, & autres perſonnes, de quelque qualité & condition qu'elles ſoient, d'en introduire d'impreſſion étrangere dans aucun lieu de nôtre obéïſſance; à la charge que ces preſentes ſeront enregiſtrées tout au long ſur le regiſtre de la Communauté des Imprimeurs & Libraires de Paris, & ce dans trois mois de la date d'icelles; que l'impreſſion dudit livre ſera faite dans nôtre Roïaume, & non ailleurs, en bon papier & en beaux caracteres, conformement aux reglemens de la Librairie; & qu'avant que de l'expoſer en vente, il en ſera mis deux exemplaires dans nôtre Bibliotheque publique, un dans celle de nôtre Château

du Louvre, & un dans celle de nôtre trés-cher & feal Chevalier Chancelier de France le ſieur Phelypeaux Comte de Pontchartrain, Commandeur de nos Ordres, le tout à peine de nullité des preſentes : du contenu deſquelles vous mandons & enjoignons de faire joüir l'Expoſant ou ſes ayant cauſe, pleinement & paiſiblement, ſans ſouffrir qu'il leur ſoit fait aucun trouble ou empêchement : Voulons qu'à la copie deſdites preſentes, qui ſera imprimée au commencement ou à la fin dudit livre foi ſoit ajoûtée comme à l'original. Commandons au premier nôtre Huiſſier ou Sergent de faire pour l'execution d'icelles tous actes requis & neceſſaires, ſans demander autre permiſſion, & nonobſtant clameur de haro, charte Normande, & lettres à ce contraires. Car tel eſt nôtre plaiſir. Donné à Verſailles le vingt-ſixiéme jour du mois de Juin, l'an de grace mil ſept cens douze, & de nôtre regne le ſoixante-dixiéme. Par le Roi en ſon Conſeil,

DE S. HILAIRE.

Regiſtré ſur le Regiſtre n°. 529. de la Communauté des Imprimeurs & Libraires de Paris, page 484. n°. 592. conformément aux Reglemens, & notamment à l'Arreſt du 13. Aouſt 1703. Fait à Paris ce trente-uniéme jour du mois de Juillet 1712.

Signé, L. JOSSE, Syndic.

J'ai cedé ledit Privilege aux ſieurs Le Comte & Montalan, pour en joüir pour tout le tems y porté, ſuivant l'accord fait entre nous. A Paris ce 11. d'Aouſt 1712. *Signé*, GERMON, Jeſuite.

Regiſtré ſur le Regiſtre n°. 3. de la Communauté des Libraires & Imprimeurs de Paris, page 538. *conformément aux Reglemens, & notamment à l'Arreſt du* 13. *Aouſt* 1703. *A Paris ce* 12. *Decembre* 1712.

Signé, L. JOSSE, Syndic.

De l'Imprimerie de la Veuve d'Antoine Lambin.

381

12094

BT
1313
.G47
1713
c.1

B & Fict